UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Tractatvs De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2243.

G. II
15.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TRACTATVS

DE NECESSITATE ET MODO MINISTRANDI SACRAMENTA

Tempore pestis.

IN QVO DVCENTÆ ET DVOdecim ea de re quæstiones breuiter & dilucidè resoluuntur.

PASTORIBVS CÆTERISQVE ANImarum Curatoribus non modo vtilis, sed & perneceſſarius.

Lib. Coll. Societ. Jesu Paderborn. a°. 1613.

AVTHORE R. D. IOANNE CHAPEAVILLE, Archidiacono, Canonico, & Vicario Leodiensi.



MOGVNTIÆ,
Typis Balthasari Lippij, sumpt. Petri Cholini.

ANNO M. DC. XII.
Cum gratia & priuilegio S. Cæs. Maiest.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO ET ELECTORI Colonienſi, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellario, Principi & Epiſcopo Leodienſi, Monaſterienſi, Coadiutori Paderbornenſi, Comiti Palatino Rheni, vtriusq; Bauariæ, Weſtphaliæ, Angariæ & Bullonii Duci, Marchioni Francimontano, Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi, &c. Domino meo clementiſſimo S.

Ioannes Chapeauillius S.

SVperioribus annis; & præſertim luctuoſo illo 1579. graſſante per patriam veſtram Leodienſem peſtilentia, Sereniſſime Princeps, cum miſerandam ſimul ac horrendam, non corporum modò, ſed & animarum

marum ſtragem conſpexiſſem; plurimos videlicet ex improuiſo, veluti repentino quodam turbidæ tempeſtatis impetu, teterrima peſtis contagione deiici: ex his, alios in triuiis, & alibi paſſim ſemianimes iacere: nonnullos lymphatorum inſtar, vi morbi per compita diſcurrere: plerosque omnes omni humano auxilio, ſolatioque deſtitui, quodque his pernitioſius eſt, perplures paſtoribus deſtitutos, abſque ſacramentorum præſidio, non ſine magno ſalutis æternæ diſcrimine, ex hoc ſæculo migrare: mihi ſæpius in mentem venit, operæ me pretium facturum, ſi, quemadmodum probi corporum medici, Epidemiæ cauſis, diriſq; illius effectibus in tempore perquiſitis, remedia ſimul, quibus corporum incolumitati conſulant, ſtudiosè conquirunt, & ea abſque inuidia, Reipublicæ communicant: Ita ego, cognitis iam tunc periculis, in quæ fideles animæ, ob neglecta tunc tempo-

temporis, aut perperam, nulliteruè diſpenſata Sacramenta incurrere ſolent, pharmaca quædam ſpiritualia, hoc eſt, NECESSITATEM ET MODVM MINISTRANDI TVNC SACRAMENTA, expenderem, ac difficultatum, quæ circa eorundem adminiſtrationem eo tempore exoriri, moueriuè ſolent, reſolutiones ex ſacris Scripturis, œcumenicis Conciliis, Patribus, Doctoribusq; ſcholaſticis depromptas, in vnam quaſi arcam medicam, certa diſpoſitione coaceruarem, ac opus habentibus communes facerem: quo miniſtri præuia illius lectione paratiores, cautioresq; redditi, ſuo tempore, pro conſcientiæ ſuæ exoneratione, & minore animarum damno peſte infectis ſacramenta diſpenſare poſſent. Huius propoſiti mei memoriam, dum eadem contagio, non rarò per diuerſas ditionis veſtræ partes recurrens refricaſſet, & parochi veſtri plurium ea de re quæſtionum, reſolu-

tionem à me peterent, suffuratis à negotiis publicis aliquot lucubratiunculis, chartas quibus memoriæ ergo, quædam de iisce rebus annotaram, reuidi; adiectisq; iis quæ desiderari posse videbantur, opusculum hoc collegi, minutum quidem illud, nec vestra Celsitudine dignum, sed parochis in partem sollicitudinis vestræ ascitis, non parum vtile ac commodum. Siquidem cum difficultates quæ in sacramentis ministrandis eo tempore moueri solent, ex duobus hisce nascantur capitibus, videlicet; possintne ministri aliquibus ex causis ab officio tunc excusari, vel nouis saltem ritibus & modis minus contagioni obnoxiis sacramenta conferre. Vtrumque caput qua potui diligentia discussi, rationesq; vndecumque quæsitas, quæ ministros excusare posse viderentur, iustæne vel iniustæ sint, examinaui, ex nouos inusitatosq; administrandi modos, quos pleriq; pastores, iusto timidiores adinuenerunt tolera-

tolerarine illi & probari posint, vel non posint, pro exilitate ingenii, studiosè inquisiui: vbique in hoc intentus, vt horum sacrorum mysteriorum dispensatores, hoc periculoso temporis articulo nec iusto timidiores, nec quam necesse sit audentiores reddantur; sed medio itinere gradientes, non leuibus de causis officium intermittant, ne iram Dei in se prouocent, & nimia sua securitate, animas occidant, cum plures in illo extremo agone animas perire certum sit, quæ sacramentali gratia adiutæ, cœlestis gloriæ fuissent participes: non etiam nimium liberales, officium sine necessitate interponant, ne temerè, aut certè magno Reipublicæ detrimento, in tanta sui ipsorum necessitate, corporalis vitæ periculum adeant.

Tractabunt alii grandiores materias, quibus ingenii laudem, & doctrinæ eloquentiæque admirationem

consequentur: mihi profectò summam pertractasse, amplissimamque mercedem consequutus videbor, si minimus parochorum, vel vni peste laboranti, hac mea qualicumque industria adiutus, opem attulerit salutarem. Quanquam nec sim nescius, mercedem ex Apostoli sententia laborantibus reddendam, non secundum fructum, sed secundum laborem.

Hoc qualecumque opusculum, Princeps Sereniſſime, destinatum iam erat Sereniſsimo Principi Ernesto, Illustrisimæ memoriæ patruo tuo, vt cui hactenus semper labores meos, totis iam triginta annis, pro Ecclesiæ ipsius Leodiensis seruitio, signanter verò parochorum ipsius & aliorum Ecclesiæ ministrorum vtilitate, indefessè, pro virium mearum tenuitate præstitos deuouissem: sed cum ante illius euulgationem prȩuentus sit a Domino, in æterna, vti speramus, tabernacula assum-

assumptus, post se hic serenitatem tuam, præclaras animi illius dotes, & dignitates apprimè referentem, ad meam & Ecclesiæ huius Leodiensis, multarumque aliarum consolationem relinquens, in quo mihi & Christianis omnibus magnopere gratulandum est, debetur partus ille tibi, tuo quodam hæreditario iure.

Accipe igitur pusillum hunc laborem meum, eadem frontis serenitate, qua solitus est alios meos magnus ille Ernestus, vt fœliciſsimis hisce auspiciis tuis, similiter parochis tuis vtilis: fidelibus vero peste infectis salutaris esse posſit, illi benedictionem tuam impertire, meque quod pro tua benignitate & clementia facis, fauore & beneuolentia prosequere. Ego vicisſim (quod hactenus semper) conabor iis me (æmulis meis non obstantibus) dignum præstare: preces vero maximè & sacrificia Dei beneficio assidua pro diu-

turna felicitate interponam. Leodii ipsis Calendis Martiis, millesimo sexcentesimo duodecimo.

Sereniß. Celsitudinis vestræ
humillimus seruus

Ioannes Chapeauillius.

Has

Has pastoralium Quæstionum de Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema unctione & Matrimonio, Decisiones, vt Methodo, perspicuitate, eruditione atq; vtilitate admodum commendabiles, ita & prælo idoneas censeo. 3. Augusti. 1609. Louanij.

Guilhelmus Fabricius Apostolicus librorum Censor.

PRælo dignum iudico, ac inprimis neceſſitatis ac peſtis tempore Paſtorib. valde vtilem, hunc Reuerendi, Eximii & Doctiſſimi Dn. Ioannis Chapeauilli, Canonici ac Vicarii Leodienſis, de neceſſitate & modo miniſtrandi Sacramenta tempore peſtis Tractatum. 10. Calend. Decemb. Anno 1610. Coloniæ.

Tilmannus Voſmerus, Ordinarius in diœceſi Colonienſi librorum Cenſor.

INDEX QVÆSTIONVM TRACTATVS.

De necessitate & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis.

QVÆSTIO PRIMA, CAPITIS PRIMI.

VTrum sint ministranda Sacramenta tempore pestis? p. 1.

2 Quinam teneantur Sacramenta ministrare tempore pestis? p. 12

3 An teneantur pastores Sacramenta ministrare cũ periculo vitæ? p. 15

4 Si pastor metu contagionis non ausit Sacramenta ministrare, an licebit illi loco cedere, & Sacerdotẽ qui vices suppleat substituere? p. 19

5 An liceat illi, si neminem reperire possit qui vices supplere velit, ad bimestre saltem ex licentia Episcopi curam pastoralem deserere? p. 22

6 An pastor possit illo tempore curæ pastorali renunciare? p. 24

7 Si magistratus timet ne pastor moriatur peste, nec possit de alio prouideri, an saltem illo casu pastor ab admin. Sacram. excusetur? p. 26

8 Si populus sit exiguus, vt ruri accidit, & potest facilè cum pastore ad locum salubriorem migrare, an teneatur illo casu populus pastorẽ sequi, an cõtra pastor apud populum manere? p. 31

9 An teneantur pastores ædes peste infectorum ingredi ad ministranda illis Sacramenta? p. 34

10 Si

10 Si bis vel ter pastor accesßit ædes peste infecti, & toties ad sacramenta susc ipienda impar tum inuenit an sit deinceps ab ad a ministr. sacrament. excusatus, an t neatur sæpius ingredi? p.38

11 Si pastor in vmbone Ecclesiæ prænouerit subditos, vt antequam peste corriperentur sacramenta peterent, illi autem neglexerunt, aut etiam contempserunt, an teneatur nihilominus illos postmodum peste infectos accedere, & sacramenta ministrare? p.41

12 Si pasto dicat sacrum & vocetur ad agrum iam moriturum, an teneatur sacro relicto sacramenta ministrare, aut pro illo tempore à ministratione excus.tur? p.44

13 Quid remedij si pastor fugiat & latitet? p.46.

14 Pastoribus & aliis Prælatis siue iuste siue iniuste absentib. vel peste infectis, aut etiam mortuis, vel seruire nolentibus: an alij teneantur sacramenta ministrare? p.48

15 Si simplices sacerdotes, tum religiosi tum sæculares, nolint sacramenta ministrare, an possit Episcopus illos cogere? p.50

16 Si Episcopus velit cogere sacerdotes sæculares, illi a. inter alias excusationes prætexunt, se parentes habere, qui præcipiunt, vt cum eis à loco contagioso recedant, an parere debeãt Episc. vel parentib? p.55

17 Si Episcopus velit cogere Religiosos, illi a. allegant se exẽptos esse, nec Prælatos permittere, vt Reip. illo tempore seruiant, ne infecti cæteros relig. inficiãt,

an

an teneãtur obedire Epiſc. vel ſuis Prælatis? p.54
18 Deficientib. Sacerdotibus indigenis, vel Epiſcopo parere nolentibus, vel ex cauſa quacunq; ſe excuſantib. an liceat Sacerdotem aliunde vocatum pecunia conducere, qui Sacramẽta miniſtret? p.56
19 An liceat Sacerdotem conducere, quẽ ſcimus improbè viuere? p.61
20 An liceat etiam ebrioſum conducere? p.62
21 An poſſit etiam ſemiebrium? p.63
22 An etiam Concubinarium? p.66
23 An etiam ab Eccleſia præciſum? p.68
24 An etiam hæreticum? p.69
25 Quis teneatur ſacramẽta miniſtrare Sũmo Pontifici, Primati, Patriarchæ, Cardinali, Epiſcopis & inferiorib. Prælatis exemptis, vt generalib. ordinum, Decano, Abbatibus, Prouincialib. Guardianis, Prioribus peſte infectis? p.72
26 Quis domeſticis Summi Pontificis, Primatum, Patriarcharũ, Archiep. Epiſcop. & aliorum inferiorum Prælatorum exemptorum? p.75
27 Quis Prælatis non exemptis? p.78
28 Quis Canonicis Regularibus, & paſtoribus ruralibus? p.79
29 Quis teneatur ſacramenta miniſtrare Imperatori vel Auguſtæ, vel Regibus & eorum aulicis peſte infectis? p.80
30. Quis Principibus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus & aliis locorum Dominis, ſeu eorũ Balliuis & Seneſchallis eorumq; domeſticis? p.82

31 Quis

31 Quis viatoribus peregrinis, mercatoribus ad nundinas proficiscentibus, si per itinera peste corripiantur? p.83
32 Quis vagabundis? p.84
33 Quis illis, qui in duabus parochiis ex æquo habitant, in vna æstiualem, in altera hyemalem domum habentes? p.85
34 Quis scholaribus diuersarum nationum in vniuersitate aliqua commorantibus? p.86
35 Vtrum teneantur pastores vel alij quicumq; sacerdotes sacramenta ministrare omnibus peste infectis? p.88
36 An teneantur etiam famulis & ancillis? p.91
37 An etiam in amentiam & furorem actis? p.93
38 An etiam non petentibus? p.96
39 An etiam interdictis? p.98
40 An etiam excommunicatis? p.99
41 Pluribus sacramenta simul petentibus quibus pastor prius ministrare teneatur? p.101
42 Pluribus pastorem vocantibus, vno ad baptizandum, altero ad confessionem excipiendam, alio ad communicandum, altero ad inungendum, alio ad matrimonium contrahendum, cui prius teneatur? p.109
43 Quis modus ministrandi sacramenta tempore pestis sit optimus & maxime probandus? p.112
44 Quid censendum de modo ministrandi illorum, qui incertam materiam vel formam adhibent, cum possint certam? p.116

45. Quid

45 *Quid de illorum qui non ſimul tempore, ſed prius materiam & poſtea formam, vel contra adhibent in miniſtratione ſacramentorum?* p. 118
46 *Quid de illorum qui diuidunt ſacramẽta, putà, vno adhibente materiam altero formam?* p. 120
47 *Quid de illorũ, qui nullis ſin miniſtratione ſacramentorum cæremoniis vtuntur?* p. 122
48 *Quid contra de illorũ qui omnib. vti volũt?* 225
49 *An tentent Deũ qui peſte laborantib. ſacramenta miniſtrãt cum omnibus cæremoniis precibus & ſolemnitatibus?* p. 127
50 *An tentent illi qui non ſolum omnes cæremonias apud peſte infectos recitant, ſed etiam antidota & res præſeruatiuas, quas facile habere poſſunt, negligunt?* p. 129
51 *Quid cenſendũ de modo miniſt. illorũ, qui nouos ritus in admin ſtrat. ſacrament. adhibent?* 131
52 *Quid de illorum qui vtuntur ritibus & cæremoniis alterius diœceſis?* 132
53 *Quid de illorum, qui ſine ſigno crucis ſacramenta miniſtrant?* 134
54 *Quibus modis vt frequentius peccari cõtingit circa adminiſtrat. ſacrament. tempore peſtis?* 136

CAPITIS SECVNDI

De neceſſitate & modo minſtrãdi ſacramentum Baptiſmi tempore peſtis.

QVÆSTIO I.

VTrum teneantur paſtores miniſtrare ſacramentum Baptiſmi tempore peſtis? p. 142

2 An similiter teneantur obstetrices? p.146
3 Absentibus siue iuste siue iniuste, vel etiã mortuis vel peste infectis pastore & obstetrice, an teneantur alij hõdi pueros baptizare? 148
4 An etiam teneantur pater & mater? 153
5 His omnibus puerum baptizare negligentibus, an liceat hæreticũ publice & nominatim excõitum pro ministratione baptismi aduocare? 154
6 An licea & illũ, qui nõ nisi pro notabili pecuniæ summa vult baptismũ ministrare? 157
7 Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis baptismum ministrare? 159
8 An etiam non petentibus? 160
9 An etiam illis, de quorum vita dubitatur? 162
10 An etiam illis, qui vel in toto vel in parte retinẽtur in matris vtero? 163
11 Etiam illis, quorum sexum ignorant? 166
12 An & illis, quorũ mors accelerãda putatur? 168
13 Pluribus eodẽ tempore baptismũ petentib. quem primo loco tenebuntur pastores baptizare? 171
14 Quis sit optimus & maxime probandus modus baptisandi infantem peste infectum? 174
15 Quid censendum de modo baptizandi illorum, qui longius à fonte baptismatis existentes, vel aqua naturali carentes, baptizant in iure carniũ, in lixiuio, in cereuisia, in luto, in aquis balneorum, in aqua in quam resoluuntur niues & glacies, in aquis frigidis vel calidis salsis? 178
16 Quid de illorum, qui in simili casu baptizant saluæ

litæ conſp rſione? 180
17 Quid de illorum, qui vel ex ignorantia veræ formæ bapt ſmi vel nimio timore contagij præcipitanter b ptizant in n mine Dei, vel Chriſti, vel SS. Trin tatis? 182
18 Qu d de illorum, qui moriturum iam nfantem baptizant trina aſperſione, dicēdo: Ego te baptizo in nomine Patris, faciendo vnam adſperſionem, & Filii, faciendo ſecundam, & Spiritus Sancti, fac endo t rtiam? 185
19 Quid de illorum, qu à longe p ſiti, puta in oſtio domus vel feneſtra, i fantē in lecto vel bra hiis matris conſtitutum aſpergunt aqua cum recitatione debitæ formæ? 187
20 Quid de illorum, qui pucrum per alium iubent aſpergi aquæ, ipſi vero longius conſtit ti ſacramentalia verba pronuntiant? 189
21 Quid de illorum, qui ſimul non adhibent materiam & formam, ſed prius vnam, & poſtea alteram? 193
22 Quid de illorum, qui baptizant in aqua non cō-ſecrata? 197
23 Quid de illorum, qui baptizant ſine ſigno crucis? 199
24 Quid de illorum, qui non tantum Catechiſmū & Exorciſmum, ſed etiam vnctionem chryſmatis omittnut? 201
25 Qu bus modis, vt frequentius peccari contingit circa baptiſmum infantum tempore peſtis 205

INDEX

CAPITIS TERTII.

De necessitate & modo ministrandi sacrum pœnitentiæ tempore pestis?

QVÆSTIO I.

VTrum pastores teneantur ministrare sacramentum Pœnitentia tempore pestis etiam cum periculo vitæ? p.209

2 An possint pastores aliquo casu excusari à ministratione huius sacramenti? 212

3 Pastoribus peste infectis vel mortuis, vel iuste vel iniuste absentibus, an teneantur & alij sacerdotes hoc sacramentum ministrare? 214

4 An peste infectus si à parocho & aliis simplicibus sacerdotibus deseratur nec suæ cõtritioni & conscientiæ satis fidat possit sacerdoti aliunde vocato numerare pecuniæ summam pro ministratione huius sacramenti? 217

5 An etiam possit conducere sacerdotem nominatim præcisum hæreticum, degradatum, suspẽsum, interdictum, vel etiam ipso iure ob manifestam clerici percussionem excommunicatum? 219

6 An etiam non approbatum ab Episcopo? 221

7 An etiam Diaconum, subdiaconum, tandem & laicum? 224

8 Si laicus se sacerdotem mentiatur, & operas suas locet magistratui pro ministratione huius sacramenti an valeat eius ministerium, & si nõ, quam pœnam incurrat? 228

9 Vtrum

9 Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis hoc sacramentum impendere? 230
10 An etiam illis qui præ vi morbi confiteri non possunt, sed tantum tundunt pectus, vel similia signa pœnitentiæ præferunt? 232
11 An etiam illis, qui nullam mentionem confessionis sacerdoti faciendæ fecerunt? 236
12 An & illis qui huiusmodi signa pœnitentiæ dederunt in absentia pastoris? 238
13 An etiam illis quos paulo ante pastor audierat in confessione & non absoluerat, si postea superueniẽs inuenit adhuc viuos, sed amisisse sensũ? 241
14 An etiam pueris 12.11.10.9.8.vel 7.annor. 243
15 An etiam illis qui præ vi morbi in amentiam, phreneſim & furorem acti sunt? 246
16 An etiam illis, qui scrupulis anguntur, & sæpius confiteri volunt? 248
17 An etiam illis, qui paucis ante diebus, veluti octo vel paucioribus ante conceptam pestem confessi fuerunt? 250
18 An etiam illis qui aliquoties à blasphemiis absoluti, quas præ vi morbi euomuerunt, iterum in illas reincidunt? 251
19 An etiam illis quos ante vnam aut alteram horam vidit potu obrutos? 254
20 An etiam suis concubinis? 256
21 An etiam illis qui ceperunt alteri sacerdoti confiteri, si interim Confessarius peste infectus mortuus fuerit? 258

22. An etiam illis, qui volunt confessionem generalem facere? 259
23 Quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc sacram. tempore pestis? 261
24 Quid cauendum sit de modo ministrandi illorū, qui in casu pestis absoluunt pœnitentē his verbis: absoluat te Christus, vel Deus te absoluat, vel, absoluaris à peccatis tuis, vel, remitto tibi peccata, vel sacramentum absolutionis tibi impendo? 263
25 Quid sit de illorum, qui rogant ægrum an habeat peccata mortalia, & intellecto quod nullum designat, non absoluunt sed abeunt? 266
26 Quid sit de illorum, qui propter ægri in loquendo tarditatē ipsi celeriter de peccatis quæ verosimiliter illum cōmisisse existimant, interrogant, & statim annuentē ægrum absoluūt & abeūt? 268
27 Quid sit de illorum, qui habentes plures peste infectos eodem tempore vicinis tuguriolis exceptos ad singulos accurrunt, auditoq; vnius peccato vno, illū statim absoluunt & ad alium atq; aliū transeūt eos similiter audiētes & absoluētes? 270
28 Quid sit de illorum, qui plures peste infectos in eodem cubiculo vel lecto iacentes simul audiunt & absoluunt? 272
29 Quid sit de illorum, qui volunt ægros ad se adducere vt illos ex feneſtra audiant & absoluant? 274
30 Quid sit de illorum, qui volunt peste infectum sibi confiteri in absentia? 275

31 Quid

31 *Quid sit de illorum, qui volunt sibi confiteri per literas?* 280
32 *Quid sit de illorum, qui absoluunt per interpositã personam cui sacerdos committit vt suo loco & nomine verba absolutionis proferat in præsentia pœnitentis?* 283
33 *Quibus præsertim modis peccari soleat circa administrat. sacram. pœnit. tempore pestis?* 285

CAPITIS QVARTI.

De necessitate & modo ministrandi sacramentum Eucharistiæ tempore pestis.

QVÆSTIO I.

VTrum teneantur pastores ministrare sacramentum Eucharistiæ tempore pestis? 293
2 *An etiam cum periculo vitæ?* 296
3 *Absente siue iuste siue iniuste pastore an possit æger aduocare sacerdotem religiosum, qui illi hoc sacramentum ministret?* 298
4 *An possit aduocare nominatim excõmunicatum suspensum, irregularem, realiter degradatum hæreticum?* 300
5 *An etiam Diaconum?* 302
6 *An tandem clericum inferioris ordinis vel etiam laicum?* 305
7 *Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrare?* 308
8 *An etiam in amentiam & furorem actis?* 309
9 *An etiam pueris, & qua ætate?* 311
10 *An etiam illis, qui paucis diebus ante conceptum*

morbum communicarunt? 317
11 An etiam illis, qui viaticum sumpserunt, sed paulo post in peccatum mortale lapsi sunt? 320
12 An etiam de peccato mortali suspectis? 322
13 An etiam illis, quos scit pastor per solam confessionem in peccato mortali versari? 324
14 An etiam publicis vsurariis, concubinariis, meretricib. in publico prostibulo commorantibus? 328
15 An etiam iis, qui frequentem nauseam & vomitum patiuntur, vel qui continuo singultiunt vel sternutant & tussiunt, vel qui vix respirare possunt, vel quorũ lingua ita intumuit, vt vix illã mouere queant, vel ita cruore est madida, vt cõtinuo expuere cogantur, vel ita præ calore & siti aruit, vt nihil præter liquidum deglutire possint? 330
16 An etiam de peste suspectis? 335
17 An etiam sibi ipsi peste infectis? 337
18 Quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc sacramen. tempore pestis? 340
19 Quid censendũ sit de modo consecrandi, & ministrandi illorum, qui non habentes hostiam seu formam panis consuetam ad consecrandũ, consecrant in pane azymo, vel ex hordeo, vel ex auena, vel ex siligine, vel ex spelta confecto, vt illam ægro ministrent? 343
20 Quid sit de illorum, qui consecrant tantum speciem panis? 347
21 Quid sit de illorum, qui consecrant tantum speciem vini? 352.

22 Quid sit de illorū qui consecrant in missa vtrāq; speciem, sed ministrant ægro speciem vini? 354
23 Quid sit de illorum, qui vt ministrent peste infectis consecrant vtramq; speciem, sed alteram in pane fermentato? 358
24 Quid de illorum, qui celebrant non ieiuni, vt ægro sacramentum ministrare possint? 361
25 Quid sit de illorum, qui à longe positi consecrant formulam panis quam æger manibus tenet? 365
26 Quid sit de illorum, qui sine vestibus sacris, hoc est, superpelliceo & stola ministrant? 367
27 Quid sit de illorum, qui vocati eodem tempore ad plures ægrotos, nec habentes nisi vnam hostiam, illam particulatim diuidunt, & singulis etiam exiguam particulam dispensant? 369
28 Quid sit de illorum, qui non habentes nisi vnam hostiam, quam consecrant, sumunt vnam partem in sacrificio, & alteram reseruant ægro pro viatico? 372
29 Quid sit de illorum, qui non habentes hostiam consecratam porrigunt non consecratam? 374
30 Quid sit de illorū, qui sacram. hoc proponūt ægris ex mensa ad hoc composita sumendum? 377
31 Quid sit de illorum, qui proponunt ægris ex scutellis sumendum? 379
32 Quid sit de illorum, qui ministrant hoc sacramētum vsuali & communi pani inuolutum? 381
33 Quid sit de illorum, qui oblongiori forcipe vel aurea vel argentea, vel simili Eucharistiam tenent

& sic ægro porrigunt? 383
34 Quid de illorum qui spatulæ oblongiori Eucharistiam infigunt, & sic in os peste infecti immittunt? 386
35 Quid de illorum, qui digitis chirotheca vel simili aliqua re tectis hoc sacramentum ministrant? p. 388
36 Quid sit de illorum, qui dant sanis Eucharistiam asseruandam, vt si peste corripiantur illam sumant? 390
37 Quibus modis potissmum peccari solet in administratione sacram. Eucharistiæ temp. pest. 392

CAPITIS QVINTI.

De necessitate & modo minstrãdi sacramentum Extremæ vnctionis tempore pestis.

QVÆSTIO I.

VTrum teneantur pastores ministrare sacramentũ Extremæ vnctionis tempore pestis? 397
2 An etiam cum periculo vitæ? 399
3 An teneantur etiam ministrare tempore interdicti? 403
4 An etiam teneantur sacrificium missæ cœptum deserere vt peste infectis hoc sacramentum ministrent? 405
5 An absente vel mortuo pastore teneantur & alij sacerdotes ministrare hoc sacramentum? 407
6 An etiam Religiosi teneantur hoc sacramentum ministrare? 409

7 An teneantur & ipsi Episcopi? 410
8 An absente Episcopo & reliquis sacerdotibus liceat peste infecto aduocare aliunde sacerdotem aliquem excommunicatum vel suspensum? 411
9 An liceat tandem aduocare Diaconum, Subdiaconum, Clericum, vel etiam laicum, si sacerdos haberi non potest? 414
10 Vtrum teneantur omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrare? 416
11 An etiam illis, de quibus dubitatur, an sint peste infecti? 418
12 An etiam illis qui peste infectis seruiunt? 420
13 An etiam illis, qui recenter pestē conceperunt? 421
14 An etiam illis, qui existimantur mortui? 423
15 An etiam illis, qui volunt sibi ministrare in ecclesia, in sylua, in publica platea. 425
16 An è contra illis, qui volunt sibi ministrari in lecto, cum iis sint viribus, vt possint domo infecta egredi, & ad salubriorem locum migrare? 428
17 An etiam pueris, qui capaces sunt sacramenti Pœnitentiæ? 429
18 An etiam adultis, qui sacramentum Eucharistiæ nondum receperunt? 432
19 An etiam in amentiam & furorem actis? 434
20 An etiam non pœnitentibus? 436
21 An etiam illis, quorum omnia corporis membra pestifero sudore madent, vel quorum anhelitus præter solitum immodice fœtet? 438

22 Quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc sacramentū tēpore pestis? 440
23 Quid sit censendum de modo ministrandi illorū, qui inungunt peste infectos oleo rosaceo aut ex aliis floribus vel herbis expresso? 441
24 Quid sit de illorum qui ministrant in oleo oliuarum non benedicto? 443
25 Quid sit de illorum, qui inungunt oleo oliuarum, cui admixtus est alius liquor? 445
26 Quid sit de illorum, qui non habentes oleum infirmorū vngunt peste infectos chrysmate? 447
27 Quid sit de modo illorum, qui ministrant pertertendo ordinem vnctionum? 449
28 Quid sit de illorum, qui omittunt vnctionem pedum & renum? 451
29 Quid sit de illorum, qui vngunt tantum vnum oculum, vnam aurem, & sic de reliquis sensuum organis? 453
30 Quid sit de illorum, qui vngunt tantum organū magis ad vnctionem expositū hoc pacto formam recitando: per istam sanctam vnctionem & suā misericordiā indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, auditum, gustum, tactum & gressum? 454
31 Quid sit de illorum, qui vnico breuissimo motu attingunt quinq; organa sensuum, liniendo vnum oculum, vnam aurem, vnam manum, nares & os, & super hanc totam vnctionem vnicā breuissimam formam proferendo, videlicet, per has

has sacras vnctiones remittat tibi Deus quicquid per visum, auditum, odoratum, gustum vel tactum peccasti? 460
32 Quid sit de illorum, qui ad vitandam contagionem inungunt sine oratione, dicendo tantū hæc duo verba: vngo te & statim abscedunt? 462
33 Quid sit de illorum, qui loco vnctionis distillant guttam olei in corpus peste infecti? 463
34 Quid sit de illorum, qui non manu immediate, sed spatula oblongiore ad vitandum contagionis periculum peste infectum inunguni? 465
35 Quid sit de illorum, qui ministrant hoc sacramentum sine clerico subseruiente? 467
36 Quibus modis frequentius peccari solet in administratione Extremæ vnctionis temp. pestis? 469

CAPITIS VI. ET VLTIMI.

De necessitate & modo ministrandi sacramentum Matrimonii tempore pestis.

QVÆSTIO I.

VTrum pastores teneantur præsentiam suam exhibere celebrationi matrimonij tempore pestis? 473
2 Absentibus siue iuste siue iniuste pastoribus quis teneatur prouidere de sacerdote qui celebrationi matrimoniorum interfit? 479
3 An pastor non habens quem substituat præter sacerdotem excommunicatum possit illum, vt matri-

matrimonij celebrationi interſit ſubſtituere? 481
4 An poſsit quoq; ſubſtituere non approbatum ab Epiſcopo, ſuſpẽſum, interdictum, irregularem? 482.
5 An Ordinariis deficientibus parocho & aliis ſacerdotibus, poſsit ſubſtituere parochum necdum ſacerdotem? 484
6 An parochus non ſacerdos poſsit ſubſtituere ſacerdotem? 488
7 An Ordinarius vel parochus poſsint ſubſtituere Diaconum, ſubdiaconum, vel alterum Clericum? 490
8 Si contrahere volentes dicant, Ordinarium vel parochum ſubſtituiſſe aliquem alium ſacerdotẽ, qui illorum matrimonio intereſit, an poſsit vel etiam teneatur Sacerdos ille credere & matrimonio aſsiſtere? 492
9 Vtrum paſtores teneantur omnibus peſte infectis contrahere volentibus præſentiam ſuam exhibere? 494
10 An paſtor teneatur præſentiam ſuam exhibere peſte infectis amentibus & furioſis contrahere volentibus? 496
11 An etiam illis qui ſecundo contrahere volunt eo quod primum matrimonium fuerit invalidum ob occultum impedimentum? 498
12 An etiam illis, inter quos paſtor ſcit per confeſsionem eſſe impedimentum annullans? 501

13 An

13 An etiam illis, inter quos pastor scit, aliunde extra Confessionem esse impedimentum? pag. 503
14 An etiam Vagabundis? 505
15 An etiam illis, qui ob contagionem vitandam ex parochia in qua est promulgatum Decretum Concilij Tridentini matrimonia clandestina irritans, fugerunt in externam parochiam, in qua illud non est promulgatum? 507
16 An etiam illis, qui econtra fugerunt ex parochia in qua nõ est promulgatum dictum Cõcilij Trid. decretum, in parochiam in qua est promulgatum? 511
17 An etiam illis, qui virginem defloratam, data fide de matrimonio, si ante votum de suscipiendo Ordine sacro seu castitate seruanda emiserunt? 513
18 An etiã illis, qui prius fidem alicui virgini de matrimonio dederunt, & postmodũ similem dederũt alteri virgini, copula subsecuta? 515
19 An etiam illis, ex quorum matrimonio Pastor timet probabiliter magnum scandalum futurum? 517
20 Quis est optimus & maxime probandus modus celebrandi hoc sacramentum, tempore pestis? 519
21 Quid sit censendum de modo ministrandi illorum, qui volunt peste infectum contrahere per

per procuratorem? 521
22 Quid sit de illorum, qui volunt peste infectum contrahere per epistolam? 524
23 Quid de illorum, qui contrahunt coram parocho casu ante illorum fores præterunte? 527
24 Quid sit de illorum, qui contrahunt coram testibus primo occurrentibus, puta, mendicis, excommunicatis, infamibus, seruis, ancillis? 529
25 Quid de illorum, qui cum possint simul habere parochum & testes, modo contrahunt coram parocho, & postea coram testibus? 532
26 Quid sit de illorũ, qui in extremo articulo mortis existentes contrahunt coram testibus in absentia parochi? 534
27 Quibus potissimum modis peccari solet in administratione sacramenti matrimonij? 537

FINIS INDICIS.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De neceſsitate & modo miniſtrandi Sacramenta tempore Peſtis.

QVÆSTIO I.

Vtrum Sacramenta ſint miniſtranda tempore Peſtis?

Quæſtionis explicatio.

ERo fundamento dicendorum in hac & ſequentibus quæſtionibus, ponimus (a) primo, ſacramẽta eſſe veluti quædam *medicamenta, quibus Samaritanus Dominus noſter* (b) *peccati Originalis & actualis vulnera ſanat, eſſe quoque inſtrumenta gratiæ, per* (c) *quæ omnis vera iuſtitia vel augetur, vel amiſſa recuperatur.*

a *Luca 10.*

b *Magiſter ſentent. li. 4. diſt. 1. litt. T.*

c *Conc. Trid. ſeſſ. 7. de ſacr. in proem. & can. 4.*

Secundò, in ſacramẽtorum adminiſtratione quædam pertinere ad illorũ ſubſtantiam; vt ſunt, materia, forma, & debita eorũ applicatio, ſine quibus nullo caſu occurrẽte perfici poſſunt: quędam eſſe veluti illorũ accidentia, vt ſunt ritus & cæremoniæ ab eccleſia inſtitutæ, cũ quibus etſi ordinarie pro maiori illorum reuerentia miniſtrari debeant, ſine illis tamen in neceſſitate ſubſiſtere poſſunt, quæ notiora ſunt quam vt probatione egeant.

Tertiò, (d) *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia Dei fuiſſe, vt in ſacramentorum diſpenſatio-*

d *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de cõmunione ſub vtraq; ſpecie.*

nè, salua eorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suspicientium vtilitati seu ipsorũ sacramẽtorum veneration, pro rerum, locorum & temporum varietate magis expedire iudicaret.

a *Cont. Trid. sess. 7. can. 13*

Quarto, dici(a) *anathema illi qui dixerit receptos & approbatos ecclesiæ catholicæ ritus in solẽni Sacramentorũ administratione adhiberi cõsuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in nouos per quemcumq; ecclesiarum pastorem mutari posse.*

Ex quibus infertur primo, ad summos Pontifices pertinere constituere ritus & cęremonias Sacramentorũ quæ vniuersalem ecclesiã afficiant, ad Episcopos, q̃ suam tantũ diœcesim, inferiores vero ecclesiarũ pastores, nihil circa ritus huiusmodi posse sine sumi Pontificis vel Episcopi auctoritate.

Quinto certum esse, quod communiter Doctores Scholastici aiũt. *Sacramenta ex attritis facere contritos*, hoc est, conferre gratiã iustificantem, etiam illis, qui tantum imperfectam habent contritionem, si voluntatem peccandi deponant. Quod Concilium (b) Tridentinum videtur confirmare,

b *Sess. 14. can. 4.*

cum dicit, *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere homi-*

hominem hyprocritã. & magis peccatorẽ, vt volũt nostri hæretici, verã etiam donũ Dei esse, & spiritus sancti impulsum. non adhuc quidẽ inhabitantis, sed tantũ mouentis quo pœnitens adiutus viã sibi ad iustitiã parat. Et paulo inferius, cũ de eadẽ attritione seu contritione imperfecta loquens dicit, *eam, q̃ uãuis sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationẽ perducere peccatorẽ nequeat, tamẽ ad Dei gratiã in sacramento pœnitentiæ impetrandã disponere.* Et quãuis Contilium hoc loco id sacramẽto pœnitentiæ tantũ attribuat; eandẽ tamẽ virtutẽ tribuẽdam esse & reliquis sacramentis. Doctores suprafati concorditer asserunt, quia nisi id concedatur, nunquam accideret vt huiusmodi sacramenta reipsa conferrent gratiã non habenti, quod pugnat cum sententia eorum locorum scripturę, in quibus virtus illorum sacramentorum continetur. Quæ doctrina diligenter parochis notãda & obseruanda, tum quia illustrat mirum in modum virtutem sacramentorum, quorum illi ministri sunt, tum quia fidelibus sibi subiectis magno est solatio; fateri siquidem debemus, non solum ægritudine pressos, sed & maiorem plebis partem loco contritionis solum attritionem concipere, qua etiã accedente voto sacramenti nunquam eos iustificaret, atque ita in æternum perirent;

nisi applicato actualiter aliquo sacramẽto, virtute cuius gratiam iustificantem reciperent, qua, si statim ex hac vita migrent, in æternum saluantur.

Sexto, diligenter quoq; à pastoribus notandum q̃ (*a*) quoties exoritur dubiũ probabile de aliqua re necessaria ad sacramẽti alicuius administrationẽ, puta, de materia, vel forma, vtrũ sit certa vel incerta, vel de susciepiente, an sit bene dispositus, vel non, vel de ministrãte, an habeat, vel nõ habeat sufficientem potestatẽ, sacramentũ debere ministrari sub conditione, vel expressa, vel tacita: Expressa, si dubiũ sit publicũ, ad sedandum per illã scandalũ: Tacita, siue subintellecta, si dubium sit occultũ, quia hac ratione subuenitur periculo probabili animarum, ne fideles sacramento priuentur, per q̃ de attritis fiant contriti, iuxta regulã statim dictam, & nullum est periculum irreuerentiæ vel iterationis sacramenti, quia conditio apposita vel cõcepta illud excludit. Neque obstat si plures rationes sint cõtra ministrationem sacramẽti, puta, baptismi, vt si dubitetur an quis sit baptizat⁹, sint tamen probabiles, quod non sit, quamuis pauciores, ille nihilominus debet baptizari sub conditione. Similiter si dubitetur, an quis sit dispositus ad recipiendã absolutionem

(*a*) arg. cap. 2. extra de baptis. & D. Leonis exempla ad rustic.

nem sacramentalem, Eucharistiam, Extremam Vnctionem, & sint plures rationes & verisimiliores quod non sit dispositus, sint tamen aliquæ probabiles quod sit dispositus, debet ministrari sacramentum, (a) *quia in dubiis sequenda est opinio quæ fauet animæ.*

a *Ex Iason. lib. 1. cap. de summa Trin num. 56.*

Confirmatur, quia licet Dd. dubitent, an valeat baptismus in solo pede vel manu, & teneant tanquã verosimilius nõ valere, saltẽ quando puer non est omnino natus, & multi, etiamsi sit omnino natus, nihilominus omnes docent in articulo mortis dandũ esse tale baptisma in solo pede vel manu, si aliud fieri nõpotest, ergo idẽ dicendũ erit & in ministratione aliorũ sacramentorũ. Confirmatur 2. (b) quia necessitas & periculũ alicuius grauis dãni & maxime damnationis æternę, faciunt sententiã practice probabilẽ, quæ alias vix esset probabilis, vt patet ex vsu ecclesię dantis sacramẽta in articulo mortis minore examine, quã daret si talis necessitas non vrgeret, vt quãdo datur Extrema Vnctio ei, qui cõfossus fuit gladio ab aliquo, cũ quo proxime rixabatur. Quæ omnia conformia sunt (c) sacris Canonib⁹ & Pontificũ decretis, quæ diligẽtissime cõmẽdãt administrationẽ sacramẽtorũ in articulo mortis, ne Pastores fiãt rei animarũ.

b *Sot. relect. de tegend. secret. memb. 3 q. 2. concl. 3.*

c *Si presbyter & cap. agnouimus &c. presbyter de consec. dist. 2. & ca. Maiores de baptismo & cap. Quod in te de pœnit & c. alma mater de Excom. l. 6*

Septimo, pestem seu epidemiam oriri a-

liquãdo ex ſpeciali Dei ordinatione ad pec catorũ punitionẽ &iuſtorũ probationẽ: Aliquãdo ex cauſis naturalib⁹, vt corruptione aeris & ſimilibus; ordinarie ex vtroq;, vt ex Patribus & Scripturis ante nos Gabriel (a) Biel annotauit.

a *Serm. dominica poſt Pentecoſt. q. de fuga peſtis.*

Octauo, iuxta medicorũ ſententiã & experiẽtiã peſtẽ natura ſua morbũ eſſe læthalẽ, contagioſũ, & malignitate ſua omnes alios ſuperantẽ, breui admodũ tẽpore quos corripit enecantẽ. Hinc appellat̃ nomine latino *peſtis* à paſcendo, quia (b) (inquiunt) veluti efferatus rabie draco, aut fera venenata ciuitates populosque depaſcit: Et (c) *morbus* nomine generico, pp excellentiam, quia reliquas omnes ægritudines vi & magnitudine ſua longe ſuperat, (d) vel qa graſſante peſte omnia morborũ genera in illũ vnũ conuerti ſolent, vt plerumq; nulla prẽter peſtẽ ęgritudo appareat: Vocatur etiam (e) *epidemia* græco vocabulo, quia plurimos eodẽ tempore, eadem in prouincia, ciuitate, & pago, corripere ſolet: Et *contagio*, quod vnus ab alio peſtem concipiat; quam conditionem egregie expreſſit Lucretius de admiranda Athenarum peſte loquens:

b *Ioannes du Chaiſne li. 1. de peſte recognita & debellata ca. 2.*
c *Marc. Ficinus in Epid. Antid.*
d *Thucidid. lib. 2. hiſt. de peſte Athen.*
e *Amb. Cal. vocab. Epidemici. Vide Thucid. li. 2. hiſt.*

Idque vel in primis cumulabat funere funus.
Quippe enim nullo ceſſabant tempore apiſci.
Ex aliis alios auidi contagia morbi.

Et

Et est triplex contagionis genus (quod etiam parochos scire non parum interest:) vnum vocant *per cõtactum*, à quo nomen cõtagionis originem habet, vt si quis contingat peste infectũ facile pestem cõcipit, sicut si pomũ corruptum alia contingat, illa statim corrumpuntur. Alterum *per fomitem*, vt si quis contingat vestes, lintea, indusia, pelles, plumas, pilos, stramina, libros, chartas, & his similia peste infectorũ, in quibus sc. ipsa infectio, tanquã in fomite, longissimo quandoque tempore foueꝰ, peste facile corripietur. Tertium vocant *ad distans*, vt siquis hauriat aerem pestiferum à distãtissimis subinde locis proueniẽtem. Quod Atheniẽses experti fuerũt, vt (*a*) Euagr. & (*b*) Thucid. testantꝰ, & Lucretiꝰ hoc carmine:

Ioannes de Chaisne.

Nam penitus veniens Aegypti è finibus ortus,
Aera permensus multum camposq́ natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis, omnes
Inde cateruatim morbo mortiq́ dabantur.

a *lib. 4. hist. c. 28.* b *supra*

Demum appellatur *venenum* (c) *aconitale*, sic dictum græcè, quod mortem acceleret, & breui admodum tempore hominẽ ex hac vita eripiat, quod medicus (*d*) quidam graphice hisce verbis describsit: *Hoc malum miserabile mortalibus ita euenit subito, vt plurimum sine febre inter domesticas ac forenses actiones, vel publica negotia decem horarum spatio, quidam*

c *Ioannes du Chaisne sup.*

d *Alex. Benedict. de febre pestil. cap. 8.*

dam viginti, sine vrina pulsuq; venarum certo signo, in vi-, in publicis officiis ex insperato rapiantur, ita miseram humanæ superbiæ ambitionem ostendit sæua pernicies, vt homo interdum lætus, iucundus, securus, leui temporis momento statim cadat. Et quidam (*a*) alius. *Videas* (inquit) *non raro syderatorum instar concidere de repente eos, qui peste correpti sunt, cum alioquin his neque pulsus exitialis nec vrina, nec vix vlla aduersæ valetudinis signa appareant saniq; videantur, ac statim loquentes & incedentes, tanquam fulmine icti pereunt, quod à me,* addit, *sæpissime per pestilentis aeris constitutiones obseruatũ fuisse, ea præsertim, quæ sub annũ 1534. in Galliæ Narbonẽsis parte grassata est, testari ipse possum.* Postremo ponimus Doctores (*b*) Canonistas & nostros (*c*) Scholasticos verissime asserere, omnes peste infectos esse in articulo mortis, in quo frequẽter, & vt plurimũ solet mors accidere. Et confirmatur, quia iidem Doctores longe minoribus morbis affectos in illo articulo esse asserunt, vt læthargo, squinantia, dolore laterũ, morbo puncticulari laborãtes, item parturientes, si sint difficilioris partus, vel sint primo parturiẽtes, & similes. Neq; distinguim⁹ in hoc tractatu inter articulũ mortis & periculum, vt (*d*) quidam faciunt, dicentes, tunc quempiam esse in articulo mortis, quando mors proxime instat

a Valer. in locis commun.

b Panor. post Host. in c. pastoralis, §. 1. n. 5. de off. or.

c Gabr. in 4. dist. 15. q. 1. a. 3. Sylu. verb. Interdictum, 5. q. 7. Nau. c. 2. num. 8.

d Sotus in 4. dist. 18. q. 4. a. 4. vers. Quæris autem. Valent in 4. dist 7. q. 10. §. Primo cum patet.

instat, & moraliter est certa & ferè ineuitabilis. In periculo autem, quando est probabile dubium, & frequenter in tali casu solet mors accidere, quia quoad effectus sacramentorum per quemcunq; sacerdotem in absentia proprii ministrãdorum, & absolutionis ab omnibus censuris & peccatis aliisq; similibus (de quib⁹ loqui intẽdimus) iura non distinguunt. Et probatur ex (*a*) capite, *Si quis suadente diabolo*: & (*b*) capit. *Non dubium*, vbi posita vtrobique reseruatione excommunicationis, quod in priori nominatur periculum mortis, idem in posteriori per articulum mortis exprimitur. Et d. capitulo, *eos* (*c*) *qui*, nunc periculum nunc articul⁹ mortis appellatur. Et suadet idipsum optima ratio, quia morale periculum perinde æstimari debet, & in malis ita caueri, ac ipse euẽtus: propterea enim dictum est, *Qui amat periculum peribit in illo*. Deinde quia etti in quibusdam distingui possit periculũ mortis ab articulo; tamen in casu pestis, in quo nunc versamur, moraliter loquendo, non possunt distingui, cum omnes peste infecti in eo sunt statu (sicut loquitur (*d*) Illust. Borromæus) vt timendũ sit, ne vel ad punctum temporis mortem obeant: Et Gabriel (*e*) Biel absolute & simpliciter asserit, illos omnes esse in articulo mortis, & extre-

a *ca. 17, q. 4.*
b *de sen. excõ.*
c *de sent. excom. in 6.*
d *de cur. pest. c. 26. num. 3.*
e *Supra.*

ma neceſſitate. His ita poſitis quęſtio eſt, an ſint miniſtranda ſacr̃ta tempore peſtis?

Reſponſio.

NOn tm̃ tempore ſalubri, ſed & maximè peſtilẽtiali miniſtrãda ſunt ſacr̃ta. Probatur 1. vſu & conſuetudine vniuerſalis Eccleſię, q̃ ſemper ſolicita valde fuit, vt ſacramentorũ miniſtri cauerẽt, ne quem ſua negligentia ex hac vita ſine ſacr̃tis migrare ꝑmitterent, ꝓut plurimis, iisq; grauiſſimis Conciliis (*a*) oſtendi poteſt. Probatur 2. authoritate (*b*) Scholaſticorũ, qui oẽs docent ꝑcepta, quibus ſacerdotes obligant̃ fidelib. miniſtrare ſacr̃ta, maxime obligare in articulo mortis. Tandem ꝓbatur ratione: Paruuli peſte infecti, vel de ea ſuſpecti, puta, quia nuper ſunt ex matre peſte infecta geniti niſi ſtatim baptizent̃, æternæ dãnationis ꝑiculo exponũt̃, & adulti peccato mortali obnoxii, niſi quantocius ſacr̃tis Pœnitẽtię, Euchariſtiæ, Extremæ Vnctionis muniant̃, plerunq; in eadem ſpirituali neceſſitate, & dãnationis ꝑiculo verſant̃, vt in ꝓgreſſu de ſingulis ſacr̃tis oſtendemus.

a *Nicen. c. 13. Tolet. 11. c. 15 Agathẽ. c. 11. Aranſ. c. 13. Arelat. c. 12. Aurel. c. 24.*

b *Richar. in 4. diſt. 12. a. 6 q. 1. Durã. diſt. 9. q. 2. a. 2. Gab. q. 7. Sotus diſt. 12 q. 1, ar. 11, & alii.*

Dices: In huiuſmodi aꝛlo ſufficit cõuerti ad Deum ꝑ virtutẽ pœnitentiæ: ſic enim apud Ezech legimus: *Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; diuꝛe cõrſus fuerit:* ſufficit ergo couerſio ad Deum per contritionẽ abſq; ſacramentis. Reſp.

R. Contritionem eo casu admodũ esse difficilem, & fideles exponi magno salutis æternæ periculo, si cũ hoc solo remedio relinquãtur, vt passim docent Patres, ac pſertim D. (a) Greg. Euseb. (b) Emissen. & Ioẽs Climachus. Neq; obstat si dicas, contritionem non esse difficilem cum diuina gratia, quæ pſtò adest homini, si p ipsum non stet, quia sufficit illã difficilẽ esse ex parte hominis, cum debeat includere purã dilectionẽ Dei super oĩa, & augeat graſſante peste cõtritionis difficultas, tum ꝓpter corporũ debilitatẽ, q̃ multũ distrahit animũ à ſpitualib. pſertim in hoĩbus vulgarib⁹, qui communiter parum sunt in illis exercitati, tum ꝓpter diuini iudicii terrorẽ, quo tunc poti⁹ homo mouet, quàm amore: tum deniq; ꝓpter periculũ tentationũ, vel nimiæ tristitiæ vel desperationis, qua facile possent absorberi, si à pastoribus, parẽtibus & amicis suis deserantur. Confirmatur, quia etsi fieri possit, q̃ hic vel ille verã contritionẽ peccatorũ conceperit, neq; (vt apparet) reali sacramẽtorum ꝓceptione ad salutem consequendam egeat: non potest tamen negari, quin multo plures sint, qui solam attritionem conceperint, quæ sine sacramento realiter suscepto illis ad iustitiam & salutẽ ꝓdesse non potest, vt initio diximus.

a *Homil. 39. in euang. & lib. 24. moral. ca. 17. & 18.*
b *Hom. 1. ad monach.*
c *De grad. 3 gradu 7.*

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quinam teneantur sacramenta ministrare tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

DVplex est genus obligationis, iustitię, & charitatis: Iustitiæ, illorum est, qui ex officio & veluti mercede conducti ad aliquod munus obeundum se obstrinxerũt, vt sunt, q̃ in publicis officiis & magistratib. se populo & Reip. seruituros spoponderũt. Charitatis illorum, qui gratis absque vlla mercede, sola p̃ximi miseria & necessitate impulsi, propter Deum, illi necessaria subministrant: quærimus inprimis de illis, qui ex debito iustitię, postea de aliis, qui ex sola charitate tenentur, quæsituri.

Responsio.

PAstores tam superiores quàm inferiores, tenentur ex debito iustitiæ, quisque pro gradu suo, sacramenta rempore pestis, populo sibi subdito ministrare: quia tam hi, quam illi, ratione dignitatis & officii tenentur procurare salutem animarum sibi commissarum, quod fit maxime prædicatione verbi Dei & sacramẽtorum ministratione, idque toties, quoties necessitas spiritualis gregis hoc requirit: ad hoc enim decimas, oblationes, & alios ecclesiasticos redditus, velut mercedem recipiunt. Sed tempore graſ-

grassantis pestis, cum mors singulis imminet, necessitas spiritualis maxime postulat, vt omnes muniantur sacramentis, siquidē tunc sibi merito quisque timere debet, ne illius contagione, ex improuiso corripiatur, vt & morbus violentissimus est, ne illo ipso die vel hora ex hac vita imparatus eripiatur. Et confirmatur; quia alias populus totus destitueretur ministris, qui sacramenta ad salutem necessaria, vel maxime vtilia ministrarent, quod est absurdum, & cōtra omnem catholicæ ecclesiæ disciplinam.

Dixi (*quemq; pro suo gradu teneri*) quia superiores, puta, Episcopi, tenentur ratione dignitatis episcopalis ministrare sacramentū confirmationis & ordinis, idq; per se proxime & immediate: Inferiores vero, vt parochi, tenētur ministrare reliqua sacramenta; quibus deficiētibus tenerētur ipsi Episcopi & alii superiores, etiam ex debito iustitiæ, cū & ipsi sint pastores animarum, & illis incūbat spiritualem ouiū suarū salutē procurare, vt alibi pulchre deducit D. (*a*) Thomas.

Dices: plerique omnes parochi bene præsumunt de salute suorum subditorum, puta, quia sunt catholici, & solent quotannis in paschate sacramēta percipere, nec sciūt, ab illo tempore eos in aliquod peccatum reincidisse, ergo saltem stante huiusmodi præ-

(*a*) *Quodlib. 1. artic. 14. & quodli. 3. art. 7.*

præsumptione pastores non tenebuntur sa cramenta ministrare.

℟. Est hæc sicut nimis frequens, ita & nimis periculosa quorundã parochorum excusatio, siquidem vt quis illo casu possit ab administratione sacramẽtorũ excusari, nõ sufficit quælibet præsumptio de bono statu subditorũ; puta, q̃ præsumantur esse in bono statu, qa non sciuntur esse in malo, sed debet illis positiue & moraliter cõstare de bona illorũ dispositione, quãuis præsũptione illa negatiua vti quis possit in iis, q̃ fauorabilia sunt alteri, non tamen in iis per quę negatur illi debitũ, cũ periculo saltẽ dubio æternæ damnationis.

Dices, tenentur ergo omnes tẽpore grassantis pestis sacramenta recipere?

℟. Diximus modo omnes oportunissime petere, & (4) Petrus de Ledesma asserit omnes teneri recipere duobus casibus. Primo cũ in ciuitate ita grassat pestis, vt multi quotidie subito moriãtur: altero quãdo timet probabiliter, ne defuturus sit pastor vel confessarius si peste inficiãtur. Ratio potest esse qa secũdũ communẽ, tenẽtur omnes in periculo mortis sacrãtis se munire, peste a. grassãte omnes sunt inhm̃di piculo, vti dixim⁹

(4) 1 part. sum mæ de pœnit. cap. 9. contil. 4. dub. 1. Et insinuat Borrom. de cura pestil. c. 3. num. 4.

Dices 3. Quale peccatum est non ministrare sacramenta tempore pestis?

Respon-

R. Est mortale, illudq; tanto grauius homicidio quanto animus est præstãtior corpore; qui enim tunc populum deserit quãtum in se est, fit reus animarũ, quæ defectu sacramentorum vel in æternum cruciabũtur, vel diuturniores in purgatorio pœnas sustinebũt: & idcirco huiusmodi animicidæ (a) à sacris canonibus vocãtur, dicunturq; ea de re strictissimam Deo rationem reddituri.

a ca. Si presbyter & seq. 26. quæst. 6.

QVÆSTIO III.

An teneantur pastores sacramenta ministrare cum periculo vitæ?

Quæstionis explicatio.

PAstores teneri tempore pestis sacramẽta ministrare, si hoc possint absq; periculo cõtagionis, nemo catholicorũ, quod sciã, negat; verũ an teneantur quando omnibus circũspectis & tentatis ad vitandum huiusmodi periculũ, nihilominus iudicio peritorũ nihil proficitur, (b) nõ desunt qui dicant non teneri per se & simpliciter, sed tantũ in quibusdã casibus. Horũ occasione quæritur, an pastores per se & regulariter teneãtur ministrare sacramẽta peste infectis, quando omnibus tentatis remanet ad huc periculum contagionis?

b Speculum Episcopi li. 1. disp. 1. qu. 1. Armilla ver Episcopus. 6. Tabien. eodẽ verb. nu. 5.

Responsio.

TEnentur regulariter. Probatur 1. quia hæc

hæc est lex boni pastoris à Christo omniũ pastorũ principe præscripta, vt quãdo salus gregis hoc postulat, vitã corporalẽ ponat p vita illius (a) spirituali; sic n. SS patres illud Ioannis semper intellexerunt: (b) *Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis* Hoc autem periculosissimo pestis tẽpore salus gregis illud maxime exigit vt ante ostensũ est, deinde parochus tenetur nõ solum ex charitate, sed etiã ex iustitia populo suo sacramenta illo tempore ministrare, vt ex dictis patet: ergo hæc obligatio vrget etiam cum periculo contagionis & vitæ corporalis, nã ad aliquid amplius tenetur parochus in eo casu quã alius, propterea n. (vt diximus) alitur à populo & decimas percipit, vt tẽpore quo oues ab aliis deserũtur ipse subueniat. Præterea dux militiæ corporalis obligatur occurrẽte pugnæ occasione vitã suam corporalẽ periculis exponere, ergo magis parochus qui est dux militiæ spiritualis, tenetur occurrẽte pestis grassatione qua subditi maxime spiritualis pugnæ discrimen obeunt, vitæ corporalis periculũ adire, ministrando sacramenta, quę ad vincẽdos illius temporis insultus, & periculosissimas, quibus exponũtur, infidelitatis, desperationis, & impatiẽtiæ tentationes, sunt arma oportunissima. Dixi (*si aliter periculũ vitari nõ põt*) quia

(a) D. Chryso. ho. 59. in Ioã D. Aug. ser. 5. de verb Dõ & serm. 149 de tem. & in Epistolã. ad Honorat, D. Gre. in hõ locũ Ioan. 10. Theophil, ibid. D. Tho. 2. 2. qu. 37. art. 5. & alii.

(b) Ioan. 10.

quia propria charitas obligat pastorem ad procuranda media conuenientia ad illud vitandũ,& (a) Communitas ipsa obligatur prouidere pastoribus de antidotis & remediis ad præseruationem illorum. Et ipsi peste infecti tenentur se accommodare & accedere ad sacramenta, minimo quo fieri potest periculo pastorum, vt bene notauit (b) Borromæus, vt in progressu latius patebit.

a *Gabr. Biel. q. de fuga pestis. Franc. Rip. de peste, c. de remed. nu. 2. & seq.*

b *Borrom. de cura pestilẽtia, c. 15. n. 2.*

Dices, tenenturne ergo Communitas & ipsa peste infecti adhibere omnia remedia possibilia ad vitandum tum in se, tum in aliis contagionis periculum?

℟. Non tenẽtur. Si quidem præceptum de conseruanda vita siue sua, siue alterius cum sit affirmatiuum, nõ obligat nisi quodam morali modo, proinde non tenentur omnia facere quæ videri possunt conuenire & conducere ad vitam conseruãdam; alioquin eadem ratione deberemus damnare illos qui grassante peste non migrarent ad salubriorem regionem, similiter qui non emerent omnes eas res præseruatiuas, quæ illo tempore à Medicis præscribi & excessiuo pretio vendi solent, quin & illos qui non vterentur his & illis delicatioribus cibis, quibus nobiles & ditiores tunc vtuntur; de quibus & similibus vide

Franciſcum à Victoria (*a*) relectionibus de temperantia & homicidio (*b*).

Dices 2. Obligatio ſubeundæ mortis, quæ hominibus maxime terribilis eſt, non debet affirmari, niſi diuinum de hoc mandatum palam conſtiterit : ſed vbi Chriſtus (*c*) ait : *Bonum paſtorem pro ouibus ſuis animam dare*, Conſilium magis ſignificare videtur quam præceptum.

Rſ. Non conſilium ſed legem & præceptum à Chriſto dari, vt ex Patribus & eccleſiæ Doctoribus ante citatis videre eſt: Neque lex illa nimis terribilis debet videri, tum quia omnes res temporales ad hoc à Deo creatæ ſint vt promoueant ſalutem hominum ſpiritualem, tum quod Chriſtus ipſe Deus & homo vitam omnium rerum temporalium præſtantiſſimam pro ſalute ouium ſuarum poſuit, naturalis ergo & diuinus ordo poſtulat, vt qui in ordinem paſtorum animarum coaptari volunt, eandem obligationem ſubeant, vitamque corporalem pro illarum ſalute ſpirituali profundere parati ſint, vt bene notauit Sotus.(*d*)

a *n.* 9. & 13.
b *n.* 24. 33. & 34.
c *Ioan.* 10.
d *de iuſtit. & iure, lib.* 10. *q.* 3. *art.* 1.

Quæſtio

Quæstio quarta.

Si Pastor metu contagionis non ausit sacramenta ministrare, an licebit illi loco cedere, & Sacerdotem qui vices suppleat substituere.

Quæstionis explicatio.

PAstores quibus incumbit sacramenta & alia ad salutem necessaria peste infectis ministrare, nisi magna salutis proximi charitate ardeant, frequenter subditis in hac necessitate cõstitutis seruire detrectãt, conquisitis multis siue veris, siue falsis, siue iustis siue iniustis excusationibus. Qui morbus cum sit ipsa peste corporali longe deterior, vtpote qui parochorum animas sub prætextu salutis corporalis, lethali veneno inficiat, necnon fidelium illis concreditorum salutem, quæ à ministerio pastorum pendet, æternæ damnationis periculo exponat, animus est passim in hoc tractatu huic morbo mederi, subterfugiisque & excusationibus, quas huiusmodi obtendere solent, respondere. Horum ergo occasione quæritur primo: An excusetur pastor, si à parochia sua recedat cum licentia superioris, constituto alio sacerdote, qui eius nomine sacramenta administret?

Responsio.

PAstor recedens à parochia sua, cum licentia superioris, excusatur; si modo loco suo constituat alium sacerdotem sufficientem, & ab Ordinario approbatum, nec ipse pastor ita longe à grege suo absit, quin curam aliquam moraliter possibilem illius habeat. Ratio est, quia hoc pacto pastor satisfacit legi & obligationi qua gregi obstringitur, qui enim quod debet per alium soluit sufficienter soluisse dicitur.

Dixi (*cum licentia superioris*) propter Concilium Tridentinum, quod vult quemcunque curam animarum habentem à grege suo abesse non posse sine causa, eaque per Christum cognita.

Sess. 23. c. 1. de reform.

Dixi secundo, (*si modo constituerit loco sui sacerdotem sufficientem*) propter illos qui ita ignaros, vel ita improbæ vitæ sacerdotes substituunt, vt merito timere debeant eos non ritè, vel non integre functuros esse officio pastorali, hi enim non liberantur ab obligatione, qua tenentur sufficienter consulere saluti suarum ouium.

Dixi tertio, (*& ab Ordinario approbatum*) propter illos, qui etsi probatæ vitæ sacerdotem suo loco ponant, sufficientisq; forsan eruditionis, non tamen curant illos per examinatores approbari. Si quidem ordinarię

harie tales nihil possunt in foro conscientiæ, per illa quæ nouissime Concilium Trident. (a) definiuit, & Illustriss. Cardinales (b) ad interpellationem Concilii Tridentini deputati responderunt.

a *Sess. 23. c. 18 de reform.*
b *declarat. 254.*

Dixi postremo, (*Nec pastor ita longe à grege suo absit, quin illius curam aliquam gerat*) quia cum pastor teneatur gregi suo onere personali secundum nostros Doctores, non potest simpliciter illum deserere sine magno illius periculo, debet ergo ad minus illi curam illam & prouidentiam vt absens corpore, animo præsens sit, & quantum in se est agat, ne quid illi necessariorum ad salutem desit.

Dices: Quid si Episcopus nolit dare facultatem alium substituendi, poteritne sine eius licentia populum deserere?

R. Episcopum non debere facile hanc facultatem negare: Si tamen iudicauerit necesse esse bono communi, vt pastor apud gregem suum maneat, neque ab illo discedat, tenebitur parere, illius mandato, quia præceptum hoc per se est iustum, & ad Episcopum spectat habere curam boni communis, eius ergo ea in re voluntati & iudicio standum est.

Dices secundo: Quid si non possit haberi sacerdos approbatus, nec pastor auset,

nec velit sacramenta ministrare, & periculum est in mora.

R. Eo casu quemcunque sacerdotem etiam non approbatum posse imo debere ministrare, quia (a) *necessitas caret lege*, neque ylla lex est quæ tunc prohibeat.

a *De consuetud. c. peruenit.*

Quæstio quinta.

An liceat illi si neminem reperire possit, qui vices supplere velit, ad bimestre saltem ex licentia Episcopi curam Pastoralem deserere.

Quæstionis explicatio.

ET si personalis residentia pastorum sit iuris diuini, nihilominus Concilium (b) Trident. concedit Episcopis & aliis inferiorib. curatis, vt ad duos aut ad summũ tres menses abesse possint. Cum ex veterũ canonum sententia *non videantur abesse qui statim reuersuri sunt*. Idcirco quærunt quidã an grassante peste possit pastor saltem pro tempore à Concilio Tridentino concesso ex licentia Episcopi abesse, & à ministratione sacramentorum excusari.

b *Sess. 23. c. 1. de reform.*

c *Concil. Elibert. cap. 21. Trid. sess. 23. de refor. c. 1.*

Responsio.

Nequaquam: quia illud tempus est quo præceptum de residentia personali maxime obligat, puta, quando omnis vel ferme omnes sacramentis, exhortationibus

& do-

& doctrinis piis & aliis ad salutem necessariis imprimis indigent, & licentia abessendi, quæ à superiore aliquo tempore cõcedi solet, non conceditur intuitu boni privati personæ pastoris: sed publici fine ecclesiæ, vt expresse Concilium Tridentinũ declarat. Cum vero bonum publicum & spirituale totius gregis præsentiam pastoris pro illo tempore, iure diuino, exigat, nemo pro eò tempore dispensare poterit.

Dices, non alia obligatione tenetur, seruire populo suo pastor, quam Episcopus: Sed Episcopus non malefacit si à ciuitate vbi serpit pestis, discedat, dummodo absens corpore animo saltem prouideat quantum in se est saluti populi, poterit ergo & pastor nullo relicto vicario à populo recedere.

R. Magnam esse hac in parte differentiam inter Episcopum & pastorem. Nam (a) Episcopus est in sua diœcesi, veluti causa quædam vniuersalis, quæ per se & immediate, non operatur particulares effectus, nisi casu necessario & raro, de quo postea, ideoque regulariter non est alligatus vni parochiæ, vel oppido siue diœcesis, pastor autem est veluti causa particularis astricta immediatè ad ea, quæ ipsi ab Episcopo sunt demandata, vt est ministrare sacra-

a *D. Thom. quodl. 1. art. 14. vt 3. ar. 7.*

menta fidelibus talis vel talis parochiæ, quocirca illi vel illi parochiæ est alligatus.

Quæstio sexta.

An Pastor possit illo tempore curæ Pastorali renunciare?

Quæstionis explicatio.

a 19. q. 2. duæ sunt.

Possunt parochi iure (*a*) communi etiam sine licentia superiorum relicta cura pastorali ad statum religionis transire. Sic enim Vrbanus Pontifex: *Si quis in ecclesia sub Episcopo proprium retinet & seculariter viuit, si afflatus Spiritu sancto in aliquo monasterio vel regula canonica saluare se voluerit, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra authoritate.* Imo secundum doctrinam D. (*b*) Thomæ & aliorum possunt ad humiliorem simplicium sacerdotum statum sine Episcopi licentia descendere: Idcirco quæritur hoc loco, si parochi non possint illo tempore ex licentia Episcopi excusari à residentia personali & ministratione sacramentorum, an saltem excusabuntur simpliciter curæ pastorali renunciando, & ad religiosorum vel etiam ad humiliorem simplicium sacerdotum statum transeundo.

b 2. 2. q. 184. art. 3. & ibid. commentatores.

Respon-

Responsio.

NOn excusabuntur: Nam pro illo tempore sunt conducti, vt sacramenta & alia ad salutem necessaria ministrent, non poterunt ergo illo necessitatis tempore renunciare: Et confirmatur à simili. Quid enim absurdius, quam si miles ad bellandum conductus illo temporis articulo muneri suo vellet renunciare, cum iam pugnandum est? Neque obstat ingressus religionis vel descensus ad humiliorem statum, quia cum hoc temporis articulo sit obligatus huic populo seruire, ob idq; ab eo toto anno victum & stipendium acceperit, non potest illo tẽpore alteri cuicunq; in præiudicium illius operam suam locare.

Dices; Pontifex non vult Parochos qui ad perfectiorem statum transire volunt aliqua lege retineri, quia priuata lege Spiritus sancti ducuntur: Ergo excusabuntur etiam non obtenta licentia Episcopi.

℟. Pontificem non loqui in casu de quo agimus, sed in eo, cum facile est superiori de altero sacerdote prouidere. Alioqui si nõ possit prouidere superior, & pastor voluerit gregem deserere, non ducetur lege Spiritus sancti, sed proprii cerebri populũ suum in tanta necessitate spirituali contra legem charitatis & iustitiæ deserendo.

Quæstio septima.

Si Magistratus timet ne Pastor moriatur poste nec possit de alio prouideri, an saltem illo casu Pastor ab administratione sacramentorum excusetur.

Quæstionis explicatio.

Casus est talis, est in oppido parochus magnæ eruditionis pietatis & prudẽtiæ, qui non tantum sacramẽta dispensare, sed pro doctrina & eloquentia sua nouit populum suum ad pietatem erudire, contra hereticos defendere, in pace & concordia ponere, bonum publicum non solum in spiritualibus, sed etiam politicis & temporalibus promouere, timet Magistratus ne si aëre pestilentiali ministrando sacramenta corripiatur ipsis pereat, nec facile talem consequatur. Quæritur an isto saltẽ casu, pastor excusetur tunc ab administratione sacramentorum.

Responsio.

Nequaquam; Etenim moraliter loquẽdo vanus est hic timor, præsertim in his partib⁹, vbi Dei beneficio, plurimi sunt sacerdotes ad præscripta munia spiritualia, maxime idonei, inter quos saltem aliqui reperientur, qui in huiusmodi casu necessitatis

sitatis spiritualis, non fugient vitæ periculum, vt animabus succurrant, pro quibus Christus mori dignat⁹ est, & vt iustus timor videri possit, non potest tamen, quicquid vulgus existimet, iure excusare pastorem abhoc officio. Quia cura & sollicitudo de alio pastore non spectat proprie ad magistratū, sed ad Episcopum, & vt demus, ad ipsum suo modo spectare, tamen quia pastor cum curam animarum susceperit, subiecit se legi (a) Christi, quæ est, *vt bonus pastor ponat animam suam pro ouibus suis*, tenetur, vrgente maxime eiusmodi temporis articulo, Christi exemplo legi parere. a *Ioan. 10.*

Dices: Prudentis est vitam conseruare vt diuturniori tempore seruire, & plurium animas lucrari possit; poterit ergo pastor saltem si solus sit, nec spes sit, posse alium haberi, se à ministratione sacramentorum vt vitæ suæ consulat excusare.

℟. Eo casu pastorem teneri pro ratione fortunarum suarum emere præseruatiua quæ à medicis præscribi solent, quo periculum euadat & populo se præseruet, vt ante obiter diximus. Etenim si tenetur vitam corporalem pro salute spirituali subditorum profundere iuxta legē à (b) Christo bonis pastoribus præscriptam, quanto magis fortunas suas? b *Ioan. 10.*

Magistra-

Magistratum quoque in eodem & similibus casibus teneri ad (a) remedia procuranda, quæ periti & experti Medici iudicant vtilia ad aëreim pestilentem purgandum, puta vt auferantur sordes ex plateis, vt infecti extra ciuitatem ad hospitale salubre deducantur, vt ignes publici per plateas construantur, vt cadauera mortuorum ad sacrum locum asportentur, vt habeantur medici Apothecarii, & alii qui ægris seruiant, & alia eiusmodi, quæ in oppidis bene ordinatis tempore pestilentiali obseruari solent; Ad hoc enim assumpti sunt in magistros, patres, & dominos plebis, vt sua prudentia & auctoritate prouideant tempori, ne quid per negligentiam vel aliter exoriatur, vnde pernicies, siue corporalis siue spiritualis, Reipublicæ obueniat.

(a) *Maior. in 4. dist. 23. q. 1. Bertrom. de cura pestilentia c. 10.*

Similiter Episcopum & alios superiores ecclesiasticos teneri, diligentem curam adhibere, ne sacerdotes desint, qui populo sacramenta & doctrinam salutarem dispensent, & si plures nancisci possunt, vt illis inprimis parcant, qui in maioribus & grauioribus officiis populo possunt esse vtiliores. Quæ omnia non difficulter colliguntur ex debito officii Episcopi & magistratus & aliis: quæ de debito & ordine charitatis, partim diximus, partim in sequentibus,

oportu-

oportuniori loco, dicturi sumus.

Quod si omnibus adhibitis idem semper ingruat periculum, vt Episcopus nullum alium sacerdotem reperire possit, pastorem illis non obstantibus teneri sacramenta ministrare, iuxta dictam legem à Christo præscriptam, & certè imprudentis esset & degeneris animi, velle vitam tunc seruare cum maxime iussu Christi Domini, glorioſe profundenda est.

Dices primo, Tenentur ergò Magistratus tam ecclesiasticus quam ciuilis curare, ne corpora eorum, quæ peste pereunt, inhumata iaceant?

℟. Maxime, hoc enim ad bonum Reipublicæ commune pertinet, ne putrefactio & corruptio vnius inficiat reliquos. Imo si quis absq; suo incommodo facile mortuum sepelire quæat, & alius non sit, qui id faciat, in re naturali compellitur eum sepelire, quia tali casu præceptum misericordiæ obligat.

Dices secundo. Licet quoque Magistratui eiicere ciuitate peste infectos aut de ea suspectos siue pauperes, siue diuites, ne ceteri inficiantur?

℟. Simpliciter & per se licere, quia bonũ publicum præferendum est priuato; certum est enim moraliter loquendo, non

posse

posse melius corpus Reipublicæ seruari, quam si membra infecta amputentur & à corpore semoueantur: Dixi; *per se & simpliciter*, quia non licebit si per hoc peste infecti vel de ea suspecti exponantur periculo salutis animæ vel corporis. Siquidem & si humanæ prudentiæ sit, vitare peste infectos, tamen contra dilectionem & Christianam pietatem est, substrahere peste infectis animæ & corpori necessaria. Deinde secundum Gabrielem (*a*) Biel non sunt permittenda, minus procuranda certa pericula proximi, propter incerta pericula sui: Sed periculum proximi in extrema necessitate constituti certum est, si nō succurritur, periculum autem infectionis ex contagio non est certum, cū plurimi peste infectis assistētes euadant illæsi experientia teste, (*b*) *vbi autem maius est periculum, cautius est prouidendum.* Prætera impiū est, & contra regulam Apostoli non condolere miseriæ proximi: *Gaudete* inquit, *cum gaudentibus, flete cum flentibus, & alter alterius onera portate, sic adimplebitis legem Christi.* Timere tandem debent sic fugientes & eiicientes proximos in tali necessitatis articulo tremendam Domini sententiam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Inter causas enim huius terribilis sententiæ etiam hanc assignat

a Gabr. Biel 4. de fuga pestis, conclus. 4. 5. & 6.

b gloss. in c. cum infirmitas, de pœnit. & remiss.

Roman. 12. Galat. 5.

Matth. 25.

assignat Dominus: *Infirmus fui & non visitastis me.* Adde quod crudele est, *Addere afflictionem afflicto*, contra hos enim in persona Domini dicitur: *Quoniam quem percussisti persequuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Auertat Dominus imprecationem quæ sequitur: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitia tua, deleantur de libro viuentium & cum iustis non scribantur.* Psalm. 68.

Quæstio octaua.

Si Populus sit exiguus, vt ruri accidit, & potest facile cum Pastore ad locum salubriorem migrare, an teneatur illo casu populus Pastorem sequi, an contra Pastor apud populum manere.

Quæstionis explicatio.

IN nonnullis diœcesis Leodien. partibus pagi propter soli sterilitatem paucas familias continent, sunt enim subinde duntaxat sex septem vel octo, quæ tempore pestis possunt cum pecore & reliqua sua substantia sine magno incommodo ad alium locum salubriorem se conferre. Atque

que ita parochus expostulat, populus contradicit: Quæritur, quis cui cedere teneatur?

Responsio.

Si vt supponitur Grex fidelium sit exiguus, puta duarum, trium, quatuor vel paulo plus familiarum, qui facile possit sine magno rerum ad vitam sustentandam necessariarum incommodo locum mutare, & pastorem suum sequi, tenebitur hoc facere, quia populus lege & ordine charitatis tenetur vitam sui pastoris pluris facere, quam paruam aliquam iacturam rerum temporalium: Secus si populus non posset sine notabili detrimento rerum ad sustentandam vitam suam necessariarum, quia populus non tenetur vitam suam & fortunas ad illam sustentandam necessarias exponere pro salute vitæ corporalis sui pastoris: Siquidem lege naturæ & ordine charitatis quilibet plus amat vitam suam corporalem, quam vitam corporalem alterius, ideoque tunc tenebitur pastor populo suam præsentiam pro ministratione sacramentorum exhibere, quam his populus sit laudabiliter facturus, si pro vita corporali pastoris sui conseruanda, velit vitæ suæ vel rerum suarum etiam necessariarum detrimentum pati: Nam &

ita

ita Christus (a) ait. *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod (b) & D. Chrysostomus sic intelligit, vt sit signum magnæ charitatis, velle vitam corporalem exponere pro vita alterius. Et legimus apud veteres Patres, & grauissimos authores, commendari eos qui pro amicis vel occubuerũt, vel magna damna & incommoda perpessi sunt, vt exilia, carceres, & huiusmodi, vt D. Basilium apud (c) Chrysostomum, S. Paulum apud (d) D. Gregorium, (e) Sanctulum Presbiterum apud eundem, & ethnicos quosdam, vt Piladem & Orestem, siue veros siue falsos homines, apud (f) Ambrosiũ, (g) Hieronymum, (h) Augustinum, (i) Lactantium, sicut & communi hominum æstimatione bene & laudabiliter faciũt famuli & famulæ, qui tempore pestis exponũt periculo vitam suam, pro vita corporali dominorum: similiter & medici, & chirurgi, & alii setuitores publici, qui suam exponunt pro incolumitate ciuium.

a *1. Ioan. 3.*

b *lib. 2. de Sacerdotio.*

c *supra.*

d *lib. 3. dial. cap. 1,*

e *apud eund. c. 17.*

f *lib. 3. offic. c. 13.*

g *in cap. 7. Mich.*

h *l. 4. Conf. c. 6.*

i *l. 5. In c. 18.*

Dices: Homo non est dominus vitæ suę sed tantum custos, ergo non potest pro pastore, quamuis amico & probo, illam pro libitu profundere: sic argumentatur Durandus.

In 4. dist. 17. q. 6.

℟. Antecedẽs hoc sensu verum esse, quia

homo sine causâ non debet vitam suam periculo exponere, sed sicuti pro Deo interdum id potest facere, etiamsi non sit necessarium, vt notum est, ita etiam pro amico, maximè patre suo spirituali, si, vt præsupponitur, aliqua iusta subsit causa.

Dices secundò: Modus charitatis erga proximum, metiendus est ex charitate erga seipsum, debet ergo magis seipsum, quã proximum amare: non poterit ergò subditus pro vita corporali sui pastoris vitam suam exponere, quia hoc esset inuertere ordinem charitatis: Ita quoq; Durandus.

℟. Antecedens hoc sensu verũ esse, quia homo habet ius prius ad vitam suam conseruandã, quàm alterius, sed potest ex charitate iuri suo cedere, præsertim cum ad bona huius vitæ p se nunquam obliget charitas & persona pro qua cedit est publica, Reipublicæ multò vtilior, saluti populi quodammodo necessaria.

Quæstio Nona.

An teneantur Pastores ædes peste infectorum ingredi, ad ministranda illis sacramenta

Quæstionis explicatio.

Non paruam tergiuersandi in ministerio sacra-

sacramẽtorum materiam parochis prębet ingressus ædum peste infectarum. Primũ enim cùm oportet ægrum causa sacramenti propius accedere, fit præsentius & magis ac magis certum contagionis periculum, quod in descriptione pestis non tacuit (a) Ouidius, sic enim ille:

a l. 7. Met.

Quo propior quisq; est, seruitq; fidelius ergo
In partem lethi citius ille venit,

Et rursus.

Inq; ipsos sæua medentes,
Erumpit clades obsunt auctoribus artes

Deinde subinde iacent in ædibus infectis, deserta defunctorum cadauera, quæ non solùm domos ipsas, sed & pagos & vrbes circumquaque vitiosis vaporibus & exhalationibus inficiunt, & recte dixerat idem Poëta:

Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus aurę,
Peruenit ad miseros damno grauiore colonos
Pestis. & in magnæ dominatur mœnibus vrbis.

Subinde enim in cubiculis & lectis pariter iacent peste infecti, qui vomitu, excremẽtis & aliis huiusmodi sordibus pestiferis, pẽsentissimum ingredientibus exitium comminantur: Subinde quoque ipsi ægroti vt & magnitudine pestilentiæ in amẽtiam & furorem acti, loca imperuia propemodum penetrant, ibique se abscondunt, sicut lu-

ctuoso illo anno 79. vidimus, vt non sine graui discrimine pastor ad illa cum Sacramentis ingrediatur. Quamobrem non immeritò (vt apparet) quæri solet? An pastor vt ministret sacramenta, teneatur ædes, cubicula, pœnaria, & alia huiusmodi peste infectorum latibula ingredi: An verò ab illorum ingressu, & Sacramentorum administratione tunc excusetur.

Responsio.

Maior in 4. dist. 23. §. Quartò quæritur.

Primò tenẽtur pastores ingredi, nõ obstantibus prænarratis impedimentis & vitę periculo, cũ ea tamẽ moderatione, quam superioribus quæstionib. adhibuimus, ne quid frustra repetamus.

Secundò, non tenentur, si peste infecti iis sint viribus, vt possint egredi in locum apertiorem & salubriorem, & ministrationi Sacramẽti magis cõgruum, quia illo casu tenetur vitæ corporali pastoris consulere, nec sine causa illum mortis periculo exponere.

Dico: (*In locum ministrationi Sacramentorum congruum*) quia si æger pro Sacramenti Eucharistiæ ministratione, rogaretur egredi tempore pluuioso, ventis spirantibus in agrum niuibus, grandine, & sordibus plenum, non teneretur egredi, sed potius pastor ad illum ingredi, quia illis circumstã-

tiis

tiis positis, cum moraliter loquendo non possit illud sacramentum sine irreuerentia & periculo ministrari, præferenda esset reuerentia sacramenti vitæ corporali ipsius pastoris, vt ex iis quæ D. Thomas disputat de virtute religionis facile colligi potest.

Tertio non tenetur pastor ingredi, si ipse aliter commode & reuerenter sacramentum administrare possit, puta ex fenestra confessionem subditi audire, vel illi viaticum ministrare, vel aliis modis.

Dices, quid si pastor nolit ingredi, nec ægrum ad se venire, quamuis commode possit, quia præsentiam peste infecti abhorret, sed velit ministrare sacramenta vel per interpositam personam, vel per alia intermedia instrumenta, tenebiturne æger voluntati pastoris acquiescere?

Respondebimus suis locis, cum de singulis sacramentis seorsum agemus.

QVÆSTIO X.

Si bis vel ter Pastor accessit ædes peste infecti, & toties ad sacramenta susc ipienda imparatum inuenit, an sit deinceps ab administratione sacramentorum excusatus, an vero teneatur sæpius ingredi, & quoties.

Quæstionis explicatio.

MVlta accidere solent peste infectis quæ eos à sacramentorum perceptione pro tempore impediunt: Subinde enim tantis capitis doloribus corrumpuntur, vt delirent, nec verbũ audire sustineãt, frequenter tanto obruuntur somno, vt vix eos excitare quispiã possit. Subinde (quod grauius est) hæreseos peste sunt correpti, vt experientia nos docet, quamuis Catholici haberi & reputari velint, qui idcirco aduenientẽ cũ sacramentis pastore se non posse loqui aut audire, aut quid aliud grauius fingunt, videlicet, ne ex vna parte ab hæreticis irrideantur si sacramenta percipiant, & ex altera à Catholicis excusentur si sine sacramentis decedant, nec illis ecclesiastica negetur sepultura: Idcirco quæritur: An pastor, si bis vel ter pro minstratione sacramentorum ingressus fuerit, ab vlteriori ingressu excusetur. An vero teneatur pluries

ingredi

ingredi & sacramenta offerre, & quoties.

Responsio.

DIstinguendum est: Aut enim æger ad suscipienda sacramenta imparatus est ex natura & qualitate morbi, vt ante indicauimus, aut ex fragilitate & negligentia, aut voluntate & malitia.

Si de primo & secundo casu sit sermo, non sufficit pastori ægrum bis aut ter frustra accessisse: sed debebit vlterius curam gerere, vt æger ea quæ ad salutem necessaria sunt suscipiat, videlicet adhibito prudenter inspectore, qui horam & tempus indicet, quando paratus erit ad suscipienda sacramenta vel alia simili morali & sufficienti diligentia, hoc enim sollicitudo pastoralis officii postulat, quam graphicè depinxit Salomon (*a*) his verbis: *Fili mi, spopondisti pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus, fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis: Nec dormitent palpebræ tuæ, eruere quasi damula de manu aucupis.* Illis enim verbis iuxta sensum (*b*) mysticũ monentur hi qui officiũ regẽdi alios susceperũt, vt qñquidẽ pro aliis

a *Prou. 6.*

b *Ex reg. in pastorali. p. 3. c. 5. ante medium.*

spoponderunt seque obligarunt, omnem dent operam, ne spōsio sit eis noxia, id autem fiet si curent sua diligētia, vt si pro quibus obligati sunt, suum faciant officium.

Si setmo sit de postremo, quia ponimus ægrum malitiose pastorem cum sacramentis remittere, neque illi aurem præbere velle, non tenetur amplius ad eum cum sacramentis redire, tum quia hoc esset sine fructu vitam suam periculo exponere, quod est temerarium & contra propriam charitatem, tum quod hoc esset (*a*) *Margaritas proicere ante porcos.* Fieret enim irreuerentia sacramentis. Postremo, quia scādalum daretur infirmis, qui hoc pacto sacra mysteria irrideri conspicerent.

a *Matth. 7.*

Dices primo; Quantam curam & solicitudinem debet adhibere pastor in visitandis peste infectis & aliis egentibus sacramentis.

℟. Sufficere moralem, quam scil. pastores non negligentes ac timentes Deum adhibere solent: Sane (*b*) si prælati quoad damnum rerum ecclesiasticarum tenentur, non solum de dolo & lata culpa, sed etiam de leui, quanto magis quoad damnum animarum?

b *Syluest. verb. prælat. num.*

Dices secundo; Quid, postremo hoc casu posito, faciet deinceps pastor, puta si æger

ger eum remisit, nec aurem prębere voluit.

R. Reliquum esse, vt talem velut ecclesiæ inobedientẽ, & de hæresi vehementer suspectum, ad Episcopum referat, qui eum iuxta canonicas sanctiones corrigat.

QVÆSTIO XI.

Si Pastor in vmbone ecclesiæ præmonuerit subditos, vt antequam peste corriperentur sacramenta peterent, illa autem neglexerunt, aut etiam contempserunt, an teneantur nihilominus illos postmodum peste infectos accedere & sacramenta ministrare.

Quæstionis explicatio.

NOn defuerũt parochi, qui vt à sacramentorum administratione contagioso tempore se excusarent, putarent sufficere, si subditos suos præmonuissent, vt in tempore (prout loquuntur) dum sani sunt, illa percipiant. Horum occasione quæritur, an huiusmodi præmonitio, si subditi non paruerint, à sacramentorum ministratione excuset.

Responsio.

NOn excusat, quia negligentia & contemptus subditorum non priuat eos iure quod habent ad sacramenta, poterunt ergo postmodum repetere, & consequen-

ter pastores tenebuntur illa ministrare, siquidem non obstante negligentia manent subditi ipsis pastoribus, & pastores manent ipsorum pastores vt patet; Deinde si subditi præmonitioni pastoris paruissent, & sani sacramenta percepissent, nihilominus non amisissent ius ad sacramenta petenda concepto iam morbo, puta Eucharistiam, per modum viatici & sacramentum pœnitentię si in peccatum mortale incidissent, ergo possent illa tunc petere, & illi tenerentur dare.

Dices: Quæ & quanta est culpa negligentia subditorum præscripto casu.

℟. Difficile est propter varietatem circumstantiarum, quæ communiter in hoc casu incidunt aliquid certi dicere: Primum enim fieri potest, vt non sit tanta necessitas percipiendi pro illo tempore sacramenta, puta quia necdũ pestis sæuire & grassari cepit. Deinde fieri potest vt quidã differant, non tamẽ recusent, quin forte ad illa percipienda interea se ꝑparant, talis negligentia (si negligentia dicenda sit) vel venialis vel nulla erit culpa, fieri quoque potest, imo frequens est, vt pestis quotidie latius grassetur, & quotquot corripit statim enecat, verum ex indeuotione, & quia non afficiuntur ad sacramenta, puta, quia cogi-

tant

tant se non teneri ad illa percipiēda, nisi in Paschate vel articulo mortis, de quo ignorantes vim morbi, non cogitant, & sic susceptionem illorum de die in diem, & de hora in horam differunt: huiusmodi negligentia, vel erit culpa venialis valde crassa vel mortalis, cum propter indeuotionem ad sacramenta necessaria, quam non sunt solliciti tali temporis articulo excutere, tum propter periculum cui se exponunt, non recipiendi sacramenta, iuxta illud (a) *Qui amat periculum, peribit in illo.* a *Eccl.3.4.*

Dices vlterius; Quæ & quanta est culpa contemptus.

℟. Repertus fuit Leodii anno illo luctuoso 1579. qui pastorem suum, plus iusto vt existimabat sollicitum, veluti pusillanimem rideret, & præmonitionem illius sanctam & maxime salutarem (cum tamen periculum subesse ignorare non posset) contemneret, qui die sequenti correptus peste, in pœnam forte sui contemptus subita morte sine sacramentis decessit, verendum est, ne huius & similium culpa, sit grauis & mortifera.

QVÆ-

QVÆSTIO. XII.

Si Pastor dicat sacrum, & vocetur ad ægrum iam moriturum, an teneatur sacro relicto Sacramenta ægroto ministrare aut pro illo tempore à ministratione excusetur.

Quæstionis explicatio.

INcumbit parochis tempore pestis non solum male habentibus, sed & sanis seruire tum in missæ sacrificiis celebrandis, tũ in aliis Christianæ charitatis officiis exercẽdis, modo suboritur cas⁹ talis: pastor est intentus pio operi in gratiam suorum subditorum, cui dum vacat, accersitur ad peste infectum, vt sacramẽtum illi ministret, tenebitur ne relicto quocunque pio opere & præsertim sacrificio missæ die dominico ad ægrum currere, & sacramenta ministrare. An vero à ministratione tantisper excusetur?

Responsio.

Tenetur relicto quocumque pio opere etiam missæ sacrificio, sacramenta ministrare, quia vt communiter doctores notant, quãdo duo præcepta affirmatiua peragenda simul concurrunt, nec vtrique simul satisfieri potest, (a) illud negligendum est, ex quo minora incommoda consequuntur.

(a) c. *duo mala distin. 13. ex Conc. Tolet.*

quuntur. Ergo si omnibus perpensis quæ pastor prudens & timoratus pro ratione tantilli temporis perpendere potest, videat grauius incommodum sequi si negligat ægroto sacramenta ministrare, puta eius desperationem & æternam fortè damnationem, & ex altera parte resarciri posse, si quæ alia nascuntur ex omissione alicuius alterius operis, vt missæ, puta quia adhibito custode omnia paramenta necessaria ad sacrum faciẽdum, vel etiam ipsa hostia & calix consecratus sine scandalo aut alio periculo custodiri possunt, & considerat statim se redire posse, vt sacrũ missæ officium perficiat, tenebitur peste infecto ministrare sacramenta, sacro vel quocunque alio opere quamuis sancto relicto, & postmodum ad sacrũ missæ officium peragendum redire.

Ratio huius regulæ videtur esse quia in tali casu prudẽtia moralis dictat (a) *è duobus malis eligendum minus.*

(a) *D. Gregor. lib 32. Mora. cap 40.*

Dices. Quid si relicto altari & populo qui ad sacrum audiendum conuenit, nascatur scandalum, tenebiturnè etiam pastor non obstante huiusmodi scandalo, ægrotum accedere & sacramẽta ministrare?

℟. Vbi de periculo æternæ damnationis ęgroti agitur, si quod ponatur scandalũ erit

erit acceptum nō datum, quod paſtor maxime tali caſu contemnere debet.

Nihilominus poterit paſtor ſi tempus ferat paucis verbis oſtendere populo potius & melius eſſe ſuccurrere proximo in illa extrema neceſſitate laboranti, quam vacare operi quod differri, vel etiam fortaſſe, ſi necdum ad conſecrationem ventum eſt, ſine peccato pro tempore omitti poteſt.

QVÆSTIO XIII.

Quid remedij ſi paſtor fugiat & latitet.

Quæſtionis explicatio.

IVre (*a*) communi debet tribus publicis edictis citari, & ſi intra ſex menſes non reuertatur beneficio priuari: Iure nouiſſimo cōcilii (*b*) Tridentini debet ſimiliter citari & ſi contumax fuerit, debet contra eū procedi per cenſuras, inde ſi inſorduerit ad ſequeſtrationem, & ſubſtractionem fructuum, demum ad priuationem deueniri.

a c. Ex tuo de clericis nō reſidēt.

b Seſſ. 6. c. 1. & ſeſſ. 23. c. 1 de reform.

Quæritur an caſu graſſantis peſtis in quo verſamur, hic proceſſus ſeruandus ſit, vel aliud remedium compendioſius adhibendum.

R. ſponſio.

DIſtinguēdum videtur, vel enim Epiſcopus poteſt vicarium inuenire, qui paſtoris loco miniſtret ſēmta vel non pōt niſi

nisi illi ēt parrochiale beneficiū cōferatur:

Si primum, remedium erit vt Episcopus procedat ad illius priuationem ordine tū à iure communi tū à concilio præscripto, quia nulla necessitas vrget celerius remedium adhibere: Si secundum, vno edicto ad valuas ecclesiæ parrochialis posito, & breui die illi assignata, si contumax sit, & ad ecclesiā non redeat, estq; periculū, ne animæ sine sacramentis decedant nec aliud remedium adhiberi possit, quia nulli alii sacerdotes reperiri possunt, Episcopus omissis illis solemnitatibus à iure & concilio Tridentino præscriptis, poterit immediatè ad sententiam priuationis procedere, & aliū in locum illius surrogare. Et ratio videtur sufficiens, (a) *quia necessitas sibi legem facit*, & credendum est ius cōe & concilium non attēdisse ad hūc casū extremæ necessitatis.

a *De cōsuet. c. peruenit.*

Dices (b) Nauarrus notauit ex ipso (c) concilio Trident. parochū ex causa posse abesse à sua parrochia ad certum tempus etiam sine licentia Episcopi, non poterit ergo advnam citationem statim priuari.

b *Nauarr. Mā. c. 25. nu. 121.*

c *Sess. 23. c. 1 de reformat.*

℟. Sicut nec conciliū, ita nec Nauarrū respexisse ad nostrū casū, cuius iudiciū est ꝙ concilium quamuis absentiā præfatam concedat, *hortatur tamē & monet pastores quoscumque, ne per illud temporis spacium, dominici, aduentus*

aduentus, quadrageſimæ, natiuitatis, reſurrectionis Domini, pentecoſtes. Item & corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere paſtoris præſentia oues debẽt, ipſi ab eccleſia vllo pacto abſint: quod idem eadem & maiori ratione definiuiſſet cõcilium pro tempore peſtis, ſi de illo conſultum fuiſſet.

QVÆSTIO XIV.

Paſtoribus & aliis Prælatis ſiue iuſte ſiue iniuſte abſentibus vel peſte infectis aut & mortuis vel ſeruire nolentibus, an alij teneantur ſacramenta miniſtrare.

Quæſtionis explicatio.

Hactenus egimus de iis, qui ex debito iuſtitiæ tempore peſtis tenentur ſacramenta miniſtrare, variiſque eorum excuſationibus quas prætexere ſolent reſpõdimus: Conſequenter inueſtigandum videtur: An præter parochos ſint alii qui obligentur, ſi non debito iuſtitiæ, ſaltem charitatis, in caſibus ſcilicet, quibus paſtor timore, contagionis correptus, non audet ſacramẽta miniſtrare, vel latitat, vel fugit, vel peſte correptus domi detinetur, vel etiam mortuus eſt, & ſimilibus.

Reſponſio.

Quicunq; ſacerdotes etiamſi nulla animarum

marum cura illis incumbat, absentibus quoquo modo siue iuste siue iniuste pastoribus tenentur lege charitatis & iustitiæ legalis sacramenta ministrare, quia ille est casus, quo sacerdos obligatur ex talento potestatis sacerdotalis sibi credito operari, tenetur enim vnusquisque vti gratia sibi à Deo data, cum spiritualis proximi necessitas hoc postulat secundum illud (a) Apostoli: *hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: Sed tempore grassantis pestis absentibus pastoribus salus proximi propter quã omnes gratiæ gratis datæ à Deo nobis conceduntur; hoc maximè postulare videtur: ergò.

(a) 2. Cor. 6.

Dices primo. Sacerdotes simplices non habent iurisdictionem ad pastoralia officia exercendà necessariam, non tenentur ergo illo tempore sacramenta ministrare.

R. In articulo mortis, in quo peste infectos versari diximus, omnes sacerdotes sufficienti iurisdictione munitos esse. Nam secundum Concilium Trident. (b) & antiqua iura, omnes sacerdotes quoslibet pœnitẽtes à quibusuis cẽsuris & peccatis in articulo mortis absoluere possunt. Sic enim habet Concilium: *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat in ecclesia Dei, custoditum semper fuit vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque*

(b) *Sess. 14. c. 7. de pœnit. & extr. vnct. & ante illud c. oës. de sent. excom. lib. 6. & extra de furt. c. fures & c. pastoralis.*

tis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœniten-tes à quibusuis peccatis & censuris absoluere pos-sunt.

Dices secundo. Quid si iniuste recuse pastor sacramenta ministrare, vel latite domi, vel tergiuersetur, vel aliâs iniquè abſentet, tenebuntur quoque & illo casu alii sacerdotes.

℟. Tenebuntur, sicut vno prædiuit eleemosinam recusante alicui in extrem necessitate constituto, quamuis ille pe cet, non propterea alii huius necessitat conscii excusantur; neque excusat quo pastor sit domi & tergiuersetur, quia si no lit sacramenta ministrare, perinde est mo raliter loquendo, acsi præsens non sit, in sequentibus fiet manifestius.

QVÆSTIO XV.

Si simplices sacerdotes tum religiosi tum secula nolint sacramenta ministrare, an possit Episcopus illos cogere.

Quæstionis explicatio.

DIximus superiori quæstione absen siue iuste siue iniuste pastore, ten quemuis sacerdotem tempore pestis administrandis sacramentis populo se uire: Cum autem eo casu superuenient quisqu

quisque, vt ante diximus, timore contagionis excusationes nectere & officium hoc subterfugere soleat, quæritur an Episcopus illo casu poterit simplices sacerdotes ad illud officium cogere?

Responsio.

POterit, primo. Quia ante diximus, illo casu extremæ scilicet necessitatis quilibet sacerdos tenetur vti potestate & gratia sibi à Christo tradita absoluendo à censuris & peccatis & alia sacramenta ministrãdo, poterit ergo Episcopus cogere sacerdotes, præsertim sibi subditos, vt id persoluant, ad quod obligantur. Secundo, Quia Episcopi est prouidere ne populus sit sine sacerdotibus qui illi ministrent sacramenta, & alia ad salutem necessaria: sed nulla alia est, pro illo temporis articulo, ratio prouidendi, quam vt Episcopus ex illis eligat & cogat, quos existimet magis vtiles & idoneos: Ergo poterit cogere, & illi tenebuntur obedire: quia mandatum per se iustum est, maxime in casu tantæ necessitatis in quo versamur: Si enim vnquam tũ vel maxime sacerdotes videntur obligari, ad exhibendum obedientiam quã omnes tam regulares quam seculares in sua ordinatione vel expresse promittunt aut eo (a) ipso quo incolæ & diœcesani fiunt, tacite

(a) *l. 3. in prin. l. rescrip. in fine. ac ibidẽ Dd. Ti. de munerib. & honor.*

profitentur. Postremo Episcopus secundũ (a) canones potest quemcumq; clericum vel diaconum suspendere ab officio, si volenti illum promouere ad altiorem gradũ propter bonum ecclesiæ non obtemperauerit: Ergò similiter poterit cogere vt munia pastoralia obeat. Ita doctores nostri (b) Caietanus, Sotus (c) & per eos citati.

a dist. 74. c. 3. & 4.

b 1 2. q. 26. art. 4.

c De iust. & iur. lib. 1. q. 6. art. 4. & relect. 1. de tegendo secreto memb. 3. q. 4.

Dices huiusmodi sacerdotes non tenẽtur, ne quidem casu tantæ necessitatis ex iustitia particulari ministrare sacramenta, ergo ad hoc cogi non possunt.

℟. Quicquid sit de antecedente, negandam esse consequentiam, potest (d) enim ad multa nos cogere superior seu ecclesiasticus seu sæcularis, ad quæ ex iustitia non tenemur, vt v.g. ad dandam eleemosynam in magna fame ad vendendum frumentũ, ad vitãdum sumptus immodicos in vestes & conuiuia, ad vitandam ebrietatem, fornicationem, incœstũ, sodomiam, blasphemiam, certos ludos & similia.

d Lessius de iust. & iure, li. 2. c. 7. dub. 7. num. 39.

Dices: Si omnes sacerdotes indifferenter tenẽtur, quem primo coget Episcopus?

℟. Videri cogendum illum qui ægroto plurib. rationibus deuinctus est, vt si sacerdos sit ægro sanguine vel affinitate coniunctus; vel si religiosus est qui ab ægro magna beneficia accepit, vel qui loco vicinior est

&si

& sic de aliis, per illa, quæ docet Illustriss. Borromæus (a) de cura pestilentiæ, & nos inferius aliqua suo loco dicemus. a c.27.nu.4. & 5.

QVÆSTIO XVI.

Si Epi copus velit cogere sacerdotes seculares illi autem inter alias excusationes prætexerunt se parentes habere, qui præcipiunt, vt cum eis à loco contagioso recedant, an parere debeant Episcopo vel parentibus.

Quæstionis explicatio.

COntra præcedentē assertionem multæ solent excusationes afferri, potissimum ab eis sacerdotibus qui parentes pauperes habent, quos sua industria & fructib. suorum beneficiorum alunt: Hi enim, vt alias excusationes omittamus, obtendunt se teneri parentibus: Quæritur idcirco, ad quod horum obligentur?

Responsio.

TEnentur obedire Episcopo: quia priuatæ vtilitati communis præferenda est, vt patet: Cum ergo Episcopus præcipiat ad communem vtilitatem, pater autē ad priuatam, mandatum Episcopi præferendum est mandato patris, præsertim, si (vt supponimus) ex vna parte periclitatur salus animarum, & ex altera salus tātum corporalis

patris, tunc enim cum bono publico concurrit etiã bonum ſpirituale, quod corporali præferri debet.

Dices: Quid ſi eundẽ ſacerdotem eodẽ tpe requirant duo Epi, quibus ſubeſt, rõne duorũ beneficiorũ, q̃ tenet ex diſpẽſatiõe?

Rẽ. Pareat vtique, ſi poteſt, ſi non poteſt, (a) pareat illi in cuius diœceſi moratur, & cui primo obedientiam præſtitit, vel illi in cuius diœceſi maius & vtilius beneficium habet, hoc.n. poſtulare videtur ratio, vel ſi omnia hinc inde ſint paria ſecundũ (b) ius, locus erit gratificationi.

a *Argũ. c. fin. de poſtulat.*

b *ff. ad Sillã. ſenatusconſ. l. ſi qs in gra. & ſi cũ omnis*

QVÆSTIO XVII.

Si Epiſcopus velit cogere Religioſos illi autem allegent ſe exemptos eſſe, nec Prælatos permittere, vt Reipublicæ illo tempore ſeruiant, ne infecti peſte, cæteros religioſos inficiant, an teneantur obedire Epiſcopo, vel ſuis Prælatis?

Quæſtionis explicatio.

SI in conuentu aliquo religioſus vnus peſte inficiatur, exponitur totus conuẽtus contagionis periculo: Idcircò quæritur q̃d ſi Eps velit aliquos religioſos cogere ad miniſtranda ſacramẽta, Prælatus aũt aduertẽs contagionis periculum nolit permittere excuſabunturnè religioſi hmõi an vero tenebuntur ſacra miniſtrare & Epo parere?

Reſponſ.

Responsio

TEnentur obedire Episcopo propter rationes præcedẽti q̃stione allegatas. Neque obest, si dicas illos à iurisdictione Ep̃i exemptos sicut sunt hodie omnes religiosi ordinum mendicãtium, quia responderi potest, non esse exemptos à lege charitatis & iustitiæ legalis, rõne cuius regimini Ep̃i in hoc casu subduntur, *quæ.n. pro charitate instituta sunt* (inquit (a) S. Bernardus) *non debent contra charitatem militare:* Quin verò illi reliquis sacerdotibus simplicibus vidẽtur magis obligari, tum pp perfectionem status, tum pp beneficia tẽporalia, q̃ quotidie à populo recipiunt, vt patet.

a *De præc. & dispen. c. 4.*

Dices: *Priuilegium* (b) *exemptorum non debet esse inutile.*

b *c. si Papa de priuil. li. 6.*

℟. Nullum in casu præsenti priuilegium esse, neq; priuilegia qualiacunq; illa sint, ad extremam hmõi necessitatem spiritualẽ se extendere, (c) *cum necessitas legem non hẽat.* Et sic casus hic à superiore qui eos ab ordinaria iurisdictione exemit, improuisus & talis, quo indubiè nollet eos contra legem charitatis eximi: Quia tñ non desunt q̃ docẽt religiosos non posse ad id ab Ep̃o cogi, vt oĩs illo tpe amputet̃ tergiuersatio, prudenter faciet Eps, si cum Illustmo. & Rmo. Borromẽo (d) curet sibi facultatẽ dari à Smo

c *peruenit. De consuet*

d *Li. de cura pest. c. 10. n. 4. & apertius 6.*

Sereniſs. vt Regularium cuiuſuis ordinis opera miniſterioue ſine vlla mora aut impedimento ſuperiorum peſtilentiæ tempore vti poſſit, ſi tamẽ tempus permittat, & nullum in mora ſit periculum.

QVÆSTIO XVIII.

Deficientibus ſacerdotibus indigenis vel Epiſcopo parere negligentibus, vel ex cauſa quacunq; ſiue iuſta ſiue iniuſta ſe excuſantibus, an liceat ſacerdotem aliunde aduocatum pecunia conducere qui peſte infectis ſacramenta miniſtret.

Quæſtionis explicatio.

ANno Domini 1579. me parochum in Eccleſia diui Michaelis Leodii agente, cum in plerisq; Belgæ locis, & præſertim ciuitate & patria Leodien. peſtilentia innumeram multitudinem hominum abſumeret, paſtoresq; in ſummo vitæ diſcrimine verſarentur, prouide valde vterq; Magiſtratus ſacerdotem foraneum conduxit non exigua pecuniæ ſumma, qui ſeorſim à ſuis habitaret, & peſte infectis ſacramenta & alia ad ſalutẽ neceſſaria miniſtraret, data paſtorib. libertate, vt quisq; pro ſua pietate, zelo, & prudentia, vel per ſe ſubditis ſuis ægrotãtibus ſacramenta conferret, vel ſacer-

sacerdotis illius cõductitii opera vteretur. Siquidem inde secutum est primum, vt ægrotis sacramenta non deessent & sanis per pastores sanos & à contagione immunes sacramenta ministrarentur, deinde vt diuina officia per ecclesias parochiales, sacrum quoq; missæ officium, magno hominum concursu, pari religione & deuotione celebrarentur, tandem vt pastores singulari Dei benignitate à peste præseruarẽtur. Ceterũ dum conductitius hic sacerdos incredibili labore, modo pedes, modo eques, per amplissimã & frequẽtissimam ciuitatẽ propter peste infectorum vndiq; dispersorum multitudinem non ita reuerẽter cum sacramentis distruere posset, sed ea crude satis & minus religiose administrare cogeretur, natæ fuerunt non solũ inter populares, sed & ipsos pastores & sacerdote isto eiusque moribus, necnon ratione & modo ministrandi sacramẽta, perplures quæstiones, inter quas hæc fuit quæ modo est in manibus, licueritne illum pro ministrãdis sacramentis pecunia conducere.

Responsio.

DIstinctione opus est: possunt enim in huiusmodi conductione quatuor considerari: primũ, ipsa ministratio sacramentorum. 2. Labor extrinsece ipsi ministrationi

ſtrationi coniunctus. Tertium, Suſtẽtatio pro tempore, quo per ciuitatem huiuſmodi ſacerdos diſcurrebat, vt ſacramẽta miniſtraret. Quartum & poſtremũ, cõtagionis & vitę periculũ cui ſe quotidie exponebat.

Si primum ſpectetur, communis ſentẽtia eſt, adminiſtrationẽ ſacramẽtorum non poſſe pecunia cõduci, quia ſacramenta, p̃ſertim nouæ legis, de quibus agimus, ſunt quam maxime ſpiritualia, vtpote gratię iuſtificantis inſtrumenta, quæ proinde nulla re æſtimari poſſunt; quãquam non deſunt hodie viri docti & pii, qui hanc quoq; conductionem ſatis probabiliter in extrema quadam neceſſitate excuſari poſſe putent, vt ſuo loco in materia de ſacramento baptiſmi dicemus.

Si ſecundum: hoc eſt, labor extrinſece ſacramentorum miniſtrationi coniũctus, certum eſt licuiſſe conducere ſacerdotem & pro ſuis huiuſmodi laboribus pecuniam dare, quia labores illi procul dubio erant pecunia æſtimabiles, licuit ergo magiſtratui conuenire cum illo ſacerdote pro eiuſmodi labore.

Si tertium; hoc eſt, ſuſtẽtatio huiuſmodi ſacerdotis, certum quoque eſt quod illa ei dari potuerit etiam ex pacto, imo verò debuerit; (a) *Dignus enim eſt operarius mercede ſua:*

a *Matth. 10.*

sua: & secundum Apostolum, (*a*) *non est alligandum os boui trituranti.* a 1. *Cor. 9.*

Si postremum: hoc est, contagionis & vitæ periculum, cui sacerdos ille quotidie se exponebat, satis quoque certum est potuisse cum illo pecunia paciſci vt se tali periculo exponeret, illud enim pecunia est æstimabile, sicut & pecunia magna & notabili etiam æstimari potest tolerantia fœtorum & aliarum rerum indignarum, quas apud peste infectos ferre oportebat. b *Matth. 10.*

Dices: Christus dicit, (*b*) *gratis accepistis, gratis date*, non licuit ergo pecunia illum conducere.

℟. Sacerdotem sacramenta gratis dedisse, potuisse nihilominus secundū oēs ꝑ laboribus suis, nec non pro sustētatione & periculis quibus se exposuit cum magistratu conuenire & paciſci vt statim diximus. c *c. Tua nos de symonia c de iustit. & iur. lib. 9. q. 6 art. 1.*

Dices secundo: Ius prohibet omne pactū in spūalib. Respondet Sotus illi iuri per contrariā consuetudinē in quibus dā functionibus spūalibus & speciatim istis derogatum esse, passim, n. ea est consuetudo in ecclesia Prælatis scientibus & connuentibus. Certum est aūt cōsuetudinem facere posse, vt id qđ erat symonia iuris humani nō sit amplius symonia. Optandum tñ esset vt hæc consuetudo tolleretur, quia speciem quandam

quandam negotiationis habet, præsertim apud vulgum harum rerum imperitum. Quamobrem qui hodie vellent in huiusmodi casu paciſci, consulte facerent, si expresse significarent se non pro functione sacra, sed pro sustentatione sua & laboribus, & non aliis paciſci.

Dices tertio: Quid si sacerdos plus iusto exigat pro sustentatione, eritne symoniacus dicendus?

℟. Non erit reuera, præsumetur tamen talis in foro externo, quia enim illud stipẽdium necessariam sustentationem superet, videtur illud auctuarium accipi non iam pro sustentatione, sed vt pretium operis spiritualis; vt alibi S. (*b*) Thomas infirmat.

(*b*) 2.2. q. 100. art. 3. ad 3.

Dices quarto: Quod si sacerdos euaserit incolumis, nec quicquam incommodi vel damni passus fuerit, vt tunc temporis Leodii non sine summa totius ciuitatis admiratione accidit, tenebiturne aliquid de pretio conuento remittere?

℟. Non tenebitur, satisfecit enim pro sua parte pacto conuento, & si incolumis euaserit, non alteri ascribi potest quam benignæ Dei prouidentiæ: Sic docent Canonistæ, mercatorẽ posse paciſci de lucro cessante vel damno emergente certo pretio pericu-

periculum in se recipiendo, antequam dãna eiusmodi eueniant, & si non euenerint nõpropterea teneri reddere aut quicquam diminuere, quia nimirum alterius causa reuera subiit periculum, etsi nihil detrimẽti illi euenerit.

QVÆSTIO XIX.

An liceat sacerdotem conducere, quem scimus improbe viuere.

Quæstionis explicatio.

Etsi Sacramentorum virtus non pendeat à probitate ministrorum, neq; illorum, improbitas, si recipiens nullum obicem ponat, illi impedimentum præstet, non licet tamẽ regulariter vti improbo ministro, ne eius peccato cooperemur. Huius ergo occasione quæritur primo, quid si vir probus reperiri nequeat, sint autem improbæ vitæ, qui operam suam offerunt, an licebit horum operam in huiusmodi necessitate conducere?

Responsio.

SI Sacerdos (*a*) probus haberi nequeat, licet in necessitate conducere Sacerdotem improbæ vitæ, qui sacramenta ministret: quia petitur actio de se bona & laudabilis

(*a*) *c. vestra, de cohab. cleric. & mulierũ.*

bilis, quam sacerdos ille, si vult, sine peccato præstare potest, obiectum enim ipsius ex se honestum est, & ad veritatem religionis pertinens: sicut licitè petitur iuramentum à gentili, qui per falsos deos iuraturus est, & mutuum ab eo, qui vsuras exacturus est.

Dico (*Si alius vitæ probatæ reperiri non possit*) quia si quis cōmodè & sine magno detrimento probum habere possit, debebit illius opera vti, & auferre improbo occasionem ruinæ, hoc enim postulat ratio charitatis: alias non obligatur cum tanto onere, ad omittendum ea, quæ sibi ad salutem sunt necessaria & vtilia.

Dices: Quid si improbus non offerat se, licebit nihilominus ad ministrandum conducere?

R. Licebit, quia, vt ante diximus, quod ab eo petitur bonum est, & adest iusta necessitas, quæ excusat, vt scitè docet (*a*) Caietanus, & post illum (*b*) Sotus apud Magistrum sententiarum: Et confirmatur, quadum quis extremæ subest necessitati, vnusquisque si potest tenetur ei succurrere: habet ergo in ea necessitate existens ius inducendi vnumquemque ad ministrādum sibi sacramentum.

a *In 3. pa. D. Thom. q. 64. ar. 35.*

b *In 4. dist. 1. q. 5. art. 6. §. quartò licet.*

Dices: Inducere ad malum, de se malum est:

lum est: ergo nullo casu licet.

R. Hoc non esse proprie inducere ad malum, sed inducere ad id, ad quod ius est petenti, quod quidem alter facere tenetur, atque adeo benefacere, quare si non vult se in gratiam Dei recipere, vt id faciat, sua culpa erit, vt patet ex generalibus principiis de scandalo,

QVÆSTIO XX.

An liceat etiam ebriosum conducere.

Quæstionis explicatio.

TEmpore pestis solent ferè malefragi homines, ad ministranda sacramenta operam suam offerre, & inter alios ebriosi, ideo forsan, quia cum vulgo putãt, se timore per commessationes depulso, non facile corripiẽdos hoc morbo, quod timidis potissimum hoc accidere opinentur, de quorum stulta & impia opinione (*a*) Gabriel Biel meminit in quæstione illa docta & pia quam scripsit de fuga pestis. Horum occasione quæritur: an si alius reperiri non possit, liceat etiam huiusmodi ebriosi operam conducere, pro ministratione Sacramentorum?

a habetur in Ser. Dom. 4. post Pentec.

Responsio.

SI alius haberi non potest, licet, eadem ratio-

ratione: & confirmatur authoritate (4) D. Augustini, qui disertis verbis asserit, baptismum ab ebrioso datum, esse validum.

a *Tract. 8. in Ioannem.*

Dices: Nullo casu, ne in extrema quidē necessitate, licet aduocare ebrium: E. nec ebriosum, quia ebriositas crimen, vt appareat, maius est ebriositate.

R. Quod ebriosus possit ministrare Sacramentum, non item ebrius, non ideo esse, quod ebriositas minus sit peccatum, sed quia is ebrius dicitur, qui actu priuatus est vsu rationis, & consequēter non potest habere intentionem ad valorem sacramenti necessariam, quam habere potest ebriosus, interim dum actu ebrius non est.

QVÆSTIO XXI.

An possit etiam semiebrium.

DIximus statim illum dici ebrium, qui actu rationis vsum non habet: Cùm verò duobus modis possit id accidere, vno vt totaliter priuetur rationis vsu: altero, vt ex parte, puta qua restat aliquid luminis & discursus, necessariò poni debet duplex ebrietas: vt vna dicatur perfecta & consummata, altera imperfecta, quæ semiebrietas dicatur. Hui⁹ occasione quæritur, casu quo non reperiatur alius sacerdos, sit verò quispiam

piam semiebrius, qui operam nō recusaret si vocaretur, an licebit talem sacerdotem ad se pro sacramentis vocare.

Responsio

SI alius haberi non potest, licet eadē semper ratione: Neque obstat, quod verisimiliter putatur, peccaturus in ministratione sacramenti, tum quia hoc non est certū, potest enim talis aliquid plus potus ex cōsilio medicorum sumpsisse per modū antidoti contra pestem, quod secundum plerosq; licitum est, tum quia potest se breui tempore bene disponere ad ministrādum sacramentum, cum adhuc vsu rationis vtatur: Et vt ponatur, peccaturus tamen peste infectus rem bonam petit, & adest iusta necessitas, quæ illum excusat, vt ante diximus.

Dices: ad sacramenta ministranda non sufficit quicunque vsus rationis, sed tantus qui sufficiat ad rite iudicandum de sua & suscipientis dispositione & valore materię, formæ, & similib⁹, ad quæ non videtur sufficere vsus, qui est in semiebriis.

R. In casu necessitatis, in quo versamur excusari in ministro minorem dispositionē sicut & in ipso suscipiente per illa, quæ ini-

tio huius tractatus diximus, sufficere ergo videtur illa, qualis communiter in semiebriis reperitur.

QVÆSTIO XXII.

An etiam Concubinarium.

Quæstionis explicatio.

a *c. nullus c. prætor, dist. 32. c. vltim.*
b *Manual. c. 25 q. 8.*

ETsi specialis (*a*) iuris prohibitio, qua fideles vetãtur à sacerdote publicè cõcubinario sacramenta accipere, quam etiã hodie obligare putat (*b*) Nauarrus. Huius occasione quæritur: An in casu, quo versamur, si nullus alius haberi possit, liceat etiã publici concubinarii operam conducere.

Responsio.

c *c. vlt. 25. quæst. 8.*

SI alius sacerdos haberi nequit, licet, eadem semper ratione: quia actio honesta ab illo petitur, quã ipse sua malitia & impuritate quãtum in se est conspurcat & cõmaculat, quod significat Nicolaus (*c*) Papa cùm ait. *Adulterum sacerdotem ministrando sacramentum se tãtum lædere, & vnde aliis commodum exhibet, sibi dispendium præbere.* Neque obstat lex charitatis, quia, vt statim dixim⁹, non tenemur in graui necessitate spirituali vel nostra vel publica, parcere operæ illius qui

qui illam nobis potest sine peccato, si vo-
let, impendere.

Dices: Poteritnè quoq; huiusmodi con-
cubinarius necdum peste infectis sacramẽ-
ta ministrare, si nullus sit, qui illis seruiat?

℟. Poterit, neque obstat allegata prohi-
bitio, quia, quicquid dicat Nauarrus, pro-
babilius est, illam sublatam esse, & ad Con-
cilium Constantiense & Basiliense mode-
ratam, vt tantum afficiat concubinarios no
minatim & publicè suspensos, & vt subla-
ta non fuerit, poterit non obstãte illa peste
grassante in absentia aliorum sacerdotum
ministrare, excusante illum periculo & ne-
cessitate fidelium, cùm omnes in tali arti-
culo censeantur esse in extrema necessita-
te, vt antea ostendimus.

Dices secundò: Poterit etiam suæ con-
cubinæ, si peste inficiatur, sacramenta mi-
nistrare.

Resp. Vetitum esse Statutis Synodalib.
diœcesis nostræ, sub pœna excommunica-
tionis, ne concubinus suam concubinam
in confessione audiat: Cuius prohibitio-
nis (a) meminit Adrianus in 4. Verum nec a illa prohibitio in casu extremæ necessitatis habet locum: Licet ergo concubino concubinæ, si verè pœnitens sit, sacramenta illo casu ministrare; quæ verò ad veram con-

(a) *In 4. de cõ-fession.*

cubinariorum pænitentiam requirantur, a 1.3.n.19. vide apud Nauarrum in (a) Summa.

QVÆSTIO XXIII.

An etiam ab Ecclesia præcisum.

Quæstionis explicatio.

b c.3.q.4.& 11.q.3.§.euidēter,& alibi passim.

CErtum (b) est, communiter non licere sumere sacramenta à sacerdotibus interdictis, suspensis, degradatis, excommunicatis nominatim vel propter violentam & notoriam clerici percussionem, iuxta moderationem Conciliorum Basilien. & Constantien. Sed quid si alii pro tēpore reperiri non possint, an liceat Magistratui vel ipsi spēste infectis tales inducere, vt sibi sacramenta ministrent.

Responsio.

c c. quod de his, de senten exto. & ibi Dd.

d Sess.14.ca. de Sacer.pœnitent.

e In 4.dist.18 q.4.art.4.§. Rat.concl.

Si alius haberi non possit, licet: quia secundum antiqua (c) iura & nouissimū concilium (d) Tridentinum, *in articulo mortis omnes sacerdotes quotlibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absoluere possunt*: Si *omnes sacerdotes*, ergò & sacerdos præcisus: & confirmat (e) Soto. Cum enim in articulo mortis agatur, vel de ppetua felicitate, vel de perpetua damnatione fidelium, nō ageret Ecclesia, quæ à Spiritu sancto gubernatur, secundum

cũdum ampliſſimam Dei miſericordiam: Si aliquem ſacerdotẽ impediret illo tempore ſacramenta miniſtrare.

Dices: præciſus ab eccleſia, non poteſt miniſtrare ſacramenta abſq; peccato. Nemo ergo poterit illum ad id inducere.

℟. Præciſum non peccare in illo extremæ neceſſitatis articulo, hic enim ſemper excipitur.

Dices ſecundo: Præciſio non tollitur per contritionem, debet ergo præciſus pro reconciliatione ad ſuperiorem recurrere, priusquam tale officium ſuſcipiat.

℟. Verum eſſe, ſi facile fieri poſſit abſq; periculo animarum, ſed hic verſamur in caſu quo res moram non patitur nec poteſt commode ad ſuperiorem recurri: Itaque excuſantur: Alioqui enim eccleſia vt ante diximus, quæ à Spiritu ſancto regitur non ſatis prouidiſſet ſaluti fidelium ex hoc ſæculo exeuntium.

QVÆSTIO XXIV.

An etiam Hæreticum.

Quæſtionis explicatio.

INter ſacerdotes ab eccleſia præciſos, periculoſiſſimi ſunt hæretici, qui in id perpetuo intenti ſunt, vt alios adſuas opiniones alliciant: Cum autem omnes tum

Lutherani tum Caluiniſtæ ſacramenta nuda & inefficacia ſigna eſſe opinentur, gratiamque quam per Sacramenta nobis credimus, ſoli fidei tribuant, merito Catholici ſibi timere debent, ne ſi illorum aliquem pro ſacramento miniſtrando vocent, loco ſacramẽti illis hæreſim ſuam inſtillẽt, adde quod ſolent (ſicut (a) eruditiſſimi & grauiſs. viri annotarunt) ſacramentorũ formas peruertere, materiam contemnere, intentionẽ vitiare, quæ tamen ad ſacramentorũ eſſentiam ſunt neceſſaria: Merito ergo ſpeciatim de huiuſmodi præciſis quæritur: An & illi aduocari & induci poſſint, vt ſacramenta illo tempore miniſtrent?

(a) *Reuerendiſſimi Matthæ. Houius Archiepiſc. Mechl. & Henric. Cuntrius Epiſc. Ruræm. in ſuis parochialib. Ille de Baptiſ. can. 10. Hic de Baptiſm. can. 9.*

Reſponſio.

§ I alius ſacerdos haberi non poſſit, poterunt aduocari Si modo de intentione miniſtrandi conſtiterit & prudenter periculũ ſubuerſionis caueatur. Vt patet ex iis, quæ ſuperioribus quæſtionibus diximus.

Dixi primo: (*Si modo de intentione miniſtrandi conſtiterit*) quia ſecundum communem eamq; certiſſimam aliqua ſaltem intentio conficiendi ſacramentum requiritur, puta faciendi quod Chriſtus inſtitutor ſacramentorum fecit, quam quidam hæreticorum habent.

Dixi ſecundo: *Si periculum ſubuerſionis caueatur*,

ueatur, quia stante illo vel simili, vt publici scandali vel infamiæ, religionis, aut contemptus sacramentorum, non licebit, sed illo casu potior habenda erit ratio boni publici & reuerentiæ sacramentis debitæ.

Dices primo: Non potest vocari hæreticus sine scandalo: ergo simpliciter non est aduocandus, neque in extrema necessitate.

R. Scandalum illud fore aliquando actiuum, aliquando passiuum tantum & excusabile, quando vero erit vnius vel alterius generis ex ordine charitatis, & ex generali obligatione vitandi scandalum & proximi ruinam, iudicandum est. Nam (vt superioribus quæstionibus diximus) si commodè possumus, & sine magno detrimento, debemus auferre proximo occasionem ruinæ, quia hoc postulat ratio charitatis: Si vero id sine graui incommodo ac detrimento vitare non possumus, non obligamur cum tanto onere ad omittendũ ea, quæ sunt nobis ad salutem necessaria. Cæterum etsi hæc vera sint, non suadeo tamen, vt quis hæretici opera facile vtatur, nisi qui hæreticorum malitiam & fraudulentiam, perspectam habuerit, & ab ea sibi cauere probe didicerit.

QVÆSTIO XXV.

Quis teneatur ministrare sacra summo Pontifici, Primati, Patriarchæ, Cardinali, Episcopo, & inferioribus Prælatis exemptis, vt generalibus ordinum, Decanis, Abbatibus, Prouincialibus, Guardianis, Prioribus, peste infectis.

Quæstionis explicatio.

SVnt in ecclesia personæ quædam, quæ vel propter præeminentiam status vel propter priuilegia & exemptiones nõ subsunt Episcopis & Pastoribus ordinariis: de quibus ideo queri solet apud doctores, qui teneantur illis sacramẽta ministrare, quod & si omni tempore merito quæri potest, tamen maxime pestilentiali, quo fere sacerdotes, vt diximus, sacramentorum administrationem subterfugere solent: horũ occasione consequenter quæritur, quis teneatur illis ministrare sacramenta.

Responsio.

PRimo. Pontifici summo teneturministrare sacramenta sacerdos quem ille sibi ad hoc delegit & obligauit. Ita necessario dicẽdum est, quia cum summus pontifex nullum in terris superiorem habeat, & peccare possit sicut alii, necessarium est dicere

dicere vel ipsum posse sibi sacerdotem deligere qui sacramenta illi ministret, vel deũ illi aliquem designasse qui ei sacramenta ministrare teneatur; posterius non videtur verum, nusquam enim hoc legitur, restat ergo vt prius dicamus. Colligitur hæc doctrina ex iis, quæ doctores communiter tradunt de primatu Pontificis; Alioquin, summus Pontifex peioris esset conditionis reliquis fidelibus qui habent pastores & alios sacerdotes obligatos ad sacramenta sibi quãtumuis peste infectis etiam cum periculo vitæ ministranda.

Secundo: Aliis Prælatis exemptis tenetur similiter ministrare sacramenta sacerdos ille, quem ipsi sibi delegerint, & ad hoc obligarint, & hoc necessarium est dicere, quamuis diuersa ratione: Cum enim pleriq; omnes illi à summo Pontifice longissime distent, necessum fuit vt priuilegiũ illis concederet, quo sacerdotem eligere possent, qui illis sacramenta ministraret, q̃ hisce verbis in decretalibus expressum habemus, (a) *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculũ immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis superioribus nec non minoribus prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum & discretum sibi possint eligere confessorem.*

(a) *est Greg. 9. de reseru. & pœn. & rem. c. vlt. ne pro dilation.*

Neque obstat, quod priuilegium videtur tantum loqui de sacramento pœnitentiæ, quia regulare est in iure canonico, vt quib⁹ sacramentū pœnitentiæ ministrari permittitur, præsertim in articulo necessitatis liceat etiam ministrare viaticum, & consequēter alia, si quæ sint in tali casu ad salutē necessaria sacramenta, aliâs enim sum̃us Pontifex illis non sufficienter prouidisset.

Dices primò. Poteritne etiam sacerdos secularis per eos electus sacramenta ministrare.

℟. Poterit, quia priuilegiū non restringit, & aliâs non esset satis periculis animarum prouisum.

Dices secundò. Sacerdos per huiusmodi Prælatos electus, teneturne ministrare sacramenta ex debito iustitiæ, vel alio titulo.

℟. Sacerdotem posse eligi duobus modis: vno, vt post electionem maneat eligēti obligatus ad illa ministranda, & sit veluti eius pastor saltem in illis officiis, cui ob id alimenta & alias commoditates tribuit: altero, vt post electionem maneat in arbitrio eligentis, eligere alia vice alium, & altera alium, & sic consequenter, quoties voluerit sibi sacramenta ministrari: hoc enim fieri posse etiam vigore huius priuilegii censent

sent (a) Paludanus, (b) Anthonius (c) Nauarrus & alii. Si sacerdos est electus primo modo, tenetur eligenti peste infecto ex debito iustitiæ ministrare sacramenta, etiam cum periculo vitæ, quia hic sacerdos in eiusmodi officiis pastor est eligentis, & ad id tacite se obligauit, alimenta & alias cõmoditates percipiendo, vt ex iis, quæ de pastore antea diximus, patet. Si verò est electus altero modo, non tenetur debito iustitiæ, sed potest teneri debito charitatis, pietatis, obseruantiæ, obedientiæ, vel similis alterius virtutis.

a *in 4. dist. 17.*
b *3. par. 1. 17. cap. 19.*
c *in c. placuit, de pœnit. num. 166.*

QVÆSTIO XXVI.

Quis domesticis Summi Pontificis, Primatum, Patriarcharũ, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum inferiorum Prælatorũ exẽptorum.

Quæstionis explicatio.

SIcut difficultas est, quem habeant obligatum ad ministrandum sibi sacramẽta in casu pestilentiæ exempti Prælati, ita non minor difficultas, quem habeant ipsorum familiares & domestici. Quocirca etiam quæritur, quis teneatur illis ministrare.

Responsio

Responsio.

a *Palud. supra.*

DIco primo: (*a*) Summus Pontifex & pœnitentiarius primus tenentur suis familiaribus & domesticis ministrare sacramenta, nisi illis alium assignarint, quia sunt illorum immediati pastores. Non solet tamen per se Pontifex ministrare sacramenta, nec forte expediret tempore pestis, quia est causa vniuersalis, imo vniuersalissima, quæ per se non operatur particulares effectus, sed vacat maioribus, nisi in casu raro & necessario, puta extremæ necessitatis quo nullus alius esset sacerdos vt colligitur ex iis (*b*) quæ ex D. Thoma ante diximus.

b *Quodl. 1. art. 14. & 3. art. 1.*

Secundò, similiter alii inferiores Prælati tenẽtur ministrare sacramenta suis subditis; qnamquam non teneantur nec expediat vt per se ministrarent ob causam iam assignatam, sic enim se habent ad aliquam multitudinem populi sibi subditam, sicut Summus Pontifex ad vniuersalem Ecclesiam.

Postremo, inferiores Prelati exempti, vt Abbates, Decani, Prouinciales, Guardiani, Priores, &c. tenentur suis respectiue ministrare siue canonicis, siue religiosis, siue per se siue per alium, eadem ratione.

Dices primo: Possuntne familiares & domestici

mestici Papæ eligere sacerdotem qui illis sacramenta ministret? Ratio dubitandi est, quia immediate subsunt Pontifici, sicuti Prælati exempti.

℟. Non posse, quia etsi sint exempti à iurisdictione ordinariorum, non tamen sunt Prælati: Itaq; Pontificis & summi Pœnitentiarii erit illis designare sacerdotem, vel speciatim dare facultatem eligendi aliquem.

Dices secundo: Tenenturne huiusmodi Prælati ministrare sacramenta sibi subditis ex debito iustitiæ vel charitatis.

℟. Quosdam putasse Prelatos religiosorum ex debito charitatis tantum teneri, qa videlicet ex charitate vel obedientia sine aliquo stipendio munus istud suscipiunt: sed contrarium videtur esse verius: Neque enim illi subditi debent peioris esse conditionis quam reliqui fideles, vt in casu pestis non habeãt ius ab aliquo proximo pastore petendi sacramenta: Neq; verum est quod stipendium accipiant, quod videtur contrariæ opinionis fundamentum: recipiunt enim à Religiosis reuerẽtiam & obedientiam, & ad hoc munus aluntur à religione, & suas priuatas commoditates supra reliquos religiosos habent.

QVÆ-

QVÆSTIO XXVII.

Quis Prælatis non exemptis.

Quæstionis explicatio.

SVnt in diœcesi Leodiensi Prælati, de quibus indubium est eos immediate subesse Episcopo, vt Abbates & Priores Canonicorum Regularium diui Augustini, Decani rurales & alii nonnulli: Quæritur ergo quis grassante peste tenebitur illis sacramenta ministrare.

Responsio.

EPiscopus, siue per se, siue per aliũ, quia est eorum proximus Pastor.

Dixi, *per se vel alium*, quia non solet, neque subinde expedit, vt postpositis grauioribus diœcesis negotiis, dedat se huic functioni, quæ plerumque per alios inferiores sacerdotes æquè bene perfici potest.

Dices: Per quem hoc munere fungi solet Episcopus circa præfatos Abbates & alios sibi immediate subiectos.

℟. Per Priores, Suppriores, qui vel ex regula vel statutis aut consuetudine solent suorum Prælatorum confessiones excipere.

Dices secundo: Possuntne huiusmodi Prælati pro se & suis sacerdotem etiam seculare eligere, & ad hoc munus obligare.

℟. Non

℟. Non possunt de iure, Consuetudine tamen huius diœcesis ex tacito Episcopi consensu videtur introductum, vt sibi eligant.

Dices tertio: Per quem solet Episcopus fungi hoc munere circa Decanos rurales.

℟. Per pastores, quos Decani sibi subiectos habent, hi enim sicut suorum confratrum pastorum, ita & Decani sui confessiones excipere solent.

Dices quarto: Tenentur prædicti ministrare ex iustitia vel charitate.

℟. Vide quæ ante diximus de duplici modo eligendi.

QVÆSTIO XXVII.

Quis canonicis Regularibus & Pastoribus ruralibus?

Quæstionis explicatio.

EX dictis non est difficilis quęstionis resolutio, tantum aduertendum, vt cum canonici regulares, sicut & pastores respectiue sibi mutuo sacramenta ministrare soleant, sciatur quis ex iustitiæ debito vel solius charitatis teneatur illa ministrare.

Responsio.

ABbates & Decani rurales tenentur respectiue suis canonicis regularib. & pastori-

pastoribus sacramenta per se vel alium ex iustitiæ debito ministrare, quia sunt illorum immediati pastores, debent ergo illis immediate ministrare, idque ex iustitiæ debito, quia Abbates & Decani idcirco obedientiam, reuerentiam & alias quasdam commoditates à suis respectiue subditis recipiunt.

Dixi (*per se vel alium*) quia satisfaciunt officio, si per idoneum ministrum id præstet.

Dices: Possunt Abbates & Decani vti opera cuiuscunq; sacerdotis idonei in ministrandis sacramentis?

R. Possunt in casu pestis, non ita extra illum, quia Decani regulariter debent vti approbato iuxta nouissimam Constitutionem Concilii (*a*) Tridentini, licet non Abbates pro suis, de qua re plura dicere non est huius loci.

a *Sess. 25. c. 15*

QVÆSTIO XXIX.

Quis teneatur sacramenta ministrare Imperatori vel Augustæ vel Regibus, & eorum aulicis peste infectis.

Quæstionis explicatio.

SOtus (*b*) dicit se de hac quæstione nihil certi legisse quamuis autem hoc particulatim dicat de sacramento pœnitentiæ tamen

b *In 4. dist. 18*
c *4. art. 2. §. Cardinales.*

tamen idem est iudicium de ministro aliorum sacramentorum per ea quæ ante diximus.

Responsio.

DE iure tenetur(a) pastor, in cuius parochia ipsa aula Imperatoris vel Regum sita est, quia quoad sacramēta immediate illi parochiæ subditi sunt: deficiente pastore tenetur Episcopus diœcesis, in qua quæq; aula sita est: verum quia ex antiquissima consuetudine solent recipere sacramenta à suis sacellanis, tenebitur illis ministrare Sacellanus prout ad id electus & obligatus fuerit, vt ante diximus.

a *c. vlt. extr. de parochiis.*

Dices: Nulla consuetudine (b) introduci potest vt absq; licentia proprii sacerdotis possit aliquis sibi eligere confessorem, nemo ergo poterit obligari saltem ad confessionem excipiendam præter proprium sacerdotem.

b *de pœn. & remiss. c. 2. lib 6.*

Resp. Hoc tempore Imperatorem & Reges, vel habere priuilegium eligendi Capellanum, vel saltem(c) accedere tacitum Summi Pontificis & Episcoporum consensum.

c *d. Palud. & Hostien. supr.*

QVÆSTIO XXX.

Quis Principibus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus & aliis locorum Dominis, seu eorum Balliuis & Seneschallis, eorumque domesticis.

Quæstionis explicatio.

MVlta de his particulatim habet Paludanus, & post illum Anthoninus, quæ non paruos scrupulos adferunt, de quibus idcirco puto loquutum fuisse Sotum, cum dixit, *in his parum legi certi*, subiiciam quæ videntur certiora.

Responsio.

a arg. c. final. de parochiis

IN primis de iure tenetur (*a*) parochus in cuius parochia residet, propter rationem aliquoties antedictam, verum quia plerique Principum & Dominorum, qui multa dominia habent, solent ire de vno dominio ad aliud, & habere Capellanos, qui ipsis sacrum missæ officium faciunt & sacramenta ministrant hodie in vsu est, vt illi Capellani sic electi sint illis ad hoc obligati: Balliuis vero & Seneschallis prædictorum Dominorum, sicut & eorum familiaribus & domesticis, qui nomine eorum fere semper modo huc, modo illuc discurrunt, tenetur ministrare pastor ille, in cuius parochia pro tempore conceptæ pe-

stis

tis reperientur, quia eo casu est eorum pastor.

Dices: Cum huiusmodi officiati fere habeant plures pastores in districtu suorum officiorum commorantes, quis illorum in hoc casu ministrare tenebitur?

R. Cum Paludano, (a) eum teneri prius ministrare, in cuius parochia ille decubit; Quo deficiente tenebitur vicinior, vel qui prius ab eo vocabitur.

a *sup.*

QVÆSTIO XXXI.

Quis viatoribus, Peregrinis, Mercatoribus ad nundinas proficiscentibus, si per itinera peste corripiantur.

Quæstionis explicatio.

SYluester (b) & alii faciunt plures distinctiones inter viatores cum licentia Episcopi, vel sine illa: Sed quia his in locis non est in vsu, vt peregrinantes ad loca sacra vel alia petant licentiam confitendi vel alia sacramenta recipiendi per itinera, idcirco loquimur de viatoribus simpliciter, siue illi habeant licentiam siue non, & quæritur quis illis obligetur, si in itinere peste corripiantur.

b *verb. confessor. 1. q. 13.*

Responsio.

Pastor in cuius parochia reperiuntur dū

peste (a) inficiuntur, quia is pro illo tempore censetur eorum pastor.

a arg. c. fin. de parochiis.

Dices: Quid si à domicilio domum heri vel nudiustertius recesserint.

R. Quidam volunt viatores peregrinos & huiusmodi demum sortiri forum, si per annum abfuerint à loco habitationis, alii si abfuerunt quinque fere mensibus, alii, si vno mense, modo longius absint à suo domicilio, nec facile possit pastor proprius illis seruire: Sed in casu pestis in quo versamur, putamus etiam breuius tempus sufficere, nec præfatos Doctores in hoc casu aliud dicturos fuisse, præsertim si proprius pastor facile haberi non possit, quia (b) *necessitas legem non habet.*

b De cõsuet. c. peruenit.

QVÆSTIO XXXII.

Quis Vagabundis.

Quæstionis explicatio.

VAgabundi (c) dicuntur, qui non habent certum domicilium, nec quærunt, nec petunt habere.

c Gloss. & Barth. in l. dies. §. Prætor ff. de damno infect. & Panor. apud Syluest. verb. cõfess. 1. q. 1. in fine.

Responsio.

TEnetur illis ministrare pastor (d) in cuius parochia peste decumbunt, quia

d arg. c. fina. de parochiis.

quia cum nullam certam habeant parochiam, necessario censentur esse illius, in qua pro tempore huiusmodi necessitatis reperiuntur.

Dices: Vagabundi non sunt melioris conditionis quoad sacramenta, quam incolæ & alii: Sed incolæ alicuius loci non habent tot pastores ad quot loca commigrare volunt. Ergo, &c.

R. Negando Consequentiam, magna enim est ratio diuersitatis, quia incolæ certum aliquem pastorem habēt, isti nullum. Nec propterea melioris sunt conditionis, quod pastor loci, in quo in tali necessitate reperiuntur, fiat illorum pastor, tum quia non habent actu nisi vnum pastorem, tum quia incola, si casu peste corripiatur in externa patria, ille in cuius parochia continget illum peste corripi, fiet illi pastor.

QVÆSTIO XXXIII.

Quis illis, qui in duabus parochiis ex æquo habitant in vna æstiualem in altera hyemalem domum habentes.

Quæstionis explicatio.

IN hac quæstione duo videntur facere difficultatem. 1. quod huiusmodi domus solent esse vicinæ. 2. quod altera æstiualis, videtur magis ad aliquam animi recreatio-

nem quam ad habitationem seruire: dicam quid videtur probabilius.

Responsio.

SI, vt ponit quæstio, quis ex æquo habitet in duabus domibus, videtur primũ is parochus teneri, in cuius parochia reperitur cum peste inficitur, & illo absente aut officium facere detrectãte, alter parochus si vocatus commode illum adire potest. Ita Nauarrus, (a) & est valde conforme iuri canonico, quia vt reuera est illius parochus, & cum talis moritur, tenetur vtriq; parochia soluere iura mortuaria.

a *In c. Placuit, nu. 77. c. quã quis, de sepult. in 6.*

Dices, quid si non habitat ex æquo: sed tantum aliquo tempore frequentat æstiualem animi & recreationis ergo.

℟. Teneri ministrare parochum illum, in cuius parochia principalius habitat. Si modo parochus cõmodè illũ adire potest, quia is vere parochus est, non alter. (b)

b *c. Is qui de sepult. in 6. Nauarr. c. Placuit nu. 84. & seq.*

QVÆSTIO XXXIV.

Quis Scholaribus diuersarum nationum in vniuersitate aliqua commorantibus?

Quæstionis explicatio.

DIfficultatem faciunt diuersæ vniuersitatum consuetudines: item distãtia vel

vel proximitas locorum domicilii ipsorum, distinctione patebit quod videtur probabilius.

Responsio.

VEl enim in vniuersitate est aliquis designatus, & ille obligabitur, siue per se siue per alium, quia est illorũ quo ad hoc pastor ex officii sui debito: vel non est designatus, & tunc si cõmode proprius pastor haberi potest, vt quia sit in eadem ciuitate, tunc obligatur proprius pastor: (a) alias parochus illius loci, in quo habitarunt siue per annum, siue per breuius tempus, (b) per ea quæ ante diximus.

a *Nauarr. c. placuit. n. 97.*

b *Panormit. in c. omnis, & in c. cum contingat, de foro compet. c c. omnis, de pœnit. & remiss.*

Dices, secundum (c) Innocent. oportet Scholares habitasse per annũ in parochia, anteq̃ censeantur parochiani: ergo non tenebitur parochus ministrare studioso peste infecto, nisi per annũ habitarit in parochia.

R. Negando consequentiam: q̃ vt intelligatur notãdum actus scholarium & quorumcunq; laicorum in cõparatione ad parochũ esse in duplici differentia: Quidam sunt vtiles sacerdoti, quibus scil. exhibetur illi aliquod emolumẽtum, vt solutio decimarum & huiusmodi, quidã vtiles scholarib. & aliis quibus aliquid à parocho recipiunt, vt cõfiteri, communicare, audire diuina, & huiusmodi: Si primos actus con-

sideres, verum est quod dicit Innocentius, quia non tenentur ad decimarum personalium solutionem, nisi per annum habitarint in parochia. Si secundos, verum est quod diximus Scholares habere ius petendi sacramenta à pastore loci in quo habitant bona fide studendi causa, (a) sine præfinitione alicuius temporis, & cõsequenter pastorem statim obligari ad ministranda illis sacramenta, præsertim extrema necessitate spirituali occurrente.

a *Panor. sup.*

QVÆSTIO XXXV.

Vtrum teneantur Pastores vel alij quicunq; sacerdotes sacramenta ministrare omnibus peste infectis.

Quæstionis explicatio.

HActenus ostendimus qui teneantur tempore contagioso sacramenta ministrare siue ex debito iustitiæ siue charitatis: Respõdimus etiam variis ministrantiũ tergiuersationibus & excusationibus ex parte ipsorum petitis: Sequitur proxime, vt examinemus: An omnibus peste infectis pastores teneantur ministrare: nam etiam ex parte peste infectorum multa subterfugia tempore pestis prætexi solent, quibus deinceps consueta methodo & breuitate respon-

respondendum est: Quod vt ordinatius & dilucidius fiat obseruandum est peste infectos plerumque multa eaque grauissima symptomata tum corporis tum animi pati: Et inprimis nauseam & frequentes vomitus, singultus, tussim, sitim inexhaustam, cruoris in ore abundantiam, sternutationes, suspirationem difficilem, linguæ tumorem, sudorem graue olentem, per omnia membra dispersum, profundissimũ somnum, animi deliquium, furorem, amentiam, tantam subinde corporis insensibilitatem, vt pro mortuis reputentur: de quibus multi Medici, Historici, & Poëtæ: de prioribus corporis symptomatibus sic Galenus (*a*) loquitur: *Non solum morsus patiuntur peste infecti, sed & alios affectus, tum qui nauseam in eis excitant, tum qui Cardigioni vocantur & expultricem irritant.* Et Thucydides (*b*) describens pestem, quæ suo tempore Athenis grassata est: *Iucundissimum* (inquit) *in gelidam seipsos aquam inijcere, id quod in puteos multi eorum, quibus custos deerat sese proijcientes fecerunt inexhausta siti adacti, quanquam perinde erat plus ac minus bibere.*

a *lib. 5. de loc. affectis, c. 6. & lib. 5. suæ method. c. 12.*

b *lib. 2. hist. de peste Athen.*

Lucretius Poëta de peste infecto loquens sic ait:

Creber spiritus, raroq; coortus.

Et Ouidius de eodem:

Viscera torrētur primo, flammisq; fatiscunt,

Et rursus:

Aspera lingua tumet, tepidisq; arentia ventis
Ora patent, auraque graues captantur hiatu.

Et Lucanus de eodem:

Atq; animi interpres manabat lingua cruore
Debilitata malis, motu grauis, aspera tactu.

De posterioribus animi symptomatibus Euagrius (a) describens pestem quæ suo seculo per quinquaginta duos annos totum fere orbem peragrauit, testatur pleroſque peste infectos vi & magnitudine morbi de statu mētis dimotos vitam reddidisse. Cuius rei exempla & nos Leodii illo luctuoso anno 1579. plura conspeximus: his ita præmissis quærimus generatim, an pastores seu alii quicunq; sacerdotes teneantur ministrare sacramenta omnibus peste infectis.

a *lib. 4. hist. eccl. c. 28.*

Responsio.

TEnentur indifferēter omnib. egentibus & rite dispositis: hæc assertio colligitur ex iis, quæ superiorib. quæstionib. diximus de officio pastorali, hoc enim est potissimū pastoris munus ministrare sacramenta sine vlla acceptione personarum: *Nam in Christo Iesu* (inquit (a) Paulus) *non est Iudæus neq; Græcus, neq; seruus, neq; liber, neq; masculus neq; fœmina.* Dixi,

b *ad Galat. 3*

Dixi (*egentibus*) quia (*b*) *non est opus valentibus medicus*, quales sunt paruuli, qui defectu vsus rationis necdum potuerunt peccare, saltem mortaliter, & à natiuitate amentes, & si qui sint adulti, de quorum bono statu moraliter pastori constat. a *Matth. 9.*

Dixi (*Rite dispositis*) quia aliis sacramenta non prosunt sed officiunt, & sacerdos illis scienter dispensans sacrilegium committit, indigne res sacras pertractans, contra virtutem religionis.

Dices: Pastores sæpe dubitant de subditis, an sint sufficienter dispositi, tenebũtur non obstante dubio, & illis ministrare?

℟. Tenebuntur si facto examine pro ratione temporis quod illis tunc conceditur manent speculatiue dubii, illo enim casu debent se practice resoluere & inclinare ad partem quæ fauet animæ, vt initio ostensum est.

QVÆSTIO XXXVI.

An tencantur etiam famulis & ancillis.

Quæstionis explicatio.

NOta primo famulos & famulas præ dominis & dominab. citius peste corripi eo q; illis ex officio incũbit huc & illuc ad procuranda domus necessaria discurrere in foro & locis publicis versari, emere, mercari,

mercari, domus etiam cubicula verrere, vestimenta mundare, linea lauare, quibus modis vt initio diximus, maximè pestis concipitur. Secundo nota huiusmodi peste correptos ob seruilem conditionem, parum christiane, à Dominis in hac necessitate extrema plerumq; negligi: Horum occasione quæritur: An sic neglectis pastor teneatur ministrare sacramenta; an vero ab administratione excusetur.

Responsio.

NOn excusatur, sed tenetur ministrare non secus ac ipsis dominis & dominabus, quia per Baptismum, qui dominis & famulis communis est, vtrisq; ius æquale acquisitum est ad petẽdum & pecipiendum sacramentum: Non ergo famulis obesse debet seruilis cõditio, cum quoad perceptionem sacramentorum omnes fideles sint æqualis conditionis, vt bene probat Pontifex Adrianus (*a*) illis Apostoli verbis paulo ante citatis: (*b*) *Quicunque baptisati estis in Christo, Christum induistis: Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber.*

a *c. dignũ, de coiug. seruor.*
b *Galat. 3.*

Dices: Pastor non solet vocari in huiusmodi casu ad seruos & ancillas.

R. Sicubi talis inoleuit consuetudo, tanquã abusus & corruptela intollerabilis per Præla-

Prælatos & paſtores corrigi debet, vbi omni iuri naturali, diuino & humano contraria.

Dices ſecundò: Quid ſi eodem tempore vocetur illuc quidem ad dominum, iſthuc vero ad famulum vel ancillam, pro eodem ſacramento?

R. Cæteris paribus, locus eſt gratificationi. Dico (*cæteris paribus*) quia fieri poteſt, famulum præferri debere, ſi in maiori neceſſitate ſalutis ſit conſtitutus, vt fieri frequenter ſolet.

QVÆSTIO XXXVII.

An etiam in amentiam & furorem actus.

Quæſtionis explicatio.

TAnta eſt vis morbi peſtilentialis, vt illo correpti, frequentiſſimè in deliriũm, phreneſin, amentiam, furorem & huiuſmodi alias animi paſſiones incidant, vt paulò ante notauimus: Quæ cauſa eſt, vt tempore peſtilentiali frequenter in quæſtionem vertatur: An & illis Sacramenta miniſtranda ſint: quæ eò periculoſius diſputatur, quòd non deſint (*a*) Doctores, qui exiſtimant, ſine diſcrimine illis neganda eſſe. Horum occaſione quæritur: An & illis paſtores

a *Gabr. in 4. diſt. 9. q. 4. Alexã. q. 49. memb. 4.*

ſtores ſacramenta miniſtrare debeant: an verò iuxta aliorum opinionem excuſent.

Reſponſio.

Diſtinguendum eſt inter amentes. Aut enim antequam in amentiam inciderent, ſacramenta neglexerunt, vel etiam de illis malè ſenſerunt: aut contra piam & religioſam voluntatem erga illa præ ſe tulerunt: Si primum, non ſunt illis miniſtranda ſacramenta, non ratione furoris vel amētiæ, ſed voluntariæ indiſpoſitionis, puta, quia ſua infidelitate vel craſſa negligentia indignos ſacramentis ſe reddiderunt.

Si ſecundum: Tenebuntur paſtores illis miniſtrare, niſi periculum vomitus, expuitionis & ſimilis irreuerentiæ timeatur: fieri enim poteſt, vt ab vltima ſacramentorum perceptione peccarint mortaliter, & in amētiam inciderint, tantum attriti, fiant v. cōtriti per ſacramētorum applicationem, vt initio annotauimus.

Dixi (*niſi periculum vomitus, exſpuitionis, aut ſimilis irreuerentiæ timeatur*) propter ſacramentum Euchariſtiæ: de quo ſuo loco dicemus.

Dices: Non poſſunt amētes ſe ad ſacramenta recipienda diſponere.

Reſp. Non eſſe neceſſariū, vt iam ſe diſponāt, potuerunt enim antequam in amētiam in-

tiam incidissent, se disposuisse, & ideo tũc non ad ipsos, sed ad pastores pertinet, illos illorumque dispositionem examinare: nã si nõ cõstat, eos fuisse prius in peccato mortali, (a) *præsumendi sunt boni, quia mali nõ probantur*: Si autem constiterit, peccasse mortaliter, oportet vt constet, vel fuisse confessos si potuerunt, vel si non potuerunt, saltẽ signa contritionis dedisse.

a *c. final de præsumpt.*

Dices 2. Tenentur quoque pastores illis ministrare, qui perpetuo amentes fuerunt.

R. Non tenentur ministrare sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ & extremæ vnctionis, quia non indigent: neque obstat, quod aliis amentibus, qui videlicet aliquãdo vsum rationis habuerunt, ministrare teneãtur, quia magna est ratio diuersitatis inter hos & illos: nam qui post vsum rationis amentes facti sunt, fuerunt re ipsa obligati præcepto percipiendi sacramenta, vnde p̃sumuntur vel explicite vel saltem implicite sacramenta petiisse, & petẽdo speciale ius ad illa acquisiuisse, quod merito eis ecclesia ser̃uare vult, quod locum habere non potest in iis, qvsum rationis nunquam habuerunt.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXVIII.

An etiam non petentibus.

Quæstionis explicatio.

PLuribus ex causis accidere solet, vt peste infecti sacramenta non petant, vel quia vi morbi præoccupati nō habent facultatem loquendi, vel quia non habent, qui pastorem aduocet, vel quia falso existimant, sibi sacramenta non deberi, propter seruilem conditionem, de qua statim diximus, vel quia hæresi infecti, credūt cum Nouatoribus nostri temporis, sacramenta non esse ad salutem necessaria. Horum & similium occasione quæritur: An pastor excusetur, si huiusmodi non petentes sacramenta, moriantur sine illis, an vero teneantur ministrare?

Responsio.

DIco primò. Quod si adhibita cōgrua monitione, doctrina & exhortatione hæretici peste infecti in sua pertinacia perseuerent, non solum non teneri pastore illis ministrare, sed licitè non posse, etiam si illa peterent, quia per infidelitatem se indignos sacramentorum participatione reddunt, vt manifestum est.

Dico

Dico secundo: Pastorem extra hunc casum teneri non solum ministrare sacramẽta, dum vocatur & petitur ab amicis & vicinis peste infectis, sed etiam, dum non vocatur, nec æger morbo præuẽtus illa petere potest, aut falsa persuasione deceptus, illa non petit, ratio est, quia pastor ex officio tenetur vigilare & sollicite inquirere, num aliqui tali tempore à parentibus, dominis, & amicis sint deserti, vt eis ipse, maxime in spiritualibus, subueniat, vt ante diximus. Neque obstat, quod actualiter non petant sacramenta, quia sufficit, quod illa implicite & interpretatiue petunt, dum contritionis signa præ se ferunt, siquidem in signis istis est tacita petitio sacramentorũ: & confirmatur, quia contritio includit voluntatem implendi omnia Dei præcepta, ergo & illud, quo tenemur in articulo mortis sacramenta percipere.

Dices: Hoc pacto sacramenta exponũtur periculo irreuerentiæ, quia fieri poterit vt minus bene dispositis dispẽsent, quod sine irreuerentia fieri nequit.

℟. Cum huiusmodi aliter ad sacramenta disponere se non possint, incumbit pastori, vt inquirat de dispositione, quam ante morbum habuerunt, & iuxta comperta de eis iudicet, quod non est dificile, iuxta

Paludanum (a) & alios (b) quacunq; probabili fide in tali necessitate credantur esse bene dispositi, sufficit vt illis sacramenta ministrentur: Quod à pastoribus bene notandum & obseruandum est.

a *Palud in 4 dist. 9. q. 4.*
b *Sylu verb. Euchar. 3. n. 7:*

QVÆSTIO XXXIX.

An etiam Interdictis

Quæstionis explicatio.

INterdictum Ecclesiasticum (c) prohibet, non solum diuina officia, sed etiam Sacramenta. Ideoque quæret aliquis, an etiã illo casu, quo patria pste infecta, ecclesiastico subiacet interdicto, pastor teneatur sacramenta ministrare an vero ab administratione illarum excusetur?

c *c. Non est vobis de spõ. & c. quod in te de pæn. & remiss. & ibi Dd.*

Responso.

Tenetur ministrare quod enim dicitur interdicto prohiberi sacramenta, de iis intelligi nequit; quæ iure aut priuilegio ægris permittuntur: Itaque cùm paruulis (d) baptismum, & pœnitentiam (e) infirmis nec non eucharistiam (f) seu viaticum in articulo mortis constitutis, iura expresse permittant, teneatur pastor, non obstante interdicto, ea illis ministrare; de quibus, sicut de ex-

d *c. non est de sponsal.*
e *c. Non est.*
f *c. quod in te de pæn. & remission.*

de extrema vnctione suis locis aliquid particularius dicemus.

Dices: Tenebiturne pastor & illis ministrare, qui fuerunt causa interdicti, aut qui consilium, fauorem, auxilium delicto præbuerunt, propter quod positum fuit interdictum.

R. Tenebitur: Si tamen prius satisfecerunt (a) aut cautionem saltem iuratoriam dederint, se daturos operam fideliter, vt satisfiat: nisi ita sint dispositi, vt rationis & sermonis vsum, ad id præstandum sufficiẽtem habeãt, tunc enim satis est, eos signa contritionis dedisse.

a *Almain. ter de sentẽt. excom. in. 6.*

QVÆSTIO XL.

An etiam excommunicatis.

Quæstionis explicatio.

OMnis excommunicatio à participatione sacramentorũ excludit, & pleræque omnes maiores reseruatæ sunt superioribꝰ: Ideo forte quæret aliquis, an pastor excusabit, si sacramẽta illis non ministret, sed ad superiores pro absolutione remittat

Responsio.

Tenetur pastor non solum excommunicatis sacramenta ministrare, sed prius

etiam absolutionem à quacunque censura impendere, quia in mortis articulo omnis sacerdos quosuis pœnitentes à quibuscunque etiam reseruatis absoluit, vt ante ostẽdimus.

Dices: Quid si excommunicati teneantur ad restitutionem aliquam vel satisfactionem, nec possint satisfacere, tenebiturne pastor nihilominus illos absoluere.

a c. *Alma mater de sent. excom. in 6.*

℟. Tenebit, petita (*a*) prius cautione, quę fiet vel per fideiussores, vel per iuramentũ, vel alio quocunque modo: Quia, imo si is sit necessitatis articulus, vt nihil horum ab eo præstari possit, tenebitur, sine vlla cautione absoluere, quia (*b*) *nemo potest ad impossibile obligari.*

b *l. impossibilium ff.*

Dices secundo: Quid si excommunicati necdũ peste infecti sint, sed propter magnam aëris infectionem probabiliter timetur, ne peste corripiantur & ex hac vita abripiantur, tenebitur quoque tales absoluere, vel ad superiores mittere.

℟. Probabile est teneri: nam illo casu, quando pestilentia ex aëris infectione nascitur, omnibus probabile periculum mortis ingruit, quo fit, vt non immerito illo periculosissimo tempore omnes censeri possint in mortis articulo, ad eum saltem effectum

ctum, vt à censuris & casibus reseruatis per inferiores pastores in absentia Superiorum absolui possint, per ea, quæ pluribus locis ante diximus.

Dices postremo: Quid si sic absoluti p̃seruentur & non inficiantur, vel peste infecti, ab ea liberentur, tenebunturne ratione reseruationis iterum ad superiorem recurrere?

℟. Tenebuntur: Sic enim Ius (a) disponit: *Quod si* (inquit) *forsan antequam ab eo, qui potestatem habet, absolui possint, mors talium cõfiteri volentium verisimiliter timeatur, etiam in prædictis casibus sæpe fati fratres eos confiteri volẽtis audient, ipsis q̃ beneficium absolutionis impendent, sed subeant iuramenta, quod liberati se suis Episcopis & excommunicatoribus præsentabunt, excommunicantium super his pro quibus ab eis excommunicati erant, parituri mandatis.*

(a) *Extrauag. inter cunctas §. incendiarii.*

QVÆSTIO XLI.

Pluribus sacramenta simul petentibus, quibus Pastor prius ministrare teneatur.

Quæstionis explicatio.

AEre pestilentia infecto, cum passim in pagis & vrbib⁹ lues sæuit, & ex hac vita multos mortales eripit, plurimi periculo deterriti, spe salutis corporalis abiecta,

gregatim pro remediis spiritualibus concurrere solent, tanto sæpe numero, vt pastores ipsi angustientur, nec sciãt, quibus primum seruire debeãt, quin etiam non raro graues contentiones exoriantur, dum hic vel ille iniurioſe se postpositum queritur, cuius exemplum vidimus triste Leodii, anno 1579. vbi præ multitudine infectorum, sacerdos publicus ad seruiendum ægris in hoc munere conductus, equum conscendere recogeretur, vt celerius ad peste infectos ad quos omni hora vocabatur, accurrere posset, nec tamen omnium votis satisfaceret: huius occasione quæritur, an pastores in huiusmodi concurrentia seruato aliquo ordine sacramenta ministrare teneantur: an vero ab administratione excusentur.

Intellectus huius quæstionis, pendet ex iis, quæ Theologi tradunt apud Magistrũ sententiarum (a) & D. Thomam (b) in mater. de charitate & charitatis ordine, beneficentia, eleemosina, pietate & quibusdã aliis, ex quibus pro fundamento responsionis nostræ tria præsuppono.

a *in 3. dist. 27 229.*
b *2. 2. q. 26. 31. & 33.*

Primum: duo esse principia charitatis vnum Deus, alterum ipse diligens.

Secundum: Quatuor (c) esse ex charitate diligenda, primum Deus ipse, secũdum anima

c *D. Augus. l. 1. de do. chr c. 23. n. 26.*

anima nostra, tertiũ anima proximi nostri, quartum tam corpus nostrum, quam proximi.

Postremum: illud prius ex charitate diligendum esse tam interiori affectu, quam exteriori effectu, quod est coniunctius & propinquius ipsis principiis dilectionis: *vbi enim*, vt ait (a) Philosophus, *est aliquis ordo, illud est prius in ordine, quod est propinquius & coniunctius ei quod est ordinis principium*, sic sanctior, quia est propinquior Deo, & consanguineis, quia est propinquior diligenti, magis diligendi sunt & in beneficentia & eleemosina, cæterisque pietatis & charitatis officiis præferendi.

a *lib. 5. metaph. tex. 16.*

Responsio.

PRimum, dico pastorem peste grassante teneri prius seipsum, (neque enim sui ipsius obliuisci debet) quam quoscunq; alios etiam subditos sacramentis munire, quia hoc ordo charitatis requirat: nam ratio cur debeat seipsum diligere secundum spiritualia bona, qualia sunt sacramenta, de quibus modo loquimur, est, quia ipse est capax beatitudinis supernaturals, ratio autem, quare secundum eadem eadem bona debeat subditos suos diligere

gere, est, quoniam subditi sunt ei societate quadam coniuncti per eiusdem beatitudinis capacitatem, sed maior & vrgentior est ratio seipsum diligendi, quam illa altera diligendi subditos, sicut *vnitas multo arctius est vinculum, quam vnio siue coniunctio*, vt bene asserit (a) D. Thomas ex Philosopho, ergo multo magis tenetur pastor seipsum diligere secūdum illa bona, quam quemlibet subditum atque adeo etiam quam omnes simul, siquidem neque cum illis omnibus intercedit ei amplius, quam coniunctio & societas in eiusmodi capacitate beatitudinis. Confirmatur clare hæc doctrina, ex illa forma præcepti: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*

a 2.2. qu. 26. art. 4. & 5.

Vnde sequitur, male sibi consulere pastores illos, qui ministrant sacramenta peste infectis, in statu peccati mortalis, sub prætextu salutis suorum subditorum, aut etiam totius suæ ecclesiæ seu comunitatis: *Quid enim prodest homini*, (inquit Saluator) *si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.*

Dico 2. Pastorem proximo loco teneri ministrare sacramenta magistratui seu domino ecclesiæ seu parochiæ suæ, quocunque nomine ille appelletur, quia persona publica debet præferri priuatæ, siquidem illam

illam diligere, est diligere totam communitatem.

Dico tertio: Post se ipsum & dominum parochiæ pastorem obligari ad ministranda sacramenta prius consanguineis si quos habet suæ curæ pastorali subiectos, quam quibusuis aliis, quia consanguinei magis coniuncti sunt ipsi diligenti.

Dixi (*si quos habet suæ curæ subiectos*) quia si non sint subiecti præferendi erunt alii subditi, qui sunt filii spirituales pastoris, & ideo quoad spiritualia magis coniuncti, quam consanguinei externi, & consequenter magis diligendi, vt sequitur ex fundamentis ante positis, & docet expresse D. Thomas (*a*) ex D. Ambrosio. (*b*)

Dico quarto: Pastorem teneri prius sacramenta alicui insigni amico curæ pastorali subiecto, à quo scilicet eximia aliqua beneficia acceperit, quam alicui consanguineo nõ ita propinquo, quamuis eiusdé curę subiecto ministrare, quia omnib. consideratis, merito amicus talis censeri potest coniunctior simpliciter, vt tradit Ioannes apud D. (*c*) Thomam.

Dixi (*non ita propinquo*) quia si pater sit curæ pastorali filii sui subiectus, sicut ille amicus, tenebitur filius patri prius prouidere de sacramentis quam alteri cuicumque

a *supr. art. 8.*
b *lib. 1. offic. c. 1.*
c *supr. art. 8.*

que amico, etiamsi maximum alioqui beneficium contulerit, quia *diis & parentibus non possunt reddi æqualia.*

a *Arist. lib. 8. Ethic. c. vlt.*

Dico quinto: Pastorem magis teneri ministrare sacramenta patri quam filio etiam legitimo, iuxta doctrinam S. (*b*) Thomæ Nam præceptum pietatis in casu necessitatis magis vrget ad subueniendum patri, Imo etiam præceptum charitatis, vtpote quæ imperat & mouet omnes alias virtutes.

b 2. 2. q. 26. art. 9. ad 3.

Dico sexto: Similiter teneri prius ministrare sacramenta patri quam matri; Nam pater est filio coniunctus tanquam principium actiuum: mater vt passiuum, & sic multo arctius quam mater. Confirmatur hoc ipsum ex diuo (*c*) Hieronymo, qui in ordine dilectionis constituendo, affirmat post Deum debere diligere patrem naturalem, deinde matrem.

c *In cap. 44. Ezech.*

Dico septimo: Similiter prius teneri parentibus, quam concubinæ, si quam forte habuit, quia maior est coniunctio cum illis, deinde quia est maius debitum erga illos, vt patet.

Dico octauo: Similiter teneri prius ministrare benefactoribus, quam illi cui benefecerit, secundum D. (*d*) Thomam & alios, quia benefactorib. obligati sumus saltem

d *supr. art. 12. ad 2.*

tem

tem ad antidota, aliis non item, quamquam iuxta Philosophum, natura facilius sit eum diligere, cui benefecerimus, quam à quo beneficium acceperimus.

Dico nono & extremo, quod quamuis, ceteris paribus, præscriptus charitatis ordo in huiusmodi necessitate spirituali sacramentorum seruandus sit, & in perturbatione huius ordinis grauia subinde peccata interuenire possint: Nihilominus tamen secundum D. Augustini (a) & D. Thomæ (b) doctrinam pro ratione temporum locorum, & negotiorum variari potest & debet: Nam in aliquo casu prius erit subueniendum extraneo, puta, si sit in maiori necessitate, quam cuicumque etiam maxime coniuncto.

a *lib. 2. de doct. Christ. c. 28.*
b *Supr.*

Dices: Cui prius ministrabit pastor sacramenta, pauperi an diuiti?

℟. Conditionem diuitiarum vel paupertatis ad hanc rem esse impertinentem: Hinc bene parochiale (c) Leodiense monet, statim initio instructionis pastorum, parochum in sacramentis ministrandis æque pro paupere ac diuite debere esse sollicitum.

c. *pag. 1. §. diligentia.*

Dices secundo: Cui prius ministrabit, malo, de cuius perfecta contritione dubitat, an bono de cuius magis sperat?

℟. Quod

℟. Quod malo, veluti in maiori periculo & necessitate constituto.

Dices tertio: Quod si inter æquales ciues nascatur quæstio, quis cui sit præ se ferendus, & vtrinque sint argumenta, quare hic illi & contra præferri debeat, quid faciet pastor.

℟. Non debet scrupulosius huiusmodi quæstionem examinare, sed practice & bona fide simpliciterque procedendo, debet sese in alteram partem resoluere & sacramenta ministrare, per illa quæ superius diximus.

Dices postremo: Quale est peccatũ non seruare ordinem.

Respondeo: Posse esse mortale si magna sit ordinis peruersio, puta si neglecto patre in æquali necessitate constituto ministret sacramenta extraneo; veniale vero, si non sit tanta, puta si mater præferatur patri, vel soror fratri.

QVÆ-

QVÆSTIO XLII.

Pluribus Pastorem vocantibus vno ad baptizandum, altero ad confessionem excipiendam, alio ad communicandum, altero ad vngendum, alio ad matrimonium contrahendum: Cui prius teneatur.

Quæstionis explicatio.

HÆc quæstio ex eodem forte quo præcedēs originem trahit: hoc enim frequenter accidit, cum pestis vel similis persecutio grassatur, suntque pauci sacerdotes qui sacramenta ministrent, vt eodem tempore quidam sacramentum confessionis, alii Eucharistiæ, alii extremæ vnctionis, alii etiam sacramentum Baptismi ab vno & eodem pastore petant. Cuius casus meminit D. (a) Augustinus his verbis: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum peruenitur extrema, quantus in ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, alius etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & sacramentorum confectionem & erogationem. Vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt vel ligati? Quantus etiam est luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie*

(a) *Epist. 180. ad Honorat.*

requie non habebunt? Quantus deniq; gemitus omnium, & quorundam, quanta blasphemia de absentia ministeriorum & ministrorum? Huius occasione quæritur, quem ordinem in huiusmodi casibus tenebitur obseruare.

Responsio.

PRimo loco ministrabit sacramentum Baptismi. Quare si sit infans peste infectus seu recens à matre peste infecta in lucem editus, omnibus postpositis sollicite curabit, vt illum baptizet, quia præ reliquis est in maiori necessitate: Siquidem fidei articulus est, paruulum alia ratione quam baptismo realiter suscepto saluari non posse, per illud: (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum.*

a *Ioan. 3.*

Secundo loco ministrabit sacramentũ pœnitẽtiæ, quia relapsis in peccatum mortale post baptismum, est reliquis sacramentis magis necessarium, sine illo enim, re vel voto suscepto, nemo relapsus saluari potest. Siquidem licet Eucharistia, Confirmatio, extrema Vnctio suo modo respectiue sint in præcepto, atque ita obligent ad sui susceptionem, tamen subinde quis sine illis saluari potest, vt si quis à confessione ex hac vita subito rapiatur, ita vt votum seu desi-

desiderium expressum cæterorum sacramentorum formare non possit.

Tertio loco Eucharistiam.

Postremo, extremam Vnctionem, quæ etsi ministranda veniat, non est tamen tantæ necessitatis, vt sunt reliqua sacramenta, de quibus singulis plura consequenter suis locis dicemus.

Dices primo: Quid si plures sint qui simul petãt baptizari, vel simul petant confiteri, & sic de aliis?

Respondeo ex dictis resolutionẽ patere.

Dices 2. Potest etiã esse peccatũ mortale non seruare ordinem in ipsis sacramentis.

℟. Iudicandum fore pro diuersitate peruersionis & iniuriæ, quæ ob illum non seruatum infertur, v.g. si ad duos vocatur, ad vnum pro baptismo, ad alterum pro extrema vnctione, & relicto baptizando ministret extremam vnctionem, mortale erit, quia maximam iniuriam infert infanti, exponẽdo illũ periculo æternæ damnationis: Si ad alios duos vocatur, ad vnum quidem pro sacro viatico, ad alterũ pro extrema vnctione, & personæ pares sunt, non videtur nisi veniale, si postposito viatico ministret extremã vnctionem, præsertim si sciat moraliter loquendo neutrũ esse in periculo salutis, quia alteri nõ ita grauẽ iniuriã infert.

QVÆ-

QVÆSTIO XLIII.

Quis modus ministrandi sacramenta tempore pestis sit optimus & maxime probandus.

Quæstionis explicatio.

DIximus superioribus quæstionibus, qui teneantur ministrare sacramenta tempore pestis, & quibus peste infectis administranda sint, simulque respondimus excusationibus, siue ex parte ministrantiũ, siue ex parte recipiẽtium petitis, quæ à quibusdam parochis, vt ab hoc officio illo tempore maximè necessario se subtrahant, afferri solent: Sequitur vt inquiramus de modis, quibus illa ministrare debent vel non debent: Siquidem quidam illorum, cum nullam excusationis causam superesse vident, qua à sacramentorum administratione se excusare possint, solent alios atque alios administrandi modos, & plerique erroneos, & ab ecclesiastica consuetudine alienos effingere, vt hoc pacto, si sacramenta ministrare necessum sit, quasi moderamine quodam adhibito, periculum contagionis euitent. Cæterum vt ordinate in iis discutiendis procedamus, primum ostendemus quis sit optimus & maximè laudandus modus, ministrandi quem illi sequi debeant,

debeant: deinde erroneos modos, à quib. illi abstinere debent, consueta methodo & breuitate aperiemus. Et quia necessum est illos vel contra substantialia sacramentorũ h. e. materiam & formam, nec non eorum applicationem, vel contra accidentalia seu illorum ritus & ceremonias peccare: Primum quæremus, qui sint, qui cõtra substãtialia peccãt: cum enim sine ipsis sacramẽta subsistere non possint, fit vt ante omnia illi reprobãdi & exstirpandi sint: tandem q̃ sint illi, qui contra accidentalia peccare videntur, cum enim in necessitate, & p̃sertim tempore pestis, variationem admittant, fit vt de illis varie iudicari debeat, vt in progressu fiet manifestum.

Responsio.

HIc modus ministrandi maximè necessarius est, per quem minister adhibet inprimis omnia substãtialia certa, & minime dubia, h. e. certam materiam & formã quantum fieri potest. Deinde vsitatos diœcesis suæ ritus vel omnes vel aliquos, prout suscipientium vtilitati & ipsorum sacramẽtorum veneration pro ratione temporis & aliarum circumstantiarum, adhibendi videbuntur: his enim obseruatis, nihil est, q̃ amplius desiderari videatur.

Dixi (*inprimis substantiale*) non quod velim tempore pestis semper substantialia sacramentorum præcedere: est enim frequenter locus etiam aliquibus ceremoniis accidentalibus, quæ merito propter reuerentiam sacramenti præmitti debent: sed quia si quid ex omnibus propter angustiam temporis omitti debeat, nullo tamen casu substantialia vel quicquam illorum omitti debebit, cum illis, vel altero illorum omisso, nihil fieri possit, vt patet.

Dixi 2. (*certa & minime dubia*) quia si minister adhibeat materiã vel formam incertã & dubiam, cum possit adhibere certam, etiamsi id faceret sequendo opinionem probabilem speculatiue, graue sacrilegium committeret, vt communiter Doctores nostri tradunt, & ratio clara conuincit: Exponit enim se in huiusmodi electione periculo nihil faciendi, vt in sequentibus particularius ostendemus.

Dixi 3. (*quantum fieri potest*) quia in necessitate, si deesset materia certa, adesset autẽ incerta, sed pbabilis, qui tunc illa vteretur, non censeretur exponere se periculo sacrilegii, sed potius pati seu permittere aliquod periculum, quod vitare non potest, vt sacramentum conficiat altera probabile. Quo casu administrari debebit

bebit sacramentum sub conditione, iuxta illa, quæ prima quæstione suppositimus.

Dixi 4. (*deinde adhibet vsitatos suæ diœcesis ritus*) quia quilibet pastor tenetur vti ritib⁹ suæ diœcesis, nec potest vti alterius (*a*) cuiuscunque, nè Romanæ quidem aut Metropolitanæ, sine licentia Superioris.

a *Palud. in 4. dist. 3. colligitur ex c. Quoniam, de off. iud. or.*

Dixi postremò. (*vel omnes vel aliquos, qui pro ratione temporis & aliarum circumstantiarū adhibēdi videtur,*) quia in casu pestis, de quo disputamus, vt frequentius periculum vel suscipientis, quia videtur animam agere, vel ministrantis, quia euidens & quasi certum adest contagionis periculum, non permittit omnes adhiberi.

Dices I. Poterit ergo pastor pro libitu hos vel illos ritus omittere?

℟. Illum non omittere pro libitu, quādo in casibus iam dictis, vt substantialia saltem ministret, accidentarios ritus omittit.

Dices II. Poteritnè immutare?

Non poterit: hoc enim ad eum solum pertinet, ad quem pertinet instituere & p̄cipere, Pontificem videlicet vel Episcopū, vt ex dictis prima quæst. manifestum est.

Dices III. Quale peccatum est, ritus Ecclesiæ vsitatos immutare?

℟. Est mortale, vt cōmuniter nostri Dd. tradunt: est enim contra virtutē religionis,

& ad ſacrilegium pertinet, ſacrilegium autem ex ſuo genere mortale eſt, poteſt vero eſſe veniale, ex leuitate materię, ſicut alia peccata contra aliàs virtutes, ſi modo abſit ſcandalum & contemptus vel intentio introducendi nouum ritum, vel damnandi aliquem vſum eccleſiæ, nam ex his circumſtantiis etiam in leui materia, ritus immutare fieret mortale.

QVÆSTIO XLIIII.

Quid cenſendum de modo miniſtrandi illorum, qui incertam materiam vel formã adhibent, cum poſsint certam.

Quæſtionis explicatio.

QVamuis omnes materiæ & formæ ſacramentorum à Chriſto ſint determinatę, tamen de multis rebus ac verbis ſæpe diſputatur à Doctoribus, an illæ ſint omnino eius naturæ, cuius ſunt res à Chriſto pro materiis inſtitutæ, & an hæc vel illa verba, ſint eius ſignificationis, cuius ſunt verba, p formis à Chriſto inſtituta: Et cumquidam probabiles pro veritate materiæ & formæ rationes habeant, forte exiſtimare poſſent, indifferens eſſe, an illa probabili, an vero certa alia materia vtantur: horum & ſimilium occaſione quęritur, quid de modo miniſtran-

niſtrandi ſacramenta in probabili materia vel forma, relicta certa, cenſendum ſit.

Reſponſio.

Modus ille miniſtrãdi reprobandus eſt, neq; vſurpandus, niſi in caſu, quo certa materia & forma haberi non poſſit, primã huius aſſertionis partem probat D. Auguſtin. his verbis: *In rebus* (inquit) *ad animæ ſalutem pertinẽtibus hoc ipſo grauiter quis peccat, quod certis incerta præponat*: altera probatur per illa, quæ ante diximus, quia præſtat miniſtrare ſacramentum probabile, quam omnino nullum. *l. 1. de Bapt. cap. 3.*

Dices: Quale peccatum eſt, ſine cauſa hoc modo ſacramenta miniſtrare?

R. Eſſe mortale, & ad ſpeciem ſacrilegii referri, qui enim ſic miniſtrat, exponit ſe manifeſto periculo, faciendi nullum ſacramentum: In moralibus autem idem eſt, aliquid facere & exponere periculo illud faciẽdi. Deinde facit contra vniuerſalẽ eccleſię conſuetudinẽ & vſum, quo videm⁹, ſacramenta miniſtrari in materiis certis & ſemp vniformibus: Poſtremo, quia Chriſto ipſi ſacramẽtorum inſtitutori iniuriam faciunt, 2. ipſis ſacramentis, demum ipſis ſuſcipientibus, qui tum ſacramẽtis, tum effectu illorum ꝓprio, hoc pacto defraudari poſſunt.

Dices secundo: Licebitne pastorib⁹ vti sacramentis dubiis ad vitandum saltem vitæ corporalis periculum?

R. Minimè: quia hoc esset vitam spiritualem proximi exponere periculo æternæ damnationis, propter vitã suam corporalẽ quod est contra ordinem charitatis: Notẽt ergo diligẽter pastores regulam hanc generalem, nunquam licere dubiis sacramẽtis vti, nisi vnico casu, quo simpliciter & absolute aliter sacramẽta administrari non pñt.

QVÆSTIO XLV.

Quid de illorum, qui non simul tempore, sed prius materiam & postea formam, vel cõtra adhibent in min. Sac.

Quæstionis explicatio.

MAteriam & formam in sacramentis simul adhiberi debere, probatur ex illis verbis Diui Augustini, (a) *Accedit verbũ ad elementum, & fit sacramẽtum: Detrahe verbum & quid est aqua nisi aqua?* verbũ enim *Accedit*, coniunctionẽ aliquam significat. Et quamuis D. Augustinus hæc dixerit de sacramento Baptismi, eadem tamen ratio videtur esse de omnibus sacramentis: Cum enim materia & forma sint partes sacramẽtorum, debent simul esse & vniri, vt vnum sacramentum componant: Cæterum quia tempo-

a *Tract 80. super Ioã. & refertur 1. q. 1. c. detrahe.*

tempore grassantis pestis multa incidunt, quæ sæpe impedire videntur huiusmodi cõiunctionem: idcirco quæritur, quid censẽdum de hoc modo ministrandi, quo pastor prius vnum, postea aliud adhibet.

Responsio.

ET hic modus ministrãdi reꝓbandꝰ est: si tamen necessitas cogat diuisionẽ aliqualẽ fieri, nõ estꝓpterea omittendũ sacramentum: ratio prioris partis est, quam antẽ diximus, quia sacramenta vnum quoddã sunt, debent ergo illius partes suo quodã modo esse simul.

Dico (*suo quodam modo*) quia non potest metaphysice designari, quanta debeat esse coniunctio & ꝓpinquitas: est ergo moraliter pensanda, & obseruandum, vt omnes monent, ne fiat magna interpolatio, vt ex modo, quo fit actio, & proferuntur verba iuxta communem & humanum modum concipiendi, intelligatur vnum alteri applicari, atque vnum ab altero determinari.

Et hinc patet ratio posterioris, quia videlicet non requiritur coniunctio mathematica, sed moralis, q̃ potest consistere cũ aliqua physica disiunctione aut diuisione, vt dum post sæpius interruptam confessi-

onem sequitur absolutio, quæ tamen facit vnum sacramentum secundum omnes, & vsus quotidianus testatur: & in matrimonio, quod fit inter absentes, inter vtramq; partem potest intercedere aliqua mora, vt manifestum est.

Dices: Requiriturnè eadem & æqualis coniunctio materiæ & formæ in omnibus sacramentis?

R. Minimè; sed pro ratione & natura sacramẽtorũ debet esse maior vel minor: maior in baptismo, confirmatione, extrema vnctione, ordine: minor in reliquis, vt nos in singulis sacramentis particulatim ostendemus.

QVÆSTIO XLVI.

Quid de illorum, qui diuidunt Sacramenta, puta vno adhibente materiam, altero formam.

Quæstionis explicatio.

MAgnum leuamen pastorum esset, si ad euitandum cõtagionis periculũ vti possent ministro coadiutore, qui pʃertim materiam peste infecto applicaret, ipsis à longe formam recitantibus: idcirco quæritur generatim, an modus ministrandi sacramenta cum huiusmodi diuisione possit admitti & tolerari?

Responsio.

Responsio.

NEque hic modus permitti & tolerari debet, nisi in casu, quo nulla ratione aliter sacramentum ministrari possit, quãuis in sacramento pœnitentiæ & matrimonii aliquid singulare reperiatur, de quo suis locis agemus.

Prior pars pr̃ ex vsu communi ecclesiæ, nunquam enim visum vel auditum fuit in ecclesia sacramenta aliter ministrari, quam vno & eodem ministro applicante materiam, & super applicationem suam proferente formam: communis autem vsus ecclesię satis indicat illam fuisse Christi Institutoris mentem, vt illa sacramenta eo modo & non alio ministrarẽtur: pr̃ idem ex formis ipsorum sacramentorum, nam baptizando minister dicit, Ego baptizo te: confirmãdo, Ego te confirmo chrismate salutis, & inungẽdo infirmum dicit per istam vnctionem: Ex illis enim satis patet, & applicationem materiæ & prolationem formæ ab vno & eodem ministro fieri debere.

Altera pr̃: quia (a) non desunt Doctores magni nominis, qui asserant, eo modo in necessitate sacramenta ministrari posse: stante ergo huiusmodi dubio, quamdiu nihil de ea re ab Ecclesia definitũ est, prę-

a *Marsi. in 4. q. 4. ar. 8. du. 11. Caiet. in 3. D. Th. q. 67 art. 6.*

in necessitate, hoc modo sacramẽtum probabile ministrare, quam nullum.

Dices: Possetne quoque tolerari in necessitate, vt vno applicante materiam & proferente formam saltem ex parte alter suppleat?

℟. Eodem modo de hoc casu dicẽdum videtur, quo diximus in priore.

QVÆSTIO XLVII.

Quid de illorum qui nullis in ministratione Sacramentorum ceremoniis vtuntur?

Quæstionis explicatio.

HActenus ostẽdimus quid censeri debeat de modis ministrandi illorum, qui circa materiam & formam, vel eorum applicationem peccare videntur. Consequenter dicendum est, quid statui debeat, de iis qui peccare videntur circa illorum ceremonias, sicut enim tempore grassantis pestis super illis quęstiones sæpe moueri solent, ita & frequentius super istis ex eo præsertim quod cæremoniæ non sint ad sacramenti substantiam necessariæ. Huius occasione primo quæritur, quid dicẽdum de modo ministrandi illorum qui ad vitandũ contagionis periculum, nullas ceremonias in sacramentorum administratione adhibere curant? Respon-

Responsio.

QVamuis hic modus ministrandi speculatiue tolerari posse videatur, tamẽ practice & moraliter loquendo vix probari potest: quia vix possibile est hoc modo ministrare, sine magna sacrorum mysteriorum irreuerentia, & pusillorum scandalo: siquidem sacramentalis actio, quæ omni honore, propter gratiam iustificantem quã confert, dignissima est, nisi cæremonia aliqua exteriore exornetur, vulgo non distinguetur à pphana, & populus aduertẽs scrta à pastore tractari nullo exteriori cultu, puta in habitu prophano, paucis verbis & facile in illorũ vilipendiũ & contemptũ adducet.

Dices 1. Iacet aliquis peste infectus in agro semimortuus, quẽ forte pastor reperit sacramentis egentẽ, tenebiturne ergo & illo casu ceremonias in sacramentorum administratione adhibere?

R. Et illo casu pastorẽ teneri si vlla temporis mora permittat adhibere ceremoniã, illam saltem quam omnibus consideratis pro re nata sacra illa actio permittet: Hoc n. naturalis ratio, præsupposita fide sacramentorum, ita faciendum dictat, aliâs si res nullam omnino moram temporis patiatur ceremoniæ etiam omnes possunt & debẽt prętermitti, vt quantocius per sacramẽtum

proxim

proximi neceſſitati ſuccurratur, vt ſcite Zuares (a) aſſeruit.

a *tom 3. in 3. D. Tho. diſp. 31, ſect. 5. in fine.*

Dices ſecundo: Quale peccatum eſt miniſtrare ſacramentum ſine vlla ceremonia?

℟. Quempiam poſſe omittere ceremonias tripliciter: vel ex contemptu vel ex negligentia, vel neceſſitate: Ex contemptu puta, quia exiſtimat illas vel omnino ſuperfluas vel impertinentes, aut aliquid huiuſmodi, hic grauiter admodum peccat qui magnam facit iniuriam Eccleſiæ, & indignè de Spiritu ſancto, à quo huiuſmodi ceremoniæ ſunt inſtitutæ, ſentit, & anathema illi per (b) Concil. Trident. infertur. Ex negligentia, puta, quia exiſtimat tempus peſtilentiæ excuſare ab illis adhibēdis, etiamſi aliquas ſaltem breues ſine magno periculo, immo vix vllo adhibere poſſet, & hic peccat quamuis altero leuius, niſi ſcandalum ſuboriatur, ratione cuius graue peccatum erit. Ex neceſſitate, quia peſte infectus animam agit, & paſtor nihil plus temporis habet, quam vt tundenti pectus, vel diuinam miſericordiam imploranti abſolutionem impendat, vel aliud pro re nata ſacramentum miniſtret: hic non peccat, ſed potius laude dignus eſt, & apud Deum pro officio multum meretur.

b *ſeſſ. 7. de ſacram. can. 13.*

QVÆ-

QVÆSTIO XLVIII.

Quid contra de illorum qui omnibus vti volunt?

Quæstionis explicatio.

RAri sunt huiusmodi, visus tamen fuit vnus nostro tempore, qui grassante per Belgium & patriam Leodiensem peste anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono, spreta morte hoc pacto pleraq; sacramenta ministrauit, in hoc insuper laudandus, quod alios quosdam parrochos, maiori cautione cæremonias adhibentes, & sibi à contagione sollicitius cauētes, ipse sibi soli securus, non reprehenderet: huius occasione quæritur, quid de hoc modo & ratione ministrandi censendum sit.

Responsio.

NOn potest non probari modus illorum, qui spreta morte tali tempore sacramenta cum suis cæremoniis ministrāt, sicut nec improbandus est illorum qui illas vel omnes aliquas pro re nata omittunt. Prior assertionis pars pt 1. quia qui sic ministrant, faciunt officium virtutis; vtrumque enim & sacramenta ministrare, & cæremonias ab ecclesia præscriptas adhibere, pertinet ad virtutem religionis, 2. quia tales populi deuotionem & reuerentiam, quam

quam erga sacramenta habere solent, fouent & augent, quando vident pastorē ad maiorem illorum honorē etiam cęremonias, & solemnitates cum vitæ periculo adhibere: postremo, quia cæremonias ecclesiasticas, quas hæretici ridēt, hoc pacto maximè defendunt, quod est officium maximæ virtutis. Postremo probatur 1. quia fieri potest, imo morale & frequens est, vt morbus ita violētus sit, vt statim vitam aut certe mentem ægro eripiat, vel vt plurimi sint iam peste infecti, rari autem aut nulli alii sacerdotes, qui sacramentis ministrandis vacare velint: his enim & similibus casibus, laudabilius erit omissis ceremoniis, vel omnibus, vel aliquibus, plures, alioquin sine sacramentis morituros, iuuare, & secum Christo lucrifacere.

Dices: Leges ecclesiasticæ de ceremoniis in administratione sacramentorum adhibendis, non obligant pastores cum periculo vitæ, debent ergo pastores illas omittere & vitam conseruare.

R. Possunt si velint, non tamen tenentur, possunt enim iuri suo cedere, & vitam corporalem pro bono virtutis & spirituali merito profundere, vt ante ex alia occasione diximus.

QVÆ-

QVÆSTIO XLIX.

An tentent Deum, qui peste laborantibus sacramenta ministrant cum omnibus cæremoniis precibus & solemnitatibus.

Quæstionis explicatio.

OCcasione extremorum, de quibus mentionem faciunt duæ præcedentes quæstiones, natæ fuerunt illo calamitoso anno 79. inter pastores plures quæstiones, & imprimis, vtrum, qui prolixa illa recitatione precum, psalmorum, exorcismorum, Catechismi, vnctionum, & aliarum cæremoniarum, quæ in quibusdam sacramentis adhibentur, se exponit periculo vitæ, moram trahendo apud peste infectum, tentet Deum.

Responsio.

NOn tentat quia secundum communem Theologorum is dicitur Deum tentare, qui ex dubitatione quam habet de aliqua eius perfectione, v. g. de eius prouidentia, bonitate, &c. aliquid facit ad experiendū, vtrum habeat illam nec ne. In eo aūt qui ex religione, qua ducitur erga dignitatem, & præstantiam sacramentorum, vult illa solemniter, & cum apparatu cæremoniarū ministrare, etiam cum vitæ periculo, nihil tale

tale reperitur, quin potius omnia sunt contraria: nam neque dubitatio vlla apparet, & cæremoniarum apparatus, qui adhibetur, non fit ad experiendum: An Deus habeat illam vel illam perfectionem: sed ad honorem & reuerentiam sacramentorum, quod ad virtutem religionis pertinere supra ostendimus. Cui tentatio Dei opponitur, vt communiter omnes docent.

Dices: Non solum dicitur tẽtare Deum, qui expresse & formaliter dubitat de aliqua illius perfectione, & vult propter illam dubitationem sumere experimentum, sed etiam qui hoc tacite agit, puta si neglectis mediis à diuina prouidentia constitutis aliquid agat expectans effectum à Deo. Sed hoc videtur iste agere, expectans vitæ conseruationem absque aliqua sui custodia, ergo, &c.

℟. Negando minorem, neque enim hoc agit vt experiatur, an Deus illi vitam custodiet, imo illam vt præsupponimus contemnit propter virtutem religionis, quod licitum est & laudabile, vt ante ostendimus.

QVÆ-

QVÆSTIO L.

An tentent illi qui non solum omnes cæremonias apud peste infectos recitant: sed etiam antidota & res præseruatiuas quas facile habere possunt, negligunt.

Quæstionis explicatio.

ORta est hæc quæstio ex eadem occasione: nam idem de quo superius loquuti sumus, sicut oēs cæremonias quamuis prolixas apud ægrotos recitabat, ita omnes res præseruatiuas, vt sacrificio Missæ peragendo vacare posset, negligebat. Quęritur ergo an pastor accedēs peste infectos neglectis antidotis quæ à Medicis tunc temporis præscribi solent, & facile haberi possunt, tentet Deum?

Responsio.

NEque ille tentat propter rationes ante dictas, quia & si posset, non tenetur regulariter sumere medicinas, sicut potest quis licite vitam suam defendere, & propter bonum virtutis patientiæ vel alterius iustam sui defensionem omittere.

Dices, Sanus qui non vellet cibum sumere, diceretur vel Deum tentare, expectās videlicet cognoscere, an Deus posset eum in vita absque cibo conseruare vel velle seipsum enecare: Ergo similiter peste infectus

vel in morali periculo contagionis constitutus, si non sumat medicinas vel præseruatiuas dicetur, vel Deũ tentare, vel seipsum interficere.

Ad. Negando consequentiam, quia neq; hic quicquam à Deo petit cognoscere, vt superiore quęstione ostendimus; Neq; potest dici se enecare velle, sicut ille qui non vult vti alimentis, quia magna est (*a*) differentia inter alimẽta & medicinas: Alimentum enim est medium naturale per se ordinatum ad vitam sustentandam, non item medicina. Nec homo tenetur adhibere omnia media possibilia ad vitam cõseruandam, sed sufficit adhiberi media ad hoc per se ordinata, vt ante diximus: Quinimo laudata est (*b*) *beata Agatha, quod medicinam carnalem corpori suo nunquam exhibuerit*: Quamuis nõ desint qui valde probabiliter dicãt, quod si quis moraliter certus esset se sumpta medicina præseruandum vel sanãdum morbo illã debere sumere, & probant, quia in tali casu ego tenerer proximo dare: ego etiam tenerer sumere per regulam charitatis: (*c*) *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, vide de hac quæstione Franciscum (*d*) à Victoria, & ante illum Gabrielem (*e*) Biel.

a *Francisc. à Vict. relect. de temp. initio.*

b *Breuiar. Rom. 5. Feb. Gabriel Biel. quæst. de fuga pest. con. 9.*

c *Matth. 5.*

d *Relect. de tempe. initio relect.*

e *supr.*

QVÆ-

QVÆSTIO LI.

Quid censendum de modo ministrandi illorum, qui nouos ritus in administratione Sacramentorum adhibent.

Quæstionis explicatio.

POtest quæstio intelligi duobus modis, dupliciter enim potest quis nouos ritus adhibere. Primo, intentione introducendi in ecclesiam nouum ritum & damnandi aliquem vsum ecclesiæ: altero, premente necessitate, vt paucis ante insinuauimus, & in sequentibus aliquid particularius dicemus: Hoc præsuppositò quæritur, quid de hoc modo ministrandi censendum sit?

Responsio.

SI primo modo intelligatur quæstio, ille nullo modo tolerari potest, sed tanquam hæreseos suspectus reprobandus est, vt patet ex antedictis. Si secundo modo, potest tolerari in necessitate, maximè accedente Summi Pontificis vel Episcopi authoritate, qui pro suscipientium vtilitate rerumq; locorum & temporum varietate, cæremonias immutare vel variare possunt.

Dices: Nullone casu poterit parochus aliquid circa cæremonias immutare aut nouum facere?

℟. Si periculum est in mora & ita morientis necessitas spiritualis postulat, poterit ceremonias, puta orationes, psalmos exorcismos, vel abbreuiare, vel in totum omittere, & sic in aliis, vt ante annotauimus.

Dices 2. Poteritne quoque nouos aliquos ritus oportunos ad vitandum contagionis periculum effingere?

℟. Non poterit, hoc enim vt ante dictum est, ad superiores pertinet, de qua re postmodum adhuc redibit sermo.

QVÆSTIO LII.

Quid de illorum qui vtuntur ritibus & ceremoniis diœcesis?

Quæstionis explicatio.

SVmmus Pontifex Paulus IV. desiderio Philippi Hispaniarum Regis satisfacere cupiens, anno millesimo quingentesimo nono, diœcesim Leodiensem amplissimam in plures diuisit, assignauitque singulis suos Episcopos, quorum quilibet nuper ritualem librum conscripsit, cum aliqua etsi non magna rituum & ceremoniarum diuersitate, vnde fit, vt cum plures hæ diœceses sint vicinæ, & quibusdam locis intermixtæ, non raro pastor vnius inci-

dat in

dat in librum ritualem alterius, eoque vtatur in miniſtrandis populo ſuo ſacramentis: huius rei occaſione quæritur, quid de hoc modo miniſtrandi cenſendum ſit?

Reſponſio

ET hic modus ordinarie tolerari non debet, poterit tamen in caſu peſtis variis ex cauſis excuſari. Probatur prior pars quia quiuis paſtor tenetur ordinarie in officiis paſtoralibus vti ritibus diœceſis ſuæ, colligitur ex Concilio (*a*) generali ſub Innocentio III. celebrato, & ante oſtendimus ex Paludano, Soto & aliis. Poſterior patet, (*b*) *quia neceſsitas lege caret.* Si ergo paſtor incidat in peſte infectum, & nō habet ad manum parochiale ſuæ diœceſis, non peccabit ſi vtatur ritibus diœceſis vicinæ, præſertim quia præſupponimus, illos eſſe Catholicos & ab eccleſia approbatos.

a *Refertur de offic. iudicis ordinarij, c. quoniam.*
b *c. peruenit. De conſuet.*

Dices, quale peccatum eſt vti ritibus alterius diœceſis?

℟. Si neceſſitate cogente fiat, nullum erit, ſi vero ſine neceſſitate non poteſt non eſſe ad minus veniale ſatis graue, ſi enim ſinguli paſtores pro libitu ſuo vellent vti ritibus, modo vnius modo alterius diœceſi, inueheretur in eccleſiam maxima confuſio contra illud (*c*) Apoſtoli: *Omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant in vobis.*

c *1. Cor. 14*

QVÆSTIO LIII.

Quid de illorum qui sine signo Crucis sacramenta ministrant?

Quæstionis explicatio.

CÆremoniam signi crucis in administratione sacramentorũ semper fuisse adhibitam Catholici omnes norunt, vsque adeo vt Stephanus (a) Põtifex dixerit: *Nunquid non omnia charismata sacerdotalis mysterij crucis figura perficiuntur? Nunquid baptismatis vnda nisi cruce sanctificata peccata relaxantur? & vt cætera prætereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotij gradus ascendit?* His verbis videtur Pontifex innuere sacramentorum administrationem nullam esse, nisi signum crucis adhibeatur: huius occasione quęritur, quid dicendum sit de modo ministrãdi illorum qui prætextu necessitatis vrgentis ne signũ crucis quidem adhibent in ministratione sacramentorum?

(a) *De consecr. dist. 3. c. nunquid.*

Responsio.

NEque hic modus ferendus est, quamuis sine signo crucis sacramenta subsistant, & per inaduertẽtiam aut aliâs omissio illius excusari possit: prior pars patet ex iam citatis Stephani Pontificis verbis, quibus vult ad omnem sacramentorum administrationem signum crucis adhiberi, confirmat

firmat hoc ipsum vsus & consuetudo ecclesiæ vniuersalis, quæ vbique & semper tale signum adhibet, vt late probat & deducit Iacobus (a) Greslerius, denique tam cito & tam facile fieri potest, vt non videatur moraliter loquēdo posse dari articulus necessitatis tam arctus, quin in illo adhiberi facile possit. Quod tamen absque signo crucis sacramenta subsistant, licet (b) Thesaurus Sacerdotalis cōtrarium existimet, patet ex communi Theologorum sententia: siquidem nullus eorum hucusque, quod scire potuerim, hoc asseruit, denique quod illius omissio excusari possit, patet, quia cum signum crucis celeri motu fiat, morale est, vt vix aduertamus, an illud fecerimus an non, sicq; oporteret multos pastores, præsertim senes frequenter anxios esse, an peregissent signum crucis vel non.

a *De cruce Christi, lib. 3. c. 7. 8. & 9.*

b *part. 1. fol. 134.*

Dices: Pontifex dicit sacramentū signo crucis perfici, nullo modo ergo sacramenta sine illis ministrari poterunt.

℟. Cum communi Theologorum, Pontificem illis verbis nō respexisse ad substantiam sacramentorum, sed potius ad eorum virtutem & effectum, qui sine merito crucis & passionis Iesu Christi nullus est.

QVÆSTIO LIV.

Quibus modis vt frequentius peccari contingit circa administrationem Sacramentorum tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

HÆc quæstio mouetur, vt summatim veluti in tabula ob oculos ponantur peccata, quæ committi possunt in administratione sacramentorum tempore pestilentiali, quæ ad tria genera reuocantur, vel enim ministrantes peccant occasione sumpta ex parte sua, vel ex parte suscipientium, vel ex parte modorũ, quib. pro tempore, volunt ministrare sacramenta.

Responsio.

PRimo errant, & grauiter peccant, qui putant non esse administranda sacramenta tempore pestis, & idcirco non administrant.

Secundo: Errant pariter & peccant pastores qui dicunt se non teneri ministrare sacramenta, cum periculo vitæ.

Tertio; Et qui nullo sacerdote substituto quacumque gratia obtenta illo tempore absunt, etiam tantum ad bimestre.

Quarto: Et qui peste grassante ecclesiæ parrochiali renunciant, & populum suum deserunt.

Quinto:

Quintò: Et qui ministrare sacramenta negligunt prætextu magistratus aut cuiuscunque potentatus, qui illa ministrare dissuadet, propter imminens vitæ periculum, aut quamcunque aliam causam.

Sextò. Et populus, qui sine incommodo posset cum pastore migrare ad locum salubriorem, nec vult migrare, sed Pastorē secum manere.

Septimò: Et pastor, qui non vult ædes peste infectorum ingredi, ad ministranda sacramenta, cum æger ex ædibus se mouere non possit.

Octauò: Et qui non ministrat sacramēta, sub prætextu, quod aliquoties ægrum reperit, minus ad illa recipienda paratum.

Nonò: Vel qui non ministrat, quia populus, dum sanus esset, quamuis prænonitus, non voluit illa recipere.

Decimò: Vel qui non ministrat vocat⁹ eò quod teneatur celebrādo sacro, vel occupetur in diuino officio legendo, vel aliâs quantumuis pio opere.

Vndecimò: Et qui illo necessario tempore fugit & latitat.

Duodecimò: Et illi sacerdotes, qui absente, siue iuste siue iniuste pastore, non volunt ministrare populo sacramenta.

Decimotertiò: Et qui moniti per Epi-

ſcopum, vt officium præſtent, non obediunt, ſed excuſationes nectunt, aliaque ſubterfugia quærunt.

Decimoquartò: Et illi, qui pietatem obligationis, quam habent de adiuuandis parentibus, nō volunt populo in hoc officio tam neceſſario tempore ſeruire.

Decimoquintò: Et religioſi, qui ptextu exemptionis & obedientiæ, Prælato ſuo debitæ, noluntillo tempore Epiſcopo obedire.

Decimoſextò: Et Prælati, vt Abbates, Dacani, Priores, qui ſuis Canonicis, Religioſis, Monialibus, Seruitoribus, non miniſtrant per ſe vel alium ſacramenta.

Decimoſeptimò: Etiam Epiſcopus, qui non prouidet de ſacerdotibus neceſſariis, nec ipſe ſacramenta miniſtrat.

Decimooctauò: Etiam magiſtratus, qui abſente vel negligēte Epiſcopo, quantum in ſe eſt, huic rei remedium non adhibet, ſiue ſit Eccleſiaſticus, ſiue Secularis.

Decimononò: Qui non aduocat vel etiam conducit ſacerdotem ſub prætextu quia eſt improbus vel ab eccleſia præciſus, hæreticus, concubinarius, ebrioſus, cum alius reperiri non poſſit, niſi prudentia aliud dictauerit, præſertim in aduocando hæretico, propter ſubuerſionis periculum, de

quo

quo ante meminimus, quæstion. 24. sub fi-
nem.

Vigesimo: Qui tantum aliquibus, non autem omnibus ministrant sacramenta, quamuis possint, & illi sint sufficienter dispositi.

Vigesimoprimò: Qui non ministrant illis, qui in amentiam & furorem acti sunt.

Vigesimosecundò: Nec aliis, quia non petunt.

Vigesimotertiò: Nec excommunicatis nec interdictis.

Vigesimoquartò: Qui plurib⁹ simul petentibus illa sine ordine à charitate p̄scripto ministrant.

Vigesimoquintò: Qui vocatus vt baptizet infantem peste infectum, cōfert se ad alterum communicandum, iungendū, aut etiam sacramentaliter absoluendum.

Vigesimosextò: Qui ministrādo sacramenta vtitur materia vel forma incerta, cū possit vti certa.

Vigesimoseptimò: Qui sine necessitate non simul sed prius materiam, deinde post notabili tempore adhibet formam.

Vigesimooctauò: Qui sine necessitate diuidunt sacramenta, vno adhibente materiam, & altero adhibente formam.

Vigesimononò: Qui nullas in ministrā-
do cære-

do ceremonias adhibent, cum possint saltem aliquos.

Trigesimò: Et illi contra, qui in omni casu omnes adhibent.

Trigesimoprimò: Qui nouos ritus effingunt, & ab ecclesia receptos damnant.

Trigesimosecundò: Et qui ordinarie vtuntur ritibus alterius diœcesis.

Trigesimotertiò: Qui regulariter neglecto signo crucis sacramẽta ministrant. Rationes harum omnium assertionum, quilibet facile colliget ex præcedẽtibus resolutionibus quæstionum huius capitis.

Dices. Estnè peccatum mortale, peccare in administratione sacramẽtorum tempore pestis?

℟. Ferè circa singulas quæstiones aliqd particulatim de hac re dixim⁹, sed quoniam hic generatim quæritur, respondetur & hic aliquid generatim.

Dico primò. Quod nolle ministrare sacramẽta tempore pestis, peccatum est mortale, quod ad genus homicidii refertur, vt patet.

Dico secundò. Omittere vel immutare substantialia sacramentorum, vel incertas formas & materias adhibere, cum possint certas, mortale peccatum est, quia faciunt iniuriam sacramento, & suscipientem exponunt

ponunt periculo damnationis æternæ, vt ex præcedentibus facile colligi potest.

Dico tertiò. Effingere nouos rit⁹ & modos ministrandi sacramenta, cum intentione introducendi nouum ritum, aut damnãdi aliquem vsum ecclesiæ, peccatum est, & illi dicitur anathema per (*a*) Concilium Tridentinum.

(*a*) *Sess. 7. can. 13.*

Dico quartò. Non seruare ritus consuetos, & omittere vel immutare illos sine licentia superiorum, quando tempus illam rogare permittit, est quoque mortale, quia est sacrilegium contra virtutem religionis, & sic ex genere suo mortale, quamuis ꝓter paruitatem materiæ vel inaduertẽtiam possit fieri veniale, sicut in aliis omnib. peccatorũ generibus.

):(

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De necessitate et modo ministrandi sacramentum Baptismi tempore pestis.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum teneantur Pastores ministrare sacramentum Baptismi tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

IN primis admonemus, nos in hoc capite, sicut & sequentibus, eundem ordinem in quæstionibus ꝓponẽdis & resoluẽdis seruaturos, quem secuti sumus cap. præcedẽti, vt illæ p̃cedant, q̃ ministrũ, deinde q̃ recipiẽtes, postremo q̃ varios modos ministrãdi hoc sacramentũ respiciũt. Et primum, q̃ ad hanc quæstionẽ & alias quasdã attinet, quas in ꝓgressu mouebimus, etsi satis videri possent decisæ, ꝑ ea, quæ diximus primo capite: tamen quia particulares suas difficultates habent, quarum causa excusationes à ministratione huius & aliorum sacramentorũ prætexi possent, non abs re erit, sigillatim eas examinare.

Responsio,

Responsio.

TEnentur pastores tempore pestis ministrare sacramentum Baptismi peste infectis, vel de ea suspectis, siue paruulis siue adultis necdum baptizatis. Assertio est certa, quia illi tenẽtur ex officio & iustitiæ debito, procurare salutem animarum suarum, cum (vt dictum est) ad hoc à populo *carnalia* (a) *metant, vt spiritualia ministrent*: non habent autem aliud medium, quo salutẽ paruulorum recens natorum, siue adultorum, necdum baptizatorum, promoueant, nisi ministrãdo illis baptismum: Sic enim apud Ioannem Saluator noster: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Siquidem ex illis verbis omnes orthodoxi (b) Patres semper intellexerunt Baptismum esse omnib⁹ necessariũ ad salutem, vel in re, si sint paruuli, vel saltẽ in voto, si sint adulti: Vnde consequenter recte infertur à Doctorib. Scholasticis, sacramentum baptismi inter alia omnia esse maxime necessariũ, non tãtum, quia à Christo positum est in præcepto, sed etiam quia est medium ab eodem propositũ, sine quo simpliciter paruuli non possint pertingere ad finem beatitudinis æternæ.

Dices: Non solũ (c) hæretici, sed & q̃dã Catholici (d), vt Gerson & Caietan⁹, docẽt ad salu-

a *1. Corin. 9.*

b *Tertul. de baptis. Iusti. apol. 5. Chry. hom. 25. in Ioan. Cyrill. lib. 2. in Ioã. c. 41.*

c *Calvin. li. 4. instit. c. 16 sectiõ. 24. & 26 & ante illum Pelag. vt refert S. Augustin. de hæresib.*

d *Cai. apud*

D. Thõ p. 3. q 60. ar. 2. & ante illum Gerſon tom. 3. ſermon. de Natiu. Mariæ, conſidera. 3.

ad ſalutẽ infantiũ in huiuſmodi neceſſitatẽ poſitorum, ſufficere fidem & votum parẽtum, qui ſcilicet cum inuocatione SS. Trinitatis adhibito ipſis ſigno crucis, eos offerant Deo, non ergo neceſſum eſt, paſtores tanto contagionis periculo exponi, vt huiuſmodi infantes baptizent.

℟. (Vt modo omittantur hæretici) ſuprafatos Doctores Catholicos grauiter erraſſe, meritòque ab omnibus aliis reprehẽſos, quod propria authoritate remedium aliquod ſalutiſe fingere auſi fuerint ꝓ parnulis, quãdo illis deficit baptiſmus: Siquidem remedia ordinaria ad ſalutem neceſſaria docet Deus fideles ſuos, non particularis alicuius Doctoris, ſed vel ſcripturæ vel eccleſiæ voce: Iam vero præter baptiſmũ in re, & martyrium pro Chriſto nullum aliud ordinarium remedium paruulis ſupereſſe, docent S. Scriprura & Eccleſia.

Dices ſecundò: Si paruuli per fidem & votum parentum ſaluari non poſſent, maxime id eſſet contra illam ſententiam Saluatoris: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Sed hac ſententia non obſtante, concedimus adultos ſaluari per baptiſmi votum, (vt ante diximus) ergo etiam concedi poſſet ſaltem in caſu extremæ neceſſitatis paruulos ſaluari per fidem & votũ parentum. Ita argumentat Caietan. ℟. Ma-

R. Magnum esse discrimen: nam pro exceptione adultorum ab illa Christi regula, habemus certissimam authoritatẽ, partim Scripturæ; partim Ecclesiæ: Pro exceptione autem paruulorum non item: nam ante Gersonem & Caietanũ nullus Ss. Patrum mentionem fecit alterius remedii pro paruulis, quam horum duorum, Baptismi & Martyrii.

Dices tertiò: Adulti solo voto & desiderio baptismi saluari possunt, nõ ergo bene dicitur, pastores teneri ministrare sacramentum baptismi adultis tempore pestis.

R. Negando consequentiam: quia sicut adulti tenentur petere baptismum, alioquin non valet illis baptismus flaminis, ita pastores tenenturillis ministrare. Et quamuis si pastor recuset, non propterea damnabunt, sed voto & desiderio illius cum vera contritione baptizati cẽsebuntur. Non ideo tamẽ excusabitur pastor à mortali, tum quia omittit officium ad quod tenetur, tũ quod meritò dubitare debet, an adulti veram contritionem habeant, cùm illa multum sit difficilis, vt ante diximus, quæ tamen ad baptismum flaminis secũdum omnes requiritur.

QVÆSTIO II.

An similiter teneantur Obstetrices.

Quæstionis explicatio.

QVia obstetrices ex officio tenent mulieribus adesse in partu, ad adiuuandum & facilitandum partum, & frequéter eo tempore proles non solum corpore periclitantur propter contagionem, sed etiá anima, propter absentiam ministrorũ baptismi. Quæritur non immerito, an obstetrices in huiusmodi necessitate paruulos peste infectos aut de ea suspectos, teneant baptizare, & qua obligatione?

Responsio.

Tenentur non solum peste infectos, sed & alios quoscunq; paruulos de vita in partu periclitãtes, etiam ex debito iustitiæ baptizare, vt probant Paludanus (*a*) & Antonius (*b*). Sic enim Paludanus: *Non omnes tenentur* (inquit) *ad sciendam formam Baptismi, nisi quibus incumbit ex officio, vt Curatus & Obstetrix*: non enim alia de causa tenentur scire formam, nisi vt tempore exigente illa vtantur.

a *In 4. dist. 3. q. 2. n. 7.*

b *p. 3. c. 13. §. 4.*

Dices: Nullum est præceptum, quod obste-

obstetrices ad baptizandum paruulos obliget: non naturale, quod ad iustitiam pertineat, quia ex vi sui muneris non tenetur obstetrix ad curandam salutem animæ pueri, sed solum ad cooperandum natiuitati corporali eius: neque est præceptum charitatis, quia licet supposita necessitate pueri teneatur quilibet eum baptizare, si potest, vt in sequentibus ostendemus, & p̄dicti authores & omnes docent; non tamen tenetur vnusquisque esse paratus & instructus ad dandum baptismum, si fortasse inueniat puerum in necessitate constitutum, ergo neq; charitas obligat obstetricem ad huiusmodi præparationem, quia licet fortasse sæpius in eo munere accidat, tamen rarissimè euenit, vel non adesse aliquem alium, à quo possit infans baptizari, vel necessitatem esse tantam, vt non possit cito vocari & expectari. Neque est præceptum ecclesiasticum, quia nusquam tale legitur. Ita argumentatur (a) Suarez.

Respondeo. In his (b) prouinciis & regionibus obstetrices obligari ad baptizandum pueros, si non ex vi sui muneris simpliciter, certe ex iuramento & pacto, quo inter cætera promittunt curare salutem non solum corporis, matris & prolis, sed etiam salutem ipsius animæ, vt patet

a *Tom. 3. de Sacrã. disp. 31. sect. 5. §. rursus ex hoc principio.*

b *Parochial. Treuerẽ, p. 1. pag. 3. Leod. in fin. Ruremund. in fin.*

ex formula iuramenti illis præscripta.

21. Tim. 2. Dices secundò: Obstetrix (a) *mulier est, cui non licet vel os aperire in Ecclesia*: male ergo illi officium spirituale baptizandi imponitur.

R. Non imponi simpliciter, sed in casu videlicet periculosi & difficilioris partus, cui facilirãdo ex officio adesse tenet. Cum enim sæpe accidat, vt experiẽtia docet, p̃pter difficultatẽ partus periclitari salutem nonsolũ corporis, sed & animæ ipsi⁹ prolis, nisi baptizet, & nullus fere præterobstetricem propter pudorẽ intereſſe ſoleat, videtur prudenter factum, vt obstetrici in illo casu hoc officii demandatum sit.

QVÆSTIO III.

Absentibus siue iuste siue iniuste, vel etiam mortuis vel peste infectis pastore & obstetrice, an teneantur alij huiusmodi pueros baptisare.

Quæstionis explicatio.

CVm sacramentum baptismi sit pueris ad salutem absolute & simpliciter necessarium, vt ante ostendimus, & ex altera parte fieri possit, vt pastor & obstetrix, qui ex lege iustitiæ illud ministrare debent, peste in-

ste inficiantur, vel etiam moriantur, vel alia ex causa absint: non immerito quæritur, an præter pastores & obstetrices sint alii, qui quocunque modo obligenturad ministrandum huiusmodi paruulis. Et nota, nō quæri, an præter illos alii possint sacramentum hoc ministrare, hoc enim cum communi supponimus: sed quærimus, an teneantur, & quo iure?

Responsio.

ABsentibus pastore & obstetrice, alii omnes cōscii necessitatis, in qua puer peste infectus consistit, tenentur, si non ex debito iustitiæ, certè charitatis, pietatis, & misericordiæ, etiam cum periculo vitæ, baptismum ministrare: Siquidem omnes tenentur in extrema necessitate spirituali proximo subuenire, etiam exponendo vitā corporalem periculo, secundum omnes.

Dices: Si in extrema huiusmodi necessitate tenetur quilibet baptismū ministrare, ergo licebit laico in præsentia parochi, diaconi vel subdiaconi baptizare, quod est contra communem Ecclesiæ praxin & reuerentiam sacramentis debitam.

℟. Negando consequentiam, quia dum præsens est parochus, vel diaconus vel subdiaconus, puer non censetur in necessitate

respectu laici, quod bene notandum est in praxi: ad hoc enim, vt laicus dicatur teneri ad baptizandum huiusmodi puerum propter necessitatem, duo requiruntur, nimirum necessitas baptizandi, & necessitas eius qui ministraturus est sacramentum, scilicet vt non sit alius, qui possit illud conferre, & ad quē aliquo titulo magis spectet tale ministerium. Itaque si pastor sit præsens, qui possit & velit baptizare, non tenebitur simplex sacerdos, sicut nec sacerdote præsente diaconus, & sic consequenter, imo non licebit eis, quia obligatio ministrandi baptismum in inferioribus parocho solū oritur propter veram necessitatem: Vera autem necessitas non consurgit nisi ex vtroque capite supra posito, scilicet ex penuria ministri, & periculo pueri baptizandi.

Dices 2. Quid si pastor nolit vel nō audeat baptismum ministrare, licebitne tunc laico in eius p̄sentia baptizare?

R. Non solum licebit, sed etiam tenebitur, quia iam est casus necessitatis: quid enim refert quod adsit sacerdos, si nō vult necessitati pueri subuenire? peccabit tamen parochus ministerium suum negando, tum contra reuerentiam sacramenti, tum contra sui muneris & officii debitum.

Dices 3. Quid si pastor non omnino neget mi-

get ministeriũ suum, sed tantum cedat iurisuo, concedens alteri facultatẽ dandi baptismum, siue ex timore contagionis, siue alia simili causa?

℟. Non debet laicus nec quilibet alius, etiamsi diaconus sit, vsurpare tale mun⁹ sine graui causa, quæ necessitati æquiualeat, quia solus sacerdos est per se institutus minister huius sacramenti, & non potest ipse sua auctoritate hoc ministerium alteri demandare.

Dices 4. Quale est peccatum, illo casu ministrare?

℟. Cum Dd. per se & secluſa ignorantia esse mortale propter irreuerentiam maximam, quæ fit ipsi sacramento.

Dixi (*per se & secluſa ignorantia*,) quia in hoc casu illa facile interuenire potest, tum facti tum iuris: facti quidem, quia sæpe potest, & facile etiam sine culpa timeri periculum vitæ pueri, vbi non est, & accelerari baptismus, non expectato conuenienter ministro, sine vera necessitate, bona tamẽ fide existimata, ex zelo charitatis: iuris autem, quia licet hoc diuinum sit, non est tamen tam clarum, quin possit facillime à communi plebe inuincibiliter ignorari.

Dices 5. Incurruntnè laici aliquã censu-

ram, irrequisito pastore puerum talem baptizando?

R. Non incurrere, modò solemniter nō baptizent. Neque obstat, quod iure (a) canonico imponatur pœna irregularitatis ei qui baptizauerit non ordinatus, quia text⁹ ille intelligendus est de baptismo solemni. Ita ibi Gloss.

a c. 1. de cler. non ord. ministrante.

Dices sextò: Incurretnè quoque eā pœnam simplex sacerdos, si baptismum ministret, non requisito pastore?

R. Nequaquam, quia non est eis à iure imposita.

Dices septimò: Incurruntnè Religiosi?

R. non incurrere: neque obstat Clemētina prima de priuilegiis, quæ imponit excomunicationis censuram Religiosis, ministrantibus sacramenta sine licentia pastorum, quia non loquitur generaliter de sacramentis, sed solum de extrema vnctione eucharistia, & solemnitate matrimonii, & quibusdam aliis casibus ibi expressis, extra quos non est illa excommunicatio extendēda, qa *pœnæ &, odia* (b) *coarctanda sunt.*

b c. 15. de regul. iur. in 6.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An etiam teneantur pater & mater?

Quæstionis explicatio.

PArentes tempore pestis frequenter in eas veniunt angustias, vt nullum omnino habeant, qui proles recens natas vel velit vel audeat baptizare, propter probabilissimum cõtagionis periculum, quod imminet iis, qui propius accedere debẽt cum corrupti humores matris & prolis aërem circumstantem omnino infecerint: Huius occasione quæritur an mater vel pater illo casu prolem baptizare teneatur?

Responsio.

DEficiente Pastore & aliis, qui puerum peste infectum baptizare possint & velint, tenentur pater & mater; tum generali lege charitatis, quia tenemur subuenire proximo extreme indigenti, præsertim in extrema necessitate spirituali, tum lege pietatis, qua parentes tenentur filiis indigentibus succurrere. Et cõfirmatur iure (*a*) Canonico, quo quidam Stephanus à Ioanne Pontifice laudatur, quod filiũ suum in extremo vitæ positum, necdum baptismatis vnda lotũ, in absentia sacerdotũ baptizarit.

(*a*) 30. q. 1. *ad limina.*

Dices 1. Poteruntne huiusmodi parentes, si superuiuant, cohabitare & matrimo-

nio vti? Ratio dubitandi est, quia (a) iura & Concilium (b) Trident. generaliter dicunt cognationem inter baptizantem & baptizati patrem & matrem contrahi.

a c.1. de cogn. spir. in 6. & c. Quamuis, ibid.

b Sess. 24. c. 2. de reform. matr.

℟. Posse nec hoc casu cognationẽ contrahi; Ita (c) ibi declarat Pontifex. Neq; n. ratio permittit, vt pater priuetur iure sibi per matrimonium debito, quod filio in necessitate extrema constituto ex pietate subueniat.

c 30. q. 1. c. ad limina sup.

Dices 2. Quid si cõcubinus in simili casu baptizauit prolem suæ concubinę, poteritne illam postmodum in vxorem ducere?

℟. Non posse, quia licet (vt iam diximus) necessitas efficiat vt possit compater cum vxore sua iam ducta, eademq; cum matre licite rem habere, non tamen efficit ne nascatur compaternitas, quæ ante matrimonium nata illud impediat & dirimat, vt bene notauit (d) Nauarrus.

d Man. c. 22. nu. 40. in fin.

QVÆSTIO V.

His omnibus puerum baptisare negligentibus, an liceat hæreticum publice & nominatim excommunicatum pro ministratione baptismi aduocare?

Quæstionis explicatio.

MOuent hanc quæstionem (e) Sotus, (f) Paludanus, & (g) Adrianus, & referunt

e In 4. q. 5. dist. 2.

f q. de baptismo.

g q. quodl. 9.

ferunt, quosdam existimare, non licere ab huiusmodi ministro sacrm hoc, etiã in extrema necessitate suscipere: Imo si adultus baptizari deberet, & alius nõ adesset minister, baptismo flaminis contentũ esse debere, quia (vt inquiũt illi) vbi non est minister, nisi p̃cisus, perinde est, ac si nullus adesset: Huius occasione quæritur, quid de hoc casu dicendum sit? *Responsio.*

LIcebit quicquid præfati Dd. dicant. Docet hoc inprimis D. (a) Augustin. cũ quendã eõmendat, qui in articulo mortis baptismũ ab hæretico petiit & suscepit: Et Adrianus supra allegatus refert (b) Chrysostom. in hęc verba idẽ dicentẽ: *Si quis infirmitate detentus morti appropinquauerit, & sacerdos vel clericus defuerit, tunc ab illo* (s. hæretico) *in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti baptisari poterit.* Suffragatur & ratio, nam (vt superiore (c) capite diximus) ecclesia, quæ à Spiritu S. regitur, nullatenus credi debet in illo casu, quo paruulus alioqui ęternaliter peribit, vetuisse, quo minus à quouis possit hoc sacrm suscipere. Confirmatur, quia etsi cũ sic præcisis communicare prohibeamur; tamẽ in temporalibus, quando quis extremam patitur necessitatem famis, minimè vetatur ad illos recursus p̃ subuctione, minus ergo in spiritualib. ad salutẽ æternã necessariis.

a *lib. 4. de vnic. baptism. & refertur 24. q. 1. c. Si quem forte.*

b *in lib. canonũ pœnit.*

Dices:

Dices: Qui petit ab huiusmodi excommunicato sacramẽtum, peccato eius communicat, vt Dd. communiter dicunt, non licet ergo à tali sacramentum petere.

℟. Dd. subintellexisse exceptionem, quá ipse D. Thom. (*a*) in sentẽtias expressit, præterq̃ videlicet in extrema necessitate baptismi, qua etiã à Iudæo & Pagano baptismus suscipi potest.

b *in 4. dist. 1. q. 5. art. 6.*

Dices 2. Adulto sufficit baptismus flaminis secundum communem: ergo saltem non licebit adulto aduocare ab ecclesia præcisum.

℟. Nihilominus licere: nam & ille quem laudat (*b*) Augustinus, adultus erat, & ipse Scotus (*c*) post multa in vtramq; partem allata, tandem ait: *Omnibus pensatis melius esse, suscipere à tali quam à nullo.* Sed melius (*d*) Adrianus ait, non solum illi licere suscipere, sed etiam teneri, *quia* (vt inquit) *baptismus flaminis illis prodest, qui sunt in necessitate baptismi aquæ*, in quali iste non est, si hæreticum habet qui vere baptizare velit.

b *supr.*

c *Scotus sup.*

d *supr.*

Dices postremo: Peccatne huiusmodi præcisus, qui in illa necessitate baptismum ministrat? Ratio inquirendi est, quia cum illi absolutè vetitum sit sacramenta ministrare, videtur contra prohibitionem ecclesiæ ministrando facere.

℟. Non

R. Non peccare contra præceptum Ecclesiæ, si sine solemnitate ministret, quia illa prouidentissima quamuis hæreticos absolutè præscindat, neutiquam tamen hunc casum cogitat comprehendere, vt iam aliquoties diximus.

QVÆSTIO VI.

An liceat & illum, qui non pro notabili pecuniæ summa vult baptismum ministrare?

Quæstionis explicatio.

DIximus superiore capite cum communi sententia, quo sensu liceat quépiam pecunia conducere qui ministret sacramenta, & indecisum reliquimus, an etiã pro ipsa baptismi administratione in extrema infantis necessitate hoc ipsum licitũ sit, puta, est aliqua parturiens prædiues ignorans formã baptismi, nec aliqué reperiens qui prolem suam baptizare velit prẹter iniquum & auarum sacerdotem, qui aduertẽs sollicitudinem matris pro salute suę prolis, rogatus vt baptizet, petit pro ministratione baptismi magnam pecuniæ summam.

Responsio.

IN (a) huiusmodi extrema infantis necessitate licet: Est assertio Gersonis & Soti, Adriani

a *Gers. tract. de sym. ad 6. rationẽ. Sot. lib. 9. de iust. & iure, q. 6. art. 9 Adria. quodl 9 Lessius lib. 2. de iust. & iure, c 35. dub. 7.*

Adriani & Leſſii. Ratio potiſſima eorũ eſt, quia ſi in iſta pecuniæ numeratione aliqua eſſet inordinatio, in hoc eſſet, q̃ numerãdo pecuniam videatur quis conſentire venditioni rei ſpiritualis, & pretium temporale exæquare rei ſpirituali; ſed neutrum eſt in hoc caſu: non enim numerans magis conſentit vẽditioni quam petens mutuũ conſentit iniquæ voluntati vſurarii, & ſi conſentiret, tantum conſentiret tanq̃ in minus malum, minus enim malũ eſt, vt ſacerdos vẽdat baptiſmum, quam vt infantem in æternum perire ſinat. Neque etiam cenſetur æquare pecuniæ ſummam quamuis notabilem baptiſmo, quia non dat illam vt pretium ſacramenti, ſed vt medium neceſſariũ ad alliciendum ſacerdotis illius animum & ſacramentum obtinendum. Et cõfirmatur, quia ſi alius ſacerdotem impediret, ne baptiſmum conferret, poſſet ei dari pecunia vt ceſſet impedire, cur non etiã poſſet dari ipſi ſacerdoti vt tollat impedimentum, q̃ ipſe ſibi per malitiã & auaritiam ſuam poſuit? Confirmatur ſecundo. Licet ſacerdotem illum fm (a) Adrianum inducere minis & precibus, cur non & pecunia? Confirmat tandẽ, quia omnia bona tẽporalia conceſſa ſunt homini, vt iuuent eum ad ſalutẽ conſequendam: ergo ſi ſacramentũ ad ſalutem

(a) ſupr.

mihi

mihi necessarium non possim propter ministri malitiam aliter obtinere, quam dando mea temporalia, nihil inordinatum committam.

Dices: Si licet aliquid dare ad obtinendum sacramentū in huiusmodi necessitate, licebit ergo aliquid etiā spirituale vendere, si iniquus ille sacerdos postulet?

℟. Non sequi, quia præterquam ꝙ venditio est emptione longe deterior, si vellet sibi rem spiritualē vendi, & non gratis dari, censeretur id velle in contemptum religionis, & per consequens videretur quis prauitati eius morem gerere, quod nullo modo licet.

QVÆSTIO VII.

Vtrum pastores teneantur omnibus paruulis peste infectis baptismum ministrare?

Quæstionis explicatio.

DIximus, qui teneantur baptismum tempore pestis ministrare, siue ex iustitia siue charitate: Ordo postulat vt inquiramus an omnibus omnino infectis obligentur; non desunt enim à quorum ministratione, pastores forte viderentur posse excusari, de quibus idcirco particulatim consequenter videbimus.

Responsio.

Responsio.

Tenetur: Ratio ex dictis in prima quæstione huius capitis facile colligitur; dicitur enim omnibus absolutè & sine vlla exceptione illud (*a*) Saluatoris: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

(*a*) *Ioan. 3.*

Dices: Quid si persecutio siue Turcarũ, siue hæreticorum sæuiat in Catholicos peste infectos, tenebuntur etiam pastores periculo mortis se exponere, vt paruulos illorum martyrio expositos baptizent?

Vide D. Aug. lib. 13. de ciu. cap. 7.

℟. Nos excipere casum martyrii pro Christo, quo iuxta communem sensum ecclesiæ etiam paruuli sine alio baptismate saluari possunt.

QVÆSTIO VIII.

An etiam non petentibus?

Quæstionis explicatio.

Fit nonnunquam, vt parentes peste infecti, non sint ita solliciti de baptismo infantium suorum, vel quod in lucem editi sint, quin moriantur, propter humores pestiferos, quos in vtero materno suxerũt, vsq; adeo, vt à Medicis pro miraculo reputetur, si matre pestilentiali morbo pereunte proles incolumis euadat, vel q̃ matres, vi

&

& magnitudine morbi fere abortiũt, & fœtum inanimatum ante tempus edunt, vel ꝙ si quando prodeat fœtus anima rationali animatus saluus & incolumis, cũ exiguo tempore superuiuat, pastor ita præsto esse non potest, vt baptismũ tempori applicare possit; vel deniq; ꝙ quorundam falsa opinione decepti sibi persuadẽt in tali casu paruulos sine baptismo saluari per fidem, quã religioso quodã signo, puta crucis illi applicant: Horũ occasione q̃ritur, an pastor tali casu excusetur à ministratione baptismi, an vero etiã illis pueris ministrare teneatur.

Responsio.

TEnentur pastores ministrare baptismũ pueris parturientium peste infectarum tanto sollicitius, quanto parẽtes negligentiores sunt in illo petendo. Siquidẽ pastor non solum tenetur ministrare sacramenta cum à suis rogatur, sed etiam illi incumbit præuenire & aduigilare ne quis falsa persuasione, vel aliter sine baptismo decedat, vt ex dictis superiore capite manifestum est.

Dices: Quid si parentes nolint prolem baptizari, quia putant cum Caluino & aliis Nouatorib. non esse necessarium ad salutem.

℟. Pastores teneri curare siue per se siue per superiores, vt hæretici proles suas bapti

zandas exhibeant, vel si possint, etiam ipsas illis (a) inuitis baptizent, siquidem cum illi sint ecclesiæ iurisdictioni & coactioni subiecti, possunt cogi pœnis corporalibus vel aliis, vt proles suas baptizari curent.

a *in c. si baptizata, ver. Qui de baptizato, de consecr. dist. 4. & Henric. Boic, in c. sicut Iudæi 2. de Iudæis.*

QVÆSTIO IX.

An & illis, de quorum vita dubitatur?

Quæstionis explicatio.

CErtum est apud oēs puerū mortuum non posse baptizari, q̄ etiā parochiale (b) Leodien. annotauit: sed cum puer ex peste infecta genitus fere semper vel mortuus sit, vel adeo lāguidus, vt merito dubitari possit suffocatusne sit an viuus, non abs re q̄ritur, an pastor quicumq; alius teneatur quātocius puerum talem baptizare, an vero ab illius baptizatione, vel simpliciter vel pro tempore excusetur?

b *pag. 24. de baptis. §. Caueat autem sacerdos.*

Responsio.

TEnentur pastores quantocius huiusmodi pueros baptizare subintellecta vel expressa cōditione (si viuis, ego te baptizo) quia in casu artic. mortis, in quo versamur, q̄n res moram non patitur, & ex tempore se resoluere oportet, re pro ratione temporis examinata, si pastor deprehendat rationes ꝓbabiles, quæ ipsū mouent, vt putet infantem viuere, etiāsi non desint, quæ suadeant eum mortuū esse, tenetur se inclinare pro bapti-

baptismo infantis ad vitandum periculum mortis æternæ, q̃ puero imminet, si baptismum in longũ differat, vel omnino neget, vt patet ex iis, q̃ initio huiꝰ tractatus diximꝰ.

Dices: Pastor qui baptizat mortuum irreuerentiam facit sacramẽto, quod pro viris sicut & reliqua sacramenta, institutum est, non debet ergo in tali casu baptizare, ne forte mortuum baptizet, & sacramento iniuriam inferat.

R. Timorem illum sufficienter excusari tum ex ꝓbabilitate vitæ ipsius infantis, quã pastor (vt ante diximus) concepit, tum maxime ex conditione apposita, vt com. nostri Dd. tradunt, & (a) iure canon. confirmatur.

a De baptis. & eius effect. c. 2.

QVÆSTIO X.

An etiam illis, qui adhuc vel in toto vel in parte retinentur in matris vtero?

Quæstionis explicatio.

CVm omni tempore hic casus frequẽter occurrat, frequentius tñ tempore pestis, tum quia obstetrices, quarum officiũ est facilitare partum, ꝓpter periculũ contagionis frequenter se absentare solẽt, tum quia virtus expulsiua prolis in huiusmodi parturiẽtib. ita debilitata est, vt mater solito more iuuare se nequeat: Idcirco queritur, an & isto casu pastor parturientẽ accedere, & plẽ baptizare teneatur, an vero excusetur?

Responsio.

DIstinguendum est: si enim pastor intelligat fœtum adhuc totũ vtero retineri, excusatur à baptizatione, quia etiamsi quam maxime cuperet illum baptizare, nõ potest: (*a*) *Nemo enim renascitur*, (vt loquitur D. Augustin.) *nisi prius nascatur*. Si enim fœtus omnino vtero clausus est, non potest aqua tangi: ergo non potest baptizari, cum baptismus nihil aliud sit quã corporis ablutio per aquam. Neq; (vt (*b*) quidã voluerunt) per ablutionem matris proles baptizari potest, quia cũ mater sit persona à persona paruuli distincta, ablutio matris non potest ablutio paruuli reputari. Si vero pastor intelligat prominere tãtum parte, disputant Doctores, quæ & quanta pars corporis aqua tangi debeat, vt fieri possit baptismus, neq; hic Mathematice quicquam definire possunt, non n. habẽt regulam ad præcise de ea re iudicãdum, nisi illã generalem, nimirum eam & tantam partem ablui posse, quę sufficiat ad denominandũ hoẽm simpliciter baptizatum: Quapropter si pastor obstetricẽ habere nõ possit quæ parturiẽtem accedat, tenebitur accedere & partem eminentẽ baptizare, siue caput fuerit, (quo casu certus erit baptismus fm coẽm) siue humeri, pectus, pes, manus (quib. casibus

a *D. Aug. epistol. 67. ad Dardan. & refertur de consec. dist. 4. c. qui in maternis.*

b *apud D. Aug. supr.*

bus, quia à plerisq; dubitatur, an illarũ partium ablutio sit sufficiẽs ad baptismum, & proinde baptizabit sub conditione per antedicta.

Dices: Quid si obstetrix aut Medicus arte & industria possit puerum in vtero matris abluere, eritne baptismus?

R. Videtur fore secundũ graues (a) Dd. quia corpus infantis abluitur, q; sufficere diximus. Et D. (b) Augustin. ideo solum negauit infantem in vtero baptizari posse, qm̃ oportet ablui ipsam personã, ergo qñ id fieri posset, valeret etiam secundũ D. Augusti. baptismus, & consequenter obstetrix vel Medicus illam artem callens teneretur talem infantem in vtero baptizare.

a *Gabr. dist. 4. q. 2. art. 3. dub 2. & Victor. in summa de sacra. q. 32.*

b *D. Aug. supr.*

Dices 2. Quid si mulier parturiens iudicio Medici breui moritura sit, & ꝓbabiliter timetur ne proles prius moriatur, quam in lucem veniat, debebitne matris vterus aperiri, vt puer baptizetur?

R. Minimè, vt bene notauit (c) Paludan. quia *non (d) sunt facienda mala vt eueniant bona.*

c *In 4. dist. 6. q. 1.*

d *Apostolus Rom. 3.*

Dices postremo: Tenẽtur ergo pastores adesse mulieribus huiusmodi parturientibus, vt præsto sint ad prolem baptizãdum?

R. Non decet pastores ordinarie adesse ꝓpter pudorem. Idcirco rogãda erit obstetrix, vt præsto sit & officium faciat, vt bene

monet parochiale (a) Ruremundense, si tñ haberi non possit, tenebitur pastor ꝓ salute pueri pudorem viriliter exuere, & officium suum facere.

a *de sacram. baptis. can. 2.*

QVÆSTIO XI.

Etiam illis quorum sexum ignorant?

Quæstionis explicatio.

ETiam hoc quibusdã tergiuersationis materiam adfert, qꝺ ignorent cuius sexus sit puer, siue totus in lucem editus sit, siue in parte, existimant n. intentionem baptizãtis ꝺ ꝛi ꝺ debere in masculũ vel fœmellã, neq; futurum baptismum, nisi intentionem in alterum sexum actualiter direxerint: cuius opin. existimat Hostien. fuisse (b) Syluester. Horũ occasione quęritur, an illo casu excusentur pastores, an vero non obstãte ignoratione sexus illum baptizare teneantur?

b *verb. baptismus, 3. §. vltimo.*

Responsio.

TEnentur & illis baptismum ministrare non obstante huiusmodi ignorationes. Quia sexus cognitio (quicquid Hostien. dicat) non est necessaria ad baptismũ, sufficit n. illo casu intẽdere baptizare illam personam, q̃ præ manibus habet, siue masculum siue fœmellam, vt bene parochiale (c) Leodien. & (d) Sotus annotarunt: Quinimo vana & pernicioſa est huiusmodi sexus inuestigatio; Vana, quia si illa postpositã intẽdat quis

c *verb. baptismus, 3. §. vlt.*

d *in 4. dist. 1. q. 5. art. 10.*

quis baptizare illum hominem qui ibi est, erit verum baptisma, vt commun. Dd. tradunt: pernicioſa vero, quia ſi intendat baptizare fœmellã excluſo maſculo, h. e. ita vt nolit baptizare maſculũ, fieri poterit, vt qs putetur baptizatus, qui non erit, puta, ſi accideret puero, q̃ in Luſitania accidiſſe narrat(a) Sotus, vt in prouecta ætate membra viri, quæ illuc vſq; habuiſſet ventre incluſa prominere inciperent, & deprehenderetur reuera fuiſſe maſculus, hic nõ eſſet vere baptizatus; Quare in caſu, de quo nũc agim⁹, negligenda eſt huiuſmodi ſexus diſtinctio, & intẽtio dirigenda ſimpliciter in hãc perſonam, ſic nullus poterit interuenire error ſacramentum baptiſmi vitians: etſi n. ſpeculatiuè arbitretur quis baptizandum eſſe Petrum, ſit autem alius quicunq;, ſiue maſculus ſiue fœmina, ver⁹ erit baptiſmus, q̃a in intẽtiõe illa practica, qua ſ. applicat huic perſonæ baptiſmum, habetur ſufficienter intentio eccleſiæ ad baptiſmum requiſita.

a *ſupr.*

Dices: Error perſonæ in matrimonio nullum reddit matrimonium, puta ſi quis putet ducere Mariam, & ducit Annam: ergo ſimiliter & baptiſmum.

R. Negando conſequentiam, ꝓpter magnũ vtriuſq; ſacramenti diſcrimen: Nam in matrimonio contrahentis intentio fertur

nominatim in hanc q̃ animo concepit, vñ si præsens non sit hæc, non erit marm, quia deest intentio: baptizantis aũt intentio nõ determinat in hanc, qua hęc est, sed absolute in præsentem.

Dices 2. Quo nomine baptizabitur?

R. Nomen non esse de essentia sacrti, imo in primitiua ecclesia cum adulti baptizarentur, nõ mutabãt noĩa, vt patet ex Saulo (a) Cornelio, (b) Augustino, Ambros. Deinde poterit (vt ait (c) Viualdus) indistincte masculi nomen dari, & postmodũ si superuiuat, cognito sexu suo sexui appropriari, vt si fœmina fuerit, & nomen impositũ est Ioannes, Ioãna, si Petrus Petronilla, debet n. in tali casu puer semp mas p̃sumi, vt nomen masculini non fœminini generis imponat.

a *Act. 9.*
b *Act. 10.*
c *In candelabro aur. de baptis. n. 62.*

QVÆSTIO XII.

An & illis quorum mors acceleranda putatur si baptisentur?

Quæstionis explicatio.

NOn frustra Dd. hanc quæstionẽ mouent, morale n. est paruulos debiles & languidos ad baptismũ deferri, quo fit vt obstetrices sollicite illos fasciis & linteolis inuoluere, ac diligenter contegere soleant, ne ab aëre, vento vel pluuia lædantur & extinguantur: Huius occasione q̃ritur, quid si puer ex peste infecta recẽs natus ꝓpter humores

mores pestiferos, quos in vtero mris hausit, adeo debilis sit, vt putet statim moriturus si aqua tãgatur, excusabiturnè pastor à baptizatione, an vero eo non obstãte baptizare tenebitur? *Responsio.*

DOctores distinguunt: vel enim pueri ita debiles sunt, vt nulla spes vitæ supersit, vel etsi infirmi & tenelli sint, tamen adhuc aliqua spes affulget. Si primum, pastores tenebuntur statim huiusmodi baptizare, quia non baptizare tali casu, esset puerum perpetuo damnare: Neque tunc pastores baptizãdo puerum occidunt, vt quidam contendunt, quia supponitur, iam esse sine spe vitæ. Deinde quia etiamsi per exiguam aquæ asperſionem, fingatur aliquãtulum accelerari mors, tamẽ hoc casu illud moraliter loquẽdo, quasi pro nihilo reputari debet, præsertim si aliquantulum illud cum vita æterna conferatur, quæ puero per baptismum confertur. Si alterum, non tenebuntur statim baptizare, sed poterunt aliquantulum differre, quia illo casu spiritualis necessitas non ita vrget, & consequẽter nec diuinum aut ecclesiasticum præceptum. Ita communiter dici solet, & recte, posita videlicet spe vitæ: Verum quia in casu pestis moraliter nulla poni potest, existimo sine distinctione omnem paruulum ex

peſte infecta genitum ſtatim baptizãdum, etiamſi aliquantum mors eius acceleranda putetur propter periculum mortis tum téporariæ tum æternæ, quod à tam violento morbo illi omni momento imminet, vt ex iis, quæ initio huius tractatus prẽſuppoſuimus, patet.

Vnum hic obiter monendo paſtores, vt in hoc caſu baptizẽt, non immergẽdo (etiamſi hic modus baptizandi apud illos vigeret) ſed aſpergendo, non plena manu aquam demittendo in caput infantis, vt iſtis in partibus fieri ſolet, ſed in quãtitate aquæ modica, quæ tamen ad baptiſmum ſufficiat, & in ea corporis parte, in qua minus nocebit, & ſi poſſit, aqua modico calore téperata, & ſtatim poſt aſperſionem abſterſa; ſi enim hæc ſeruentur, vt facile ſeruari poſſunt, vix poteſt, moraliter loquendo, cogitari aut fingi, quod ex huiuſmodi baptiſmo mortis periculum acceleretcur.

Dices 1. Quale peccatũ eſt, inaute huiuſmodi infantem baptizare, & mortẽ accelerare?

℟. Eſt mortale vel veniale, pro ratione damni, q̃ corpori infantis infertur.

Dices 2. Si ad aſperſionem aquæ incautam mors ſtatim conſequatur, incurretnè baptizans aliquam irregularitatem?

℟. Palu-

R. Paludanus (*a*) bene dicit incurrere, quicquid illi (*b*) Sotus contradicat, quia generaliter verum est oẽm culpam homicidii consummati, etiamsi tantum venialis sit, habere coniunctam irregularitatẽ, & contra nullum homicidium internum, h. e. in sola voluntate consistens, etiamsi mortale sit, & mortalissimum, habere illã, quia irregularitas, sicut & censuræ ecclesiasticæ, non nisi propter factum externum contrahuntur, cum Ecclesia solum iudicet de externis.

a *In 4. dist. 3. quæst. 3.*
b *Ibid. dist. 3. quæst. 3.*

QVÆSTIO XIII.

Pluribus eodem tempore Baptismum petentibus, quem primo loco tenentur Pastores baptisare?

Quæstionis explicatio.

POsset hæc quæstio videri satis resoluta, per illa, quæ diximus primo capite in q̃stione generali, qua quæsiuimus de ordine seruando, cum plures peste infecti eodem tempore petunt sibi sacramẽta ministrari; tamen quia hoc sacramentum est maximæ necessitatis, & suam peculiarẽ difficultatẽ habet, grauiusq; longe peccatũ est, si ordo in hoc ministrãdo puertat̃, q̃ alio quocũq; non abs re erit, vno verbo illi particulatim satisfacere, ne si de ea, quãdo ad praxĩ veniendũ est, disputari cõtingat, vel baptismus omnino

omnino postponat, vel saltem aliquantum non sine periculo differatur.

Responsio.

Videtur hic vtendum aliqua distinctione: vel enim si plures iacẽt in diuersis tuguriolis, vel in eadem domo publica, puta xenodochio infirmorum. Si primum, seruari debebit ordo charitatis supradict⁹. Si secundum, aliud consilium ineundum est, & rursus subdistinguendum: vel enim omnes illi sunt peste infecti, & consequenter in extremo vitæ articulo constituti, vel saltem sunt de peste suspecti, & non in tanto periculo: Si primum, baptizentur (a) omnes vna forma, & vna aspersione, dicẽdo: *Ego vos baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti:* hoc enim licere tradit Parochiale Leodiense, & videt colligi ex actis Apostolorum. Nec difficulter probari videtur in simili de sacramento Eucharistiæ, in quo vna forma consecramus cẽtum & plures hostias, vt vsus Ecclesiæ, quæ in hac re, sicut nec in aliis, quæ ad fidem & mores ptinent, errare non potest, sufficienter ostẽdit: Si secundum, baptizentur distinctim ordine à charitate præscripto, seruatis solis substantialibus, quæ breui admodum tempore seruari possunt, etiam in baptismo trium

(a) *Paroch. Leodiens. de baptis. sub finẽ. § admonitio de plur. sim. baptizandis.*

Actor. c. 2.

um vel quatuor, puta, sola aspersione seruata, & solis verbis sacramentalibus prolatis: *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Dices primò: Possuntnè ergo vna forma plura fieri baptismata?

R. Possunt, ad distinctionem enim baptismatũ sufficit distinctio materiæ & subiecti: deinde forma illa (*Ego baptiso vos*) quãuis in materiali sono vna videatur, tamen significatione & sensu est plures, æquiualet enim his: *Ego baptiso te & te.*

Dices secundò: Quale peccatum est, nõ seruare ordinem, qui seruari debet in baptizandis huiusmodi pueris?

R. Est suo genere mortale, quia nocumentum, quod proximiori & coniunctiori infertur, est summi momenti, puta, eterna damnatio, quamuis & hic possit esse veniale, si non ex paruitate materiæ, certe ex parte inaduertentiæ & ignorantiæ facti, qa morale est, vt pastor etiam inuincibiliter ignoret, quibus inter infantes baptizandos sit magis obligatus, & præsertim in cura, qua tempore pestis distrahitur.

QVÆ-

QVÆSTIO XIV.

Quis sit optimus & maxime probandus modus baptisandi infantem peste infectum.

Quæstionis explicatio.

INquisiuimus primum de ministris, qui quocunque modo obligantur ministrare sacramentum baptismi tempore pestis, deinde de istis peste infectis, quibus necessario baptismus ministrari debet, simulq; variis quorundam excusationibus vtrimq; petitis respondimus: reliquum est vt videmus, quo modo & ritu baptism⁹ in casu pestis ministrandus sit, & an modi, qui à quibusdam in huiusmodi necessitate & contagionis periculo, fingi & practicari solent, probandi sint vel improbandi. Sed ante omnia quæritᵉ, quis modus baptizãdi in tali casu sit optimus & maxime probandus.

Responsio.

ILle maxime probandus videtur, in quo hæc duo obseruantur. Primum substantialia baptismi, certa &, quãtũ fieri põt, minime dubia, h.e. aqua naturalis nõ artificialis, & forma ecclesiæ vsitata, minime imũtata & variata, q̃ est: *Ego te baptiso in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Alterum, ritus Ecclesiæ

clesiæ diœcesanæ, siue omnes siue aliqui, siue nulli, pro ratione periculi contagionis vel mortis, siue baptizati siue baptizantis, his enim duob. rite obseruatis, nihil est, q̃ vir prudens desiderare posse videatur.

Dices 1. Si infantulus ita vicinus morti videatur, vt illico & sine mora moriturus putetur, debetnè pastor adhibere rit⁹ quos Parochiale Leod. p̃scribit in arlo moris?

℟. Parochialia nostratia, & speciatī Ledienſe, præscribit quēdam baptismi administrandi ritū, quo sacerdos vti debet, quoties propter imminens mortis periculum vti longiore non licet: Et imprimis vult, vt si infantulus tam vicinus morti videatur, vt illico & sine mora obiturus credatur, sacerdos omnibus prętermissis, tantum quærat nomen infantuli, & baptizet eum, dicēdo: *Noimné l' enfant*: Respondent patrinus & matrina, *Iean*, *Pierre*: Quo habito dicit sacerdos: *Ioannes, ego te baptiso in nomine Patris*, adiecto signo crucis, *& Filij*, iterato signo crucis, *& Spiritus S.* adiecto rurs⁹ signo crucis: Occasione illius obiicitur hic & quæritur, an cæremoniæ istæ duæ, sc. nominis interrogatio & signaculum crucis ter repetitū, sint necessario adhibēdæ, vt rite baptizet infantul⁹ peste infect⁹ vel de ea suspect⁹.

℟. Non necessario adiici, quia neque impoſi-

impositio nominis, neque signum crucis, ad baptismi substantiam pertinent, sed sunt ritus quidam accidentarii, qui idcirco adiiciendi præscribuntur à parochi alibus, quia in communibus & ordinariis periculis mortis infantium, tãtum temporis ferè supereſt, vt illi adiici cõmodè possint, quamuis in casu pestis, in quo versamur, vt frequentius non debent obseruari, propter singulare periculũ, quod infantibus peste infectis, nec non sacerdoti imminet: Itaque extempore habito infante, nulla inter rogatione pmissâ, potest dicere sacerdos: *Ego te baptisõ in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, semel aspergẽdo puerum aqua.

Dices 2. Debentnè saltem quantocius inquirere, num circa infantis baptismum aliquid sit attentatum, vt volunt quædam parochialia, (*a*) ne exponant se periculo irregularitatis, si forsan à matre ipsa vel obstetrice infans sit baptizatus?

a Ruremun. pag. 33. Mech Hauch. in p. 33.

R. In articulo pestis, cum ferè nemo adest, ex quo sacerdos quærere possit, non teneri inquirere: Neque si infans ab obstetrice vel matre baptizatus fuerit, cẽseri debebit rebaptizasse, & irregularitatem incurrisse, quia non censetur iteratum, quod ante nescitur factum, & in tali periculo debet pa-

bet pastor se inclinare in baptismum, vt ex iis, quæ hactenus diximus, constare potest,

Dices 3: Quid si infans cõualuerit, & virtute baptismi vel aliâs à peste liberat° sit, nullænè erunt adhibendæ cæremoniæ?

℟. Præscribit (*a*) Parochiale, vt suppleãtur quæcunque prætermissa sunt, *non solum* (inquit) *vt seruetur vniformitas in baptismo, verum etiam, vt infans integro mysterij fructu perfruatur, quoniam nihil sit nec dicitur in solemni sacramentorum administratione, quod non sit valde sanctum & salubre.*

a *Sup. pagin. 24.*

Et notet pastor, repetendas tunc cæremonias, non in priuatis ædibus, in quibus puer ægrotauit, sed in Ecclesia: *Nam* (inquit Parochiale) *sicut baptismus, ita baptismi cæremoniæ extra casum necessitatis in Ecclesia tantum suscipiendæ sunt.*

Dices 4. Quid si infans non conualescat sed statim moriatur, antequam solemnitates omissæ suppleantur, sepelieturnè in loco sacro?

℟. Est quæstio, quam Nauarrus (*b*) dicit, sibi ab vltimis finibus Hispaniæ propositam, cui bene respondet, debere sepeliri: tum quia Hostiensis (*c*) affirmat, puerum, extractum de ventre matris, sepeliendum esse in loco sacro, tum (*d*) quia *standum est regulæ, nisi probetur exceptio*, & regula est, o-

b *c. 22. n. 6.*

c *In Summa de cons. Eccl. §. Et non sit.*

d *l. 1. de reg. iuris.*

mnem Christianum debere in loco sacro sepeliri: constat autem huiusmodi puerum esse Christianum charactere christianismi insignitum, & nullo iure speciali sepultur sacram illi prohiberi.

Dices postremò. Etiam cum solēnitatibus, quibus alii baptizati sepeliuntur?

Re. Maximè, nam is tam Christianus est quam illi, & tantum gratiæ sacramentalis habet, ac illi.

QVÆSTIO XV.

Quid censendum de modo baptizandi illorū, qui longius à fonte baptismatis existētes, vel aqua naturali carentes, baptizant in iure carnium, in lixiuio, in cereuisia, in sputo, in aqua balneorum, in aqua in quam resoluuntur niues & glacies, in aquis frigidis vel calidis salsis?

Quæstionis explicatio.

VT plenius intelligantur quæstiones, quæ his paucis verbis proponuntur, duo notari velim. Primum, non esse quæstiones impertinentes, vt Nouatores nostri temporis calumniantur: eò enim spectant, vt certò iudicetur, an his aquis vere fiat baptismus nec ne? q̄ iudicium sæpe necessarium est, præsertim tempore pestis, quo fere omnes

omnes fugere & vagari solent, p̃ saltus, sylvas & loca parum habitata, & subinde inaquosa: Alterum, materiam baptismi certã esse aquã naturalem, iuxta omnes: dubitari vero à quibusdã Dd. an & aquæ, in quæstionibus recensitæ, sint tales, quamuis de aquis balneorum non dubitet (a) Sotus, sicut nec de aquis, in quam resoluuntur niues & glacies Franciscus à Victoria (b): nec de aquis multũm frigidis aut calidis Concilĩ Florentinum. His duobus p̃suppositis, q̃ritur, quid censendum de modo baptizandi in aquis dubiis?

a *In 4. dist 3. q. vnic. ar. 4.*
b *De Sacramẽtis q. 12.*

Responsio.

Non est probandus, nisi in necessitate, quando morali diligẽtia adhibita non potest haberi aqua naturalis certa. In rebus n. ad salutẽ animæ p̃tinentibus, hoc ipsũ graviter quis peccat (*dicit D.* (c) *Augustinus*) q̃ certis incertã p̃ponat.

c *Supra.*

Dixi (*nisi in necessitate*) q̃a in casu illo p̃stat adhibere baptismum dubiũ, q̃ nullum.

Dices: Qualiter tunc baptismus erit ministrandus?

℟. Sub cõditione, puta, si materia sit sufficiens, quanq̃ illis aquis, in quas nix resoluit & glacies, vel aquis calidis, vel multũ frigidis, vt̃ iuxta citatos Dd. posse baptismus simpliciter ministrari.

Dices secundò: Quid si post ministratum baptismum exoriatur dubium?

a Sotus in 4. dist. 3. q. vni. art. 4. §. Veruntamen.

℟. Fiet (a) rebaptizatio sub conditione, si dubium fuerit probabile.

QVÆSTIO XVI.

Quid de illorum, qui in simili casu baptisant saliuæ conspersione.

Quæstionis explicatio.

CErtum est, mareriâ baptismi esse aquam naturalem, qua communiter vtimur, qualiscunque illa sit: Nam hæc est, quæ proprie & simpliciter aqua vocatur; dubitant vero quidam an saliua, quæ fere semper in promptu est, sit huiusmodi: Cuius occasione quæritur, an modus baptizandi in illa aliquo modo probari possit?

Responsio.

REprobandus omnino est & reiiciendus: Quia satis certum est, saliuam non esse aquam naturalem, sed potius humorem aliquem ex corpore humano vi caloris naturalis expressum. Confirmat hæc assertio disertis verbis Innocentii IV, quibus Morosienſi (b) Episcopo respondens: *Postulasti* (inquit) *vtrum paruuli sint pro Christiani*

b Refertur De bapti. &

stianis habendi, quos in articulo mortis constitutos propter aquæ penuriam & absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac pectus, ac inter scapulas pro baptismo saliuæ conspersione liniuit? Respondemus, quod cum in baptismo duo semper videlicet verbum & elementum necessario requirantur, iuxta quod de verbo Veritas ait: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, & baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Eademq; dicit de elemento:* Nisi quis renatꝰ fuerit ex aqua & Spiritu sancto non introibit in regnum cœlorum: *dubitare non debes illos verum non habere baptismum, in quibus non solum vtrumque prædictorum, sed etiam alterum est omissum.*

eius effectu c. non vt apponeres.

Matth. 28.

Dices: Quid si quis baptizet quempiam lachrymis?

℟. Idem erit iudicium acsi saliua baptizet, propter eandem omnino rationem.

):(

QVÆSTIO XVII.

Quid de illorum, qui vel ex ignorantia veræ formæ baptismi, vel nimio timore contagij præcipitanter baptisant in nomine Dei, vel Christi, vel Ss. Trinitatis.

Quæstionis explicatio.

MAgna est vulgi mysteriorum nostræ fidei ignoratio, vt pauci sint, qui si eos roges, quæ sit baptizandi formula, illa disertis verbis, sicut scire necessum est, exprimere possint: quotusquisq; enim est, q̃ existimet, deberi in ea explicite recẽseri nomina Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S: quod tamen necessum esse cõiter oẽs Theologi sentiunt, ex illis verbis (*a*) Christi: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Illud a. *in nomine*, non tantũ significat baptismũ dandũ in virtute aut fide Trinitatis, q̃ quibusdam videri posset, sed etiã baptismum dandum esse nominando, & voce inuocãdo Patrem & Filium & Spiritũ sanctum; quoniã eo loco intendebat Christus docere nonsolum p̃ceptum, sed etiam modum & ritum baptizandi, vt docent plerique omnes Patres (*b*) & Ecclesia semper intellexit: Quapropter merito quæritur, quid sentiendũ de

a *Matth. 28.*

b *Leo Papa ep. 4 c 5. Athan. serm. 3 cont. Arian. Chrys. hom. 16. in epistol. ad Romanos.*

de modis baptizandi, quibus expressa Trinitatis mentio ꝑtermittatur.

Responsio.

PRimo, hi duo modi baptizandi: baptizo te in nomine Dei vel SS. Trinitatis, non exprimendo nomina Patris & Filii & Spiritus sancti, sunt reprobandi tanq̃ nulli & falsi, vtpote quibus ne dubius quidē fiat baptismus: Et consequenter si qui illis modis baptizati reperiantur, non sub conditione, sed simpliciter & absolute rebaptizari debent: Est communis assertio Theologorum. Ratio eorum est, quia in baptismo fit ꝓfessio fidei, idcirco enim à Patrib. (*a*) baptismus vocatur sacramentū fidei: sed in lege euāgelica explicite fides Trinitatis Patris & Filii & Spiritus S. est ad salutem necessaria: Oportet ergo, vt in eo fiat expressa professio Trinitatis, quæ est primariū obiectum & fundamentum totius fidei, necnon principalis causa tam ipsius baptismi, q̃ omniū mysteriorū nouæ legis; hæc autē professio non reperitur, quādo baptismus datur in nomine Dei, qa sicut fides de Deo absolute & simplr̃ nō est fides explicita Trinitatis; ita ꝓfessio Dei absoluta nō est ꝓfessio Trinitatis explicita, ꝓut ad baptismum est necessaria: Et idē dicendum, dum baptis-

(*a*) *Innoc. in c. Debitum, de baptismo, & Augustin. epist. 103.*

mus datur in nomine Trinitatis, non exprimendo diserte Patrem & Filium, & spiritum sanctum, quia sicut fides Trinitatis simpliciter non est fides explicita Patris & Filii & Spiritus sancti: ita professio absoluta Trinitatis, non est professio Trinitatis explicita. II. Modus baptizandi in nomine Christi ordinarie reprobari debet, quia dubius est, sunt enim vtrinq; & pro valore & contra valorem illius rationes probabiles: Itaque si quis forte hoc pacto baptizatus fuerit, rebaptizari debebit, non simpliciter sed sub conditione.

Dices: Quid si quis baptizando exprimat quidē nomina Trinitatis, Patris & Filii & Spr̄s sancti sed loco illius, *in nomine*, dicat in virtute?

℟. Peccabit grauiter: quāuis enim forma illa videatur valida, puta, quia res significata per illa duo vocabula, *in nomine*, & *in virtute*, videtur esse eadē, tamen non caret dubitatione, quia illæ voces nō sint omnino synonimæ; nam illud, *in nomine*, plus cōplecti videt, q̄ si dicas, *in virtute*, hoc n. totum illa voce cōprehenditur, & p̄terea inuocatio, & p̄fessio fidei vnius Dei atq; Trinitatis, vt ante obiter diximus. Itaq; si quis hoc pacto baptizat? fuisset, deberet rebaptizari sub cōditione. Ex quib. omnib. non obscu-

obscure colligunt pastores magna cura & sollicitudine hoc apud populum suum agendum, vt singuli, quoad fieri potest, intelligãt necessitatem non solum baptismi, sed & cognitionis istius formæ, & singulorum verborum eiusdem: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

QVÆSTIO XVIII.

Quid de illorum, qui mortuum iam infantem baptizant trina aspersione, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, *faciendo vnam aspersionem*, & Filii, *faciendo secundam*, & Spiritus S. *faciendo tertiam*?

Quæstionis explicatio.

NOn quærimus hic quibus modis debeat fieri ablutio baptismi, an per immersionem, an per aspersionem, an per vnam, an per trinam siue immersionem, siue aspersionem: hæc ex professo disputantur à Theologis apud D. Thomam in Summa, vbi omnes docent indifferenter fieri posse ablutionem baptismi, & ab Ecclesia aliqñ vno modo, aliquando altero, pro ratione diuersa temporum, locorũ & aliarum circumstantiarum vsitatam fuisse, vt patet ex B. (a) Gregorio & aliis. Sed particulatim

(a) *lib. 1. Epistolar. epistol. 41. & Conc. Toletan. 4. can. 5.*

quæritur, quid cẽsendum de modo baptizandi cum trina aſperſione in diœceſi Leodien. paſſim vſitato, quando infantes peſte infecti videntur animam agere?

Reſponſio.

NEutiquam illo caſu ſeruandus eſt, ſed paſtores in huiuſmodi periculo baptizabũt vnica aſperſione, cum qua totam formam ſtatim abſoluent, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* priore enim modo paſtor exponit puerum duplici eoq; grauiſſimo periculo, 1. æternæ damnationis, ſi videlicet puer moriatur in prima vel ſecunda aſperſione, ſiquidem cũ ad ſingulas aſperſiones non proferunt niſi vnam perſonam Trinitatis, puta, ad primã Patris, & ad ſecundam, Filii, ſi interea temporis infans moriatur, moritur ſine baptiſmo, vt ex dictis ſuperiore quæſtione patet. Altero, mortis corporalis, vel ſaltem accelerationis illius: cum enim infans peſte infectus ſit tenerrimus, & cuiuis minimæ læſioni obnoxius, vix eſt vt poſſint paſtores toties in caput illius aquam infundere abſque aliqua etiam notabili læſione.

Dices: Quid ſi per trinam moderatam, eamq; paruam, at magna cum cautione adhibitam aſperſionem mors nonnihil acceleretur, erit quoque paſtor irregularis?

Rſ. Eſt

R. Est casus rarus; demus ita contingere: dico tunc fore irregularem, etiamsi tantum venialis esset aspersio, vt ante ex Paludano contra Sotum ostendimus.

QVÆSTIO XIX.

Quid de illorum, qui à longè positi, puta, in ostio domus, vel fenestra, infantem in lecto vel brachiis matris constitutum aspergunt aqua cum recitatione debitæ formæ?

Quæstionis explicatio.

HActenus reprobauimus aliquot baptizandi modos, qui visi sunt peccare contra substantialia baptismi, puta, contra materiam, defectu aquę naturalis certę; vel contra formam, defectu formæ certę & ab ecclesia vsitatæ: Nunc de modis quibusdam baptizandi quæremus, qui peccare videtur contra applicationem debitam vel formæ, hoc est prolationis verborum, vel ipsius aspersionis aquæ, vel vtriusque simul, & quasdam baptismi cæremonias. Et primum quęritur, an hic modus ministrandi probandus sit, quo quis, ad vitandũ contagionis periculum baptizat aspergendo puerũ ex fenestra, vel ex ostio, vel remotioręaliquo loco cũ debitæ formæ plationę?

Responsio,

Responsio.

ETsi hic modus, speculatiue disputando, videatur posse defendi; tamen loquendo practicè & moraliter non videtur probandus & vsitandus, nisi in casu extremæ necessitatis quo aliter non esset accessus ad puerum. Tres sunt huius assertionis partes: Ratio primæ est, quia in actis (*a*) Apostolorum legimus, Apostolos multa hominum millia vna die baptizasse, quod vix fieri poterat, nisi per aspersionem ex loco distante: Et in libris (*b*) Numerorũ, aqua purificationis, per quam aqua baptismi significabatur, aqua aspersionis dicitur. Ratio secundæ est, quia hoc pacto baptizando, præsertim cum animi perturbatione & trepidatione, quæ ferè coniuncta est cum ministratione peste infectorum, facile accidet vt corpus infantis aqua non tangatur, quod tamen ad veritatem baptismi necessarium est: Deinde vt tangatur, fieri poterit tam exiles esse aquę guttas, vt propterea non videatur posse dici puer vere baptizatus, ideoq; merito dubitari possit, an rebaptizari debeat. Et hęc maximè vera sunt, si propius inspiciamus casum, de quo agimus, vbi puer vel non ita iacet vt decet, & oportunum est ad eum aqua aspergẽdum, vel male offertur & pręsentatur aspersioni,

a *c. 2.*

b *c. 18. & 19.*

pro

Propter infinita, quæ in illo temporis articulo accidere solent: non ergo communiter practicandus videtur hic modus tã multis periculis nullitatis, vel certe dubitationis valori ipsius baptismi obnoxius. Ratio vltimæ partis est, quia is modus baptizandi saltem est dubius, quali in necessitate, si alius accessus non sit ad infantem, licebit vti, per ea quæ iam aliquoties diximus.

Dices: Quid si pastor certo sibi persuadeat se caput pueri aqua aspergere posse, licebitne illi ad vitandum contagionis periculum vel pudorem hoc modo baptizare?

R. Licebit, quia tunc cessat periculum nullitatis baptismi, cum constet per veram aspersionem, quæ etiã ablutio censeri possit, verum conferri baptismum.

QVÆSTIO XX.

Quid de illorum, qui puerum per alium iubent aspergi aqua, ipsi vero longius constituti sacramentalia verba pronuntiant?

Quæstionis explicatio.

SCholastici Doctores apud Magistrum sententiarum disputant ex professo, an possit baptismus ita à duobus conferri, vt alter abluat, alter vero proferat formam, in

quo

quo varie sentiunt: Marsilius (*a*) & Caietanus in eam partem inclinant, quæ affirmat huiusmodi baptismum validum esse, nihilominus communis aliorum sententia est, baptismum hoc modo collatum non esse verum sacramentum: Ita enim sentiunt D. (*b*) Thom. in Suma, (*c*) Alexander, (*d*) Alensis, (*e*) Bonauentura, (*f*) Scotus, (*g*) Gabriel, (*h*) Richardus, (*i*) Paludanus, (*k*) Sotus: Huius disputationis occasione quæritur, an hic modus baptizandi probari possit & tolerari, quo ad euitandam contagionem sacerdos ab ægro remotus profert formam, & alius, puta, chirurgus ægroto assistens, aqua puerum tangit vel aspergit?

Responsio.

NOn est probandus neque tolerandus, nisi vrgente necessitate, qualiter baptismus non possit conferri. Ratio prioris partis est, quia non licet ordinarie pastori, neglecto certo baptismo vsurpare incertum & dubium, pastor autem hoc modo baptizando eligit baptismum dubium, quamuis enim nonnulli Doctores etiam probabilibus rationibus adducti, putent huiusmodi baptismum esse validum, plures tamē, iliq; grauiores docent, baptismum hoc modo celebratum nullum esse: Et quamuis dubiū non sit, quin Christus potuerit vno aut altero

a in 4. q. 4. art. 3. dub. 11.

b p. 3. q. 67. a. 6.

c p. 4. q. 16. memb. 6.

d In 4. dist. 5. a. 1. q. 1.

e in 4. dist. 6. q. 2.

f ibid q. 1.

g dist. 3. ar. 4.

h ib. q. 2. ar. 2

i in 4 dist. 4. art. 4.

ero modo instituere sacramentum baptismi; tamen probabilius longe est q̃ Christus hoc posteriori modo instituerit, quod etsi neq; ratione neq; scriptura, neq; aliqua ecclesię traditione sufficiẽter conuinci possit, tamen *vniuersalis ecclesiæ vsus, optimus legum interpres*, est talis, nec vnquam visum vel auditum est in ecclesia, quod baptismus aliter fuerit administratus, quã ab vno eodemq; abluente & proferẽte formam, & hoc sensu semper fuerunt intellecta verba Christi; *baptizantes eos in nomine Patris &c.* quod scilicet qui baptizat, id faciat inuocando Trinitatem super actionem suam. Adde fuisse conueniẽs spiritualem regenerationem ab vna tantum persona perfici, vt in hoc etiam esset diuersa à generatione carnali, & quodammodo similior spirituali Dei generationi, sicut etiam cõueniens fuit ad euitanda incommoda & occasiones illudendi sacramento partiẽdo seu diuidendo inter se illud ministeriũ; vt non immerito liber Officialis (*a*) diœces. Treueren. notauerit semper vnum tm̃ esse ministrũ in baptismo adhibendũ. Ratio alterius partis est, quia põt occurrere casus, quo pastor non possit abluere, possit autẽ formam proferre, puta, si nullus sit accessus ad puerũ, quia ædes infectę sunt à Magistratu occlusæ, neq; permittit

(*a*) *pag 41.*

tit acceſſum, quamuis iniuſte, vel ſi ipſe truncatus ſit manibus,& alter qui adeſt,nõ poſſit formam proferre, illo caſu extremæ neceſſitatis licebit iuxta alteram ſentẽtiam hoc modo conferre baptiſmum, quia melius eſt in tali extrema neceſſitate accipere baptiſmum dubium, & aliquo modo probabilem quam nullum: Erit tamen ille baptiſmus ſub conditione iterandus, ſi poſtea occurreret oportunitas recipiendi indubitatum ſacramentum ab vno & eodem miniſtro.

Dices: Iure(a) Canonico ordo datus ab Epiſcopo &preſbytero ſimul,Epiſcopo videlicet imponente manus, preſbytero autem benedicente ſeu proferente formam irritus eſſe declaratur: ergo nulli licebit hoc modo baptizare, vt vnus abluat, alter vero formam proferat.

a *diſt. 23. c. Quorundã, & c. Subdiaconus.*

R. Negando conſequentiam:non enim ſimilis eſt caſus ei,de quo agimus, quia in ſacramento ordinis conferendo, preſbyter non poteſt eſſe miniſter, & ideo cum Epiſcopo non poteſt componere vnum miniſtrum, & ex hoc ſolo capite euidens eſt, illam ordinationem fuiſſe irritam & nullam, in noſtro autem caſu quælibet perſona concurrens poſſet eſſe ſufficiens miniſter ſacramenti baptiſmi.

QVÆ-

QVÆSTIO XXI.

Quid de illorum qui simul non adhibent materiam & formam, sed prius vnam, & postea alteram?

Quæstionis explicatio.

D(a) Augustinus satis apertè requirit, vt materia & forma simul adhibeãtur in baptismo: dicit enim: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, detrahe verbum & quid est aqua nisi aqua?* Verbum enim (*detrahe*) significat potentem adhæsionem & coniunctionem formæ cum materia, quæ si desinat esse, aqua manebit nudum elementum sine sacramento: Verum quia in baptizandis paruulis peste infectis accidere potest, vt non possit seruari illa vnio & coniunctio, sed variis ex causis vel materia formam, vel forma materiam præcedat, quæritur quid dicendum de modo baptizandi illorum, qui indifferenter baptizant, vno modo vel altero?

(a) *tract. 80. in c. 15. Ioannis.*

Responsio.

IMprobandus est & hic modus, si voluntarie vsurpetur: Verumtamen si necessitas cogat fieri aliquam disiunctionem, non propterea erit baptismus omittendus, quia (vtiam diximus) Doctores requirunt vnionem

nem materiæ & formę, non ergo debet pastor sine causa & voluntarie illas separare; sed quantum in se est illas coniungere: Nihilominus si graui aliqua superueniente causa, puta, periculo mortis infantis, ego proferam verba expectans aquam, & aqua non adsit ante finem prolationis formæ, sed statim sequatur & infundatur capiti pueri, erit baptismus: Similiter (a) si aquam cœpi infundere capiti, & interim ab aliquo interpellor, nec possum proferre formam ante finem infusionis, sed statim postea profero, erit quoque baptismus; alioqui si maior vnio & coniunctio requiratur, exponentur maximo periculo ministri & baptizandi, qui fere poterunt dubitare de baptismo vel ministrato vel suscepto, si forsan non fuerit illa materiæ & formæ coniunctio, quæ requisita fuerit: Vnde prudenter Sotus (b) notauit, Apostolos cum vna die circiter tria millia baptizarent, vt habetur in (c) actis Apostolorum, non tam metaphysice attendisse vt materia coexisteret formæ, sed moraliter vtrumque fecisse. Ex quibus merito damnantur illi, de quibus (d) glossa tacitis nominibus facit mentionem, qui ad veritatem baptismi requisierunt, vt mathematicè in vltimo instanti prolationis verborum ipsius forma

a Emanuel Za in aphoris. baptism. num. 4.

b in 4. dist. 3. q. vnic. art. 3.

c c. 2.

d in c. dētrahe 1. q. 1.

formæ finiatur quoq; ablutio seu aspersio, quia hoc fere superat humanam facultatem & esset reuocare in dubium omnium baptismorum veritatem; eo enim modo baptizare rarissime contingit, & nunquam fere contingeret in casu de quo agimus, vbi plerumque non ita attente, sed perturbate & confuse omnia aguntur. (a) Similiter nec illi probandi videntur, qui volunt oportere saltem, vt antequam ablutio aquæ omnino absoluatur, inchoetur forma, & econuerso, vt antequam absoluatur forma, inchoetur materiæ applicatio, ita vt in aliqua sui parte concurrant & coexistant, quæcumq; illa sit: nam & in hoc modo frequens error euenire potest, nec verisimile est, Christum hoc exegisse à ministris, præsertim in sacramento tantæ necessitatis.

a *Scotus in 4. dist. 6. Caiet. tom. 1. opusc. 26.*

Dices: Si ablutio aquæ præcedat prolationem formæ: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, forma erit falsa, quia reuera non baptizat, præcessit enim ablutio, ergo nullo casu licebit eo modo baptizare, quia nullo casu licet ministrare fictum & falsum baptismum. Est argumentum à (b) Valentia, quo putat inferri, ꝙ etsi prolatio formæ possit præcedere ablutionẽ

b *3. p. disp. 4. q. 1. punct. 4. §. obseruandum est.*

aquæ, non posse tamen ablutionem aquæ præcedere prolationem formæ, quia videlicet veritas formæ saluari potest quando forma præcedit, non autem quando illa sequitur, v. g. inquit, si quis dicat: Ego bibo tibi, & statim post bibat, etsi physice prolatio verborum ipsam bibitionē præcedat, tamen moraliter vtrumque considerando sunt simul, & dicitur vera esse propositio, si tamen contra bibitio præcedat, & postea dicat: Ego bibo tibi, propositio erit falsa, etiam moraliter loquendo.

R. Siue vnum siue alterum præcedat & sequatur, modo non fiat magna interruptio, erit verus baptismus. Et ad simile quod adfert à Valentia dico, sensum formarum sacramentalium non esse colligendum ex sensu, quem vulgus affingit suis locutionibus prophanis, sed ex sensu quem licet colligere vel ex ipsa sacra Scriptura, vel ex sanctis Patribus, vel ex traditione Ecclesiæ, vel ex ipso vsu & praxi Ecclesiastica: patet autem ex actis Apostolorum, & ex vsu aliorum sacramennorum, alium sensum posse colligi.

QVÆ-

QVÆSTIO XXII.

Quid de illorum qui baptizant cum aqua non consecrata?

Quæstionis explicatio.

COnsecrationis fontis siue aquæ baptismalis magna est antiquitas, & præstantia, vt videre est apud veteres Ecclesiæ Patres. Sanctus(*a*) Basilius dicit esse Apostolicam traditionem: Sanctus(*b*) Cyprianus dicit, hanc consecrationem adhiberi, vt *aqua habeat vim regenerandi* D.(*c*) Ambrosius dicit, *aquam non sanctificare, nisi Spiritus sanctus illam consecrauerit* D.(*d*) Augustinus, *non est* (inquit) *aqua salutis, nisi Christi nomine consecrata*: Horum occasione quæritur, quid censendum sit de modo baptizandi illorum, qui aqua non consecrata vtuntur, cum possint habere consecratam?

a *lib. de Spiritu S. c. 2.*
b *Epist. 70.*
c *lib. de iis, qui mysteriis initiantur.*
d *lib de vtil. pœniten. c. 1.*

Responsio.

NEque tolerandus est hic modus, nisi necessitas salutis proximi ita postulet, si nimirum periculum est ne desit, vel serius adferatur aqua consecrata. Prior pars patet ex antedictis, quibus tanta illius consecrationis aquæ antiquitas simul & præstantia ostenditur, vt non immerito quis dubitare posset, an illa ad essentiam baptismi pertineat, nisi essentialia illius per sacram

scripturam & ecclesiæ definitionem reuelata essent: Posterior quoque, quia in huiusmodi necessitate, ne paruulus periculo æternæ damnationis exponatur, potest & debebit baptizari cum solis essentialibus.

Dices: Quid ergo sibi volunt Patres supra citati, cum dicunt: *aquam non sanctificare, nisi Spiritus sanctus illam consecranerit*, & similia?

R. Hæc verba Patrum sanè interpretanda esse: non enim verisimile est eos credidisse hanc accidentalem sanctificationem aquæ esse de necessitate baptismi, sed eam tantum quę fit per sacramentalem vsum & coniunctionem formæ sacramentalis, cum aqua, iuxta illud celebratum D. (a) Augustini: *quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?* Quia autem ipsa substantialis consecratio per illam cæremonialem significatur, ideo indistincte de consecratione aquæ loquentes dicunt aquam non sanctificare, nisi fuerit à Spiritu sancto consecrata: Deinde iudicant ex vsu ecclesiæ hanc consuetudinem fuisse necessariam, saltem necessitate præcepti.

(a) *tract. 80. in 15. c. Ioan. & serm. de Cataclysmo c. 3.*

Dices 2. Si sacerdos non habet otium recurrendi ad ecclesiam, vt habeat aquam consecratam, sit vero otium aliquod ad aquam

quam consecrandam, tenebiturne etiam in priuatis ædib. aquam consecrare ad baptizandum?

℟. Parochiale (a) Leodiense formulam consecrationis aquæ pastoribus præscribit, quam sequi debent in articulo mortis, sed non respexit ad articulum mortis paruulorum peste infectorum, de quo nũc agimus: quare non existimo pastorẽ teneri præmittere baptismo talem consecrationem nisi probabiliter constaret infantem esse extra periculum mortis, & pastorem extra periculum contagionis, quod in casu pestis non est morale.

a *De baptismo in breui ritu baptizãdi infantem in periculo mortis*

QVÆSTIO XXIII.

Quid de illorum, qui baptizant sine signo crucis?

Quæstionis explicatio.

VIdebatur huic quęstioni satisfactum, cũ in genere disputando ostendimus sacrta sine signo crucis administrata, siue in necessitate, siue extra illã subsistere; tñ quia legimus non deesse, qui post Thesaurũ sacerdotalem supra citatũ docent, baptismũ, quicquid sit de aliis sacramentis, non posse fieri sine signo sanctæ crucis, inter quos est qdam Claud. Taurinens. (vt refert à (b) Valentia) non immerito hæc quæstio mouetur, an modus ministrandi baptismum sine signo crucis sit reprobandus?

b *Valent. in 3. p. D. Tho. disp. 4. q. 2. puncto 4.*

Responsio.

Hic modus ministrandi, quamuis simpliciter reprobari non possit (ministratur enim hoc pacto verus baptismus) vix tamē tolerari posse videtur. Prioris partis ratio est, quia quicquid ante allegati dicant, communis est omnium Theologorū sententia apud (*a*) Magistrum sententiarū, & D. (*b*) Thomam, signū crucis ad substantiam sacramenti baptismi non pertinere, sunt n. secundum illos tantum tria de substantia, elementum, verbum, & minister, vt ex verbis Pontificis superius allegatis constat. Posterioris, quia vix fingi potest casus, neque periculum tam vrgens, quin tantillum saltem temporis permittet, quo liceat vel solum signum crucis facere, quod fit leuissimo & citissimo digitorum motu.

a *In 4. dist. 1. litera A.*
b *3. p. q. 66.*

Dices 1. Non (*c*) solum Stephanus Pontifex, sed & multi veteres patres dicunt baptismum perfici signo crucis, & speciatim D. (*d*) Augustinus his verbis: *Signo crucis consecratur vnda baptismatis.*

c *De consec. dist. 5. c. Nunquid.*
d *lib. 6. cont. Iulianum.*

R. Patres, & D. Augustinum recensere morem quo suo tempore solebat conferri baptisma, cum frequenti crucis consignatione, sicut & hodie fieri solet, non autem dicere & asserere signum crucis pertinere ad essentiā baptismi, quæ lōge sunt diuersa.

Dices

Dices secundò: Quid significat illa frequens crucis consignatio in hoc & aliis sacramentis?

R. Nihil aliud, quam sacramenta omnẽ virtutem suam & efficaciam accipere à passione & cruce Christi Redemptoris.

QVÆSTIO XXIV.

Quid de illorum, qui non tantum Catechismum & Exorcismum, sed etiam vnctionẽ chrismatis omittunt.

Quæstionis explicatio.

NOta inprimis, vnctionem chrismatis quæ fit in baptismo, valde esse diuersam ab illa quæ fit in Confirmatione: Nam illa prior est cæremonialis, & fit in vertice: posterior fit in fronte, & est substãtialis, vtpote materia sacramenti Confirmationis. Deinde illa fit à simplici sacerdote, hæc ab Episcopo.

Secundò nota, cæremoniam esse antiquissimam, vt constat ex veteribus Patrib. (*a*) Tertulliano, (*b*) Basilio, (*c*) Nazianzeno, (*d*) Augustino, qui asserunt, non licere Presbiteris sine chrismate baptizare, vsque adeo, vt non desint, qui docuerunt, huiusmodi vnctionem esse substantialem, nec

a *l. de bapt. cap. 7.*
b *l. de Spirit. sanct. c. 27.*
c *Orat. 6. de bapt.*
d *l. 15. de Trinitat. c. 26.*

sine ea baptismum perfici posse, inter quos fuerunt Armenii, vt testatur Alphonsus (a) à Castro in Sum̃a de hæresib⁹, & hodie in more est apud Gallos, si quando sibi dira p̃cari velint, non solũ renegare (vt loquunt) baptismum suum, sed etiam chrisma, quasi baptism⁹ nihil esset sine chrismate: & sunt hodie in vulgo, qui existimant, ideo quosdam fieri maleficos & sagas, & manere sub potestate diaboli, quia vel omnino non fuerunt, vel saltem non decenter nec sufficiẽter vncti chrismate, quod non omnino careret fundamento, vt statim obiter ostendemus: Horũ occasione quæritur, q̃d iudicãdum sit de modo baptizãdi illorũ, q̃ in casu de quo disputamus, omittunt chrismatis vnctionem.

(a) verbo Baptismus.

Responsio.

TOlerandus est in casu extremæ necessitatis, cum mors videlicet infantis instat, alioquin si supuiuat, liniri debet quãprimum chrismate in vertice, nisi magnum vitæ ipsius baptizantis immineat periculũ: Prior pars manifesta est, quia sine eiusmodi vnctione consistit tota baptismi ratio: ergo debet hic modus in casu præsenti tolerari. Et confirmatur grauissima authoritate D. (b) Clementis, qui in libris Constitutionũ Apostolicarũ, loquens de baptismo sic ait:

(b) lib. 7. c. 23.

Si non

Si non fuerit oleum neq; vnguentum chrismatis, satis est aqua. Posterior patet ex iis, q̃ hactenus de chrismatis ipsius antiquo vsu diximus, quam explicat D. Thomas (*a*) cum dicit, *vnctionem quæ fit in vertice infantis, operari conseruationem gratiæ baptismalis.*

a 3. p. 4. 7. a. 3.

Dixi (*nisi magnum vitæ baptizantis immineat periculum*) quia cum chrisma non sit quid substantiale baptismi, sed tantum accidentarium, non tenetur baptizatus illud adhibere cum periculo vitæ, vt aliâs in similib⁹ à nobis ostensum est.

Dices: Verumnè est quod dictum est ex D. Thoma, *vnctionem chrismatis in vertice operari conseruationem gratiæ baptismalis*?

℟. Verum est secũdum omnes, sed non eodem modo ab omnibus intelligit & explicatur. Caietanus apud eundem Thomã ait posse dupliciter intelligi, vel per remotionẽ impedimenti tentãtis Dæmonis, vel p excitationem alicuius boni motus: sed hoc breuiter nimis & obscure dictum videtur. Zuares (*b*) paulò apertius apud eundem dicit sic intelligi posse, vt sicut Ecclesia per sacramentalia impetrat à Deo potestatem coercendi Dæmones: ita etiam per applicationem chrismatis impetret bonum animæ motum, ad resistendum illis, & ad gratiam baptismalem conseruandam

b *Sup. apud D. Thom.*

dam, qui motus vel ſtatim detur, ſi homo fuerit capax & indigeat, vel poſtea tempore oportuno, quod vulgi opinioni ſupradictæ ſatis conforme eſt.

Dices 2. Quomodo fit hæc vnctio?

℟. Docet Parochiale (*a*) Leodienſe: *Si infans* (inquit) *adhuc reſpirat, accepto chriſmate dicat: Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quiq; dedit tibi remiſſionem peccatorũ tuorum ipſe te liniat chriſmate ſalutis* (tangendo chriſmate verticem per modum crucis) *in vitam æternam.*

a in breui ritu baptizãdi, pag. 23.

Dices 3. Eſt neceſſe adhibere vnctioni chriſmatis orationem?

℟. Videtur neceſſe, quia vnctio illa non habet vim ex opere operato, ſicut ſacramẽtum, ſed ex opere operantis, i. e. orationis ipſius miniſtri, & præſertim Eccleſiæ: non propterea tamen neceſſum eſt baptizanti recitare ad longum orationem à Parachiali præſcriptam, ſed poterit, ſi periculum cõtagionis immineat, tribus verbis orare, dicendo: *Deus te liniat chriſmate in vitam æternã*: vel ſimilibus.

Dices poſtremo: Indifferensnè eſt, quali chriſmate vngat infantẽ, veteri videlicet an nouo, huius ſcilicet anni.

℟. Ordinarie non eſt indifferens, ſed debet

bet fieri nouo: In casu vero de quo nunc agimus, erit indifferens, si nouũ haberi non possit: Sic enim in concilio Lugdunensi legimus (a). *Si quis de alio chrismate, quam de illo nouo, quod proprij Episcopi largitione vel concessione acceperit baptizare, nisi præoccupãte morte tentauerit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.* Hic enim expresse casus præsens excipitur.

a *Refertur de consecrat. dist 4. c. Si quis de alio.*

QVÆSTIO XXV.

Quibus modis, vt frequẽtius peccari contingit circa baptismum infantiũ tempore pestis.

Quæstionis explicatio.

HÆc quæstio postremo loco mouetur vt sumatim ob oculos ponamus peccata, quæ contingũt vel contingere pñt circa administrationẽ baptismi tẽpore pestis: Possunt vero ad tria capita reuocari, sicuti etiam omnes quæstiones ad illa eadem reuocamus: ducunt enim originẽ vel ex parte ministrantiũ, vel ex parte susciepientium, vel ex parte modi ministrandi ipsum baptismi sacramentum.

Responsio.

Inprimis peccat pastor qui non ministrat, vel et-

vel etiam negat esse ministrandum baptismum paruulis peste infectis.

2. Obstetrices, quæ vel negligunt baptizare prolem quam vident de vita periclitari, vel quæ nesciunt formam baptismi, vel ignorant, quomodo & quando illam recitare debeant, vel quæ monitæ illam nolùt discere.

3. Peccãt pater & mater, qui reliquis deficientibus, cùm possint & sciant baptizare puerum suum in huiusmodi casu non baptizant.

4. Item, qui nescientes baptizare, non procurant aliquem qui sciat, vel etiam deficientibus catholicis, hæreticum siue quécunque alium ab Ecclesia præcisum, etiam oblata pró baptismo obtinendo pecunia, si aliter baptismus haberi non possit.

5. Pastor qui non inquirit de baptizandis, & rogatus baptizare non baptizat.

6. Et qui negligit baptizare pueros, qui retinentur adhuc pro toto vel patre in vtero matris, cum illos baptizare possint.

7. Et qui baptizare negligit vel non vult quia infantis sexum non potest discernere.

8. Et ille qui non baptizat, veritus ne aqua puerum occidat, aut illius mortem acceleret, cùm sine notabili læsione baptizare possit.

8. Et

9. Et qui pluribus baptismum petentibus puerum sanum cum solemnitate baptizat,& peste infectos negligit vel postponit, cum periculo mortis temporariæ & æternæ.

10. Et qui baptizat in materia dubia puta in iure carnium,in lixiuio,in cereuisia,in sputo, & similibus, cum possit habere certam.

11. Et qui baptizant in nomine Dei tantum, vel Christi, vel Sſ. Trinitatis, non exprimendo distincta nomina diuersarū personarum,Patris & Filii & Spiritus sancti.

12. Et qui infantem animam agentē baptizat ter aspergendo, dicēdo ad primam aspersionem: *Baptizo te in nomine Dei Patris*, ad secundam, *& Filij*, ad tertiam, *& Spiritus sancti*,cum possit vnica aspersione baptizare, & totam formam eodem tempore simul recitare.

13.Et qui ex ostio domus vel fenestra leuiter aspergit puerum aqua,cum recitatione debitæ formæ, cùm possit illū certe debite aspergere.

14. Et qui per se verba sacramentalia pronunciat, & per alium puerum aqua aspergit.

15. Et qui peste infectum baptizat sine signo crucis, cùm facile adhibere possit.

16. Et

16. Et qui baptizat in aqua non consecrata, cum possit habere consecratam.

Postremo. Qui baptizat sine chrismate, cùm possit absq; magno periculo illud adhibere: Rationes harum omnium assertionum facile cuiuis erit colligere ex præcedentium quæstionum resolutionibus.

Estnè semper peccatum mortale, omittere vel male ministrare sacramentum baptismi?

℟. Ordinarie esse mortale: vel enim reducitur ad peccatum homicidii, vel sacrilegii, quæ genere suo mortalia sunt, quamuis peccatum contra illius cęremonias possit fieri veniale, propter paruitatem materiæ, vt fere fit in omni genere peccatorum: vel nullũ in necessitate.

Et hæc satis de secundo capite.

CAP.

CAPVT TERTIVM.

DE NECESSITATE ET MODO ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ tempore pestis.

QVÆSTIO I.

Virum pastores teneantur ministrare sacramentum pœnitentiæ tempore pestis, etiam cum periculo vitæ.

Quæstionis explicatio.

PRæcedenti capite docuimus pastores tempore pestis teneri ministrare sacramentum baptismi, etiam cum periculo vitæ: Sequitur vt idem ostendamus de sacramento Pœnitentiæ: In quo aliquanto maior est difficultas, quia hoc sacramẽtum non est tam necessarium, quã est Baptismus: Itaq; secundũ quosdam etsi aliquib⁹ possit videri necessarium, puta qui tantum sunt attriti, non idcirco tamen videtur posse dici necessarium absolute & simpliciter, quia deficiente illo quo saluari potest, virtute contritionis. Huius sententiæ videtur esse (a) Armilla, cuius hęc sunt verba: *Prælatus pro administratione sacramentorum, quæ non sunt de necessitate salutis, sic-*

(a) *verb. Episcopus, nu. 6.*

a q. 306. in c. 22. Matth. ad 8.

ut baptismus, sed sufficit præparatio animi. non tenetur se morti exponere. Et videtur eiusdem esse (a) Abulensis, ait enim: *Pastores ecclesiæ solum teneri ad exponendam vitam corporalem pro spirituali ouium, si aliter seruari non potest,* videlicet per contritionem: Horum igitur occasione quæritur, an tempore grassantis pestis teneantur pastores irregulariter etiam cum periculo vitæ corporalis, si illud aliter vitari non potest, ministrare sacramentum pœnitentiæ.

b *serm. Dominic. 4. post Penth. in 4. de fuga pestis concl. 4. corol. 1. & 2.*

c *Homil. vlt. Dominic. 2. post Pascha.*

d *q. quodl. 3. sub fin.*

e *In 1. Epist. ad Timoth. lib. 3. digress. c. 19.*

f *tom. 4. in 3. D. Tho. disp. 44. sect. 3.*

g *in 4. dist. q. 1.*

h *in 4. dist. 23. art. 6. §. Hic autem non præteribo.*

Responsio.

TEnentur regulariter: Ita sentiunt Gabriel (b) Biel, (c) Eckius, (d) Briardus, (e) Claudius Espenceus, (f) Zuares & alii. Pastores enim tenentur confessiones subditorum audire, quoties illi tenentur confiteri: Sed in articulo mortis, in quo versantur infecti peste, omnes ordinarie tenentur confiteri. Siquidem in eo articulo confessio sacramentalis est medium necessarium ad salutem, ex cuius videlicet carentia regulariter sequitur morale periculum æternæ damnationis, vt docet clare (g) Maior. Vsque adeo vt (h) Sotus dicat, *eum qui habita copia confessoris absque absolutione sacramentali de vita decedit, nefarium crimen committere,* ergo ordinarie per se & simpliciter obligantur

gantur pastores ad ministrandum hoc sacramentum etiam cum periculo vitæ corporalis. Neque obstat hoc sacramentum esse necessarium non absolute in re, sed in voto saltem, atque ita sufficere contritionem, quia sicut eo stante nihilominus quisque tenetur etiam re ipsa confiteri, si copiam confessarii habeat, ita quoque pastor videtur obligari ex officio, vt satisfaciat pœnitentis obligationi, quantum ex se est, eius confessionem tunc audiendo, & pœnitentiæ sacramentum impendendo.

Accedit, quod contritio in illo casu admodum difficilis sit: Et quod subditi plerique omnes exponantur magno periculo, si cum hoc solo remedio salutis relinquantur, vt ante ostendimus.

Dices: Subditi non tenentur confiteri parocho peste infecto propter periculum contagionis, vt colligi posse videtur ex iis, quæ docet (a) Sotus de iustitia & iure, ergo nec econtra tenebitur pastor sanus cum tanto periculo peste infectorum confessiones excipere, quia maior obligatio est, qua vnusquisque sibi obligatur, quam alteri: Ergo si idem non tenetur sibi subuenire cum

a *lib. 1. q. 6. art. 4. dub. vlt.*

tanto periculo multo minus tenebitur alteri.

℟. Quod assumitur non esse verum, quando subditi sunt in articulo mortis, de quo semper agimus, tunc enim deberent potius pastori infecto confiteri & accipere sacramentum cum periculo corporalis vitæ, quam se periculo æternæ mortis exponere.

QVÆSTIO II.

An possint pastores aliquo casu excusari à ministratione huius sacramenti.

Quæstionis explicatio.

SVperiore quæstione statuimus regulam generalem in fauorem animarum ordinare, videlicet per se & simpliciter obligari pastores tempore pestis ad excipiendas suorum subditorum confessiones.

Quærimus modo in fauorem parochorum, an talis sit regula, quæ patiatur exceptionem, possitque fieri, vt certo casu pastores excusentur ab administratione huius sacramenti?

Responsio.

Possunt certo casu excusari; quia præceptum

ceptum de auditione confessionum est affirmatiuum, poterunt ergo tales concurrere circumstantiæ, vt desinat obligare, hæc est enim illius præcepti natura.

Dices, Describe huiusmodi casum.

R. Verbi gratia: Si pastor moraliter certo sciret peste infectum non habere conscientiam peccati mortalis, seu esse bene dispositum ad mortem, & alioquin periculum vitæ corporalis ipsius ministrantis esset magnum & moraliter euidens, maxime si ponamus vnicum esse pastorem, vt ordinarie fit in pagis & in quibusdam oppidis, quo mortuo vel infecto, non speraretur facile prouideri posse populo de alio, illis enim circumstantiis positis, peste infectus non est in necessitate, & bonum commune cui seruatur pastor, multum præponderat priuatæ vtilitati talis peste infecti, de quo vide (a) Maiorem in 4. sententiarum.

a dist. 23. q. 2.

):(

QVÆSTIO III.

Pastoribus peste infectis vel mortuis, vel iuste vel iniuste absentibus, an teneantur & alij sacerdotes hoc sacramentum ministrare.

Quæstionis explicatio.

NOn quæritur hic, an simplices sacerdotes possint in absentia pastorum, excipere confessiones peste infectorum, eosque sacramentaliter absoluere, quia iuxta celebratam Concilii (a) Tridentini sententiam notum est, quoscunque sacerdotes quoslibet pœnitentes à censuris & peccatis quibuslibet in articulo mortis absoluere posse, sed quæritur, an pastoribus absentibus vel emortuis teneantur?

a *sess. 14. c. 7.*

Responsio.

SAcerdotes quicunque tenentur illo tempore in absentia pastorum confessiones audire. Assertionem hanc diserte verbis docent (b) Maior, & Ioannes (c) Breaert Vicecancellarius Louanensis. Et probatur

b *dist. 23 q. 1. §. 4. quæritur.*

c *Quæstion. quodl. 3. in fi.*

batur, *quia hic* (inquit Breaert) *currit casus quo tales sacerdotes obligantur ex talento clauis seu ordinis sibi credito operari.*

Dices primo: Quale peccatum est, nolle in tali casu sacramentum pœnitentiæ ministrare?

R. Est mortale, illudque grauissimum, siue in pastoribus, siue in simplicibus sacerdotibus, quod ex his (a) Celestini Pontificis verbis cognosci potest: *Agnouimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subueniri, horremus fateor tantæ impietatis aliquem inueniri.* Et post pauca: *Quid hoc rogo aliud est quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne soluta esse possit, occidere.* Et rursus: *Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegarit.*

a *Epist. ad Episcopos Galliæ.*

Neque obstat, quod Pontifex loquitur contra illos, qui diffisi de misericordia, vel de vera morientium conuersione negabant absolutionem, quia perinde est ad incurrendum hoc crimen, quacunque ex causa sacerdos pœnitenti in extremis, & absolutionem humiliter petenti, illam deneget.

Dices: Quid si dum accurrit sim-

plex sacerdos vt audiat confessionem peste infecti, pariter accurrat pastor, potest simplex sacerdos illius confessionem audire & absoluere? Zambranus (a) dicit recentiores quosdam Doctores tenere, illo casu quemlibet sacerdotem, etiamsi sit copia legitimi pastoris posse quemlibet pœnitentem absoluere, vigore Concilii Tridentini (b), sed parum probabiliter, quia Concilium Tridentinum hac in parte non condidit ius nouum, sed tantum promulgauit antiquum vsum ecclesiæ, dicit enim *In eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit*, sed vsu ecclesiæ & iure antiquo tantum conceditur simplicibus sacerdotibus potestas absoluendi ex defectu legitimi confessarii, ne moriens priuetur sacramento ad salutem necessario, vt patet ex (c) Conciliis & Pontificum decretis. Deinde optima interpretatio legis sumitur ex ratione expressa in lege, sed in dicto Concilio ratio expressa est: *ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, quod obtinetur plenissime, si simplices sacerdotes tantum absoluant defectu legitimi qui abest, vel si præsens sit non vult, vel non audet confessionem audire: si enim adsit & velit absoluere simplex, nihil omnino potest defectu

a *In decisionibus aureis, cas. con. c. 4. dub. 4. nu. 3.*

b *sess. 14. de pœnit. c. 7.*

c *Carth. 3. can. 32. & extrauag. inter cunctas, §. Incendiarios. & extr. 1. de excommunication.*

fectu iurisdictionis. Quamuis hic monendi sint sacerdotes, ne facile hinc excusationem captent non absoluendi, quod pastor non longe forte absit, & statim superuenturus sit, quia si dubites an superuenturus sit legitimꝰ confessarius, debet se inclinare in tutiorem partem, vt ægrum absoluat, ne nimium expectando æger moriatur sine sacramento, vti ex dictis huius Tractatus patet.

QVÆSTIO IV.

An peste infectus, si à Parocho & aliis simplicibus sacerdotibus deseratur, nec suæ contritioni & conscientiæ satis fidat, possit sacerdoti aliunde vocato numerare pecuniæ summam pro ministratione huius sacramenti.

Quæstionis explicatio.

DIximus superiori capite, licere numerare pecuniam pro ministratione baptismi; quæritur, an eodem modo liceat numerare ꝓ ministratione huius sacramẽti, hoc est, sacramentalis absolutionis, si nullus sit, qui absoluere velit, propter iniquũ & auarum sacerdotem, qui aduertens anxietatem peste infecti, non vult ministra-

re sacramentum, nisi numerata notabili pecuniæ summa?

Responsio.

Licet peste infecto numerare certam pecuniæ summam sacerdoti aliunde vocato, si nullus sit, qui gratis sacramentum ministrare velit, non quasi pro pretio æquivalenti ipsius sacramentalis absolutionis, sed pro redēptione vexæ & periculi, in quo considerat se constitutum, si moreretur sine reali perceptione ipsius sacramēti. Probatur iisdem argumentis, quibus ante probatum est, posse pecuniam in tali casu numerari pro habendo baptismo: si enim ille potuit excusari, qui erat in extrema necessitate baptismi, & hic poterit qui est in simili pœnitentiæ, quia, vt ponimus, non audet confidere suæ contritioni, nec potest aliter obtinere absolutionem sacerdotis.

Dices: Quid si sacerdos ita iniquus sit, vt nolit ministrare sacramentum, neq; absoluere, nisi peste infectus fateatur, se dare illam pecunię summam, veluti pretium ipsius sacramentalis absolutionis, poteritnè id facere?

℟. Non poterit, quia cum petat pecuniam in apertum contemptum religionis, nō potest ei mos geri.

Dices

Dices secundò: Si non petat in contemptum religionis, sed ex auaritia, tenebitur sic affectus illam dare?

R. Tenebitur, aliàs enim videretur pecuniam præferre suæ saluti: sed sacerdos ille præterquam quod sacrilegium grauissimum committit, teneretur ad illius restitutionem: Ita (a) Lessius.

a *De iust & iur. l. 2. c. 35. dub. 7.*

QVÆSTIO V.

An etiam possit conducere sacerdotem nominatim præcisum, hæreticum, degradatum, suspensum, interdictum vel etiam ipso iure ob manifestam Clerici percussionem excommunicatum.

Quæstionis explicatio.

SI non defuerunt, qui negarent, huiusmodi sacerdotes ne baptismum quidē qui maximę necessitatis est, ministrare posse: non mirum, si sint qui hoc ipsum de sacramēto pœnitentiæ negent, præsertim q̄ sacerdotes præcisi iurisdictione vel eius vsu qui ad hoc sacramentum plane est necessarius, careant: Horum ergo occasione q̄ritur, an peste infectus, sicut præmissum est derelictus, possit vel etiam teneatur huiusmodi aduocare, pro impetrāda absolutione, si

ne, si suæ contritioni aut conscientiæ confidere non satis audeat?

Responsio.

NNn solum potest, sed etiam per se loquendo tenetur huiusmodi sacerdotem aduocare, si alium non impeditum habere nequeat. Prior pars probat ex verbis Concilii (*a*) Tridentini, iam aliquoties allegatis, si notentur tres distributiones, scilicet, *quilibet pœnitens*, à *quibusuis peccatis*, & à *quocunq; sacerdote*: Prima enim comprehendit omnes pœnitentes etiam excommunicatos, hæreticos, sine vlla exceptione, &c. Et similiter secunda omnia peccata affecta quacunque censura sine exceptione: ergo & tertia similiter comprehendit omnes sacerdotes quacunque culpa vel censura ligatos absq; vlla exceptione. Posterior pars est (*b*) Ruardi ex D. Augustino, & probat ratione, quia infirmus diuino præcepto tenetur tunc confiteri, cui præcepto potest satisfacere aduocando saltem talem ministrum.

a *Sess. 14. c. 7.*

b *art. 3. Louan.*

Dixi (*per se loquendo*) quia, si timeat aliquod maius nocumentum, vt si probabiliter timeat peruersionis vel publici scandali periculum, poterit excusari.

Dices: In hoc sacramento maxime neces-

cessaria est iurisdictio, sed hi omnes vsu iurisdictionis carent? Ergò, &c.

R. Certum esse secundum communem huiusmodi sacerdotes in articulo mortis habere iurisdictionem : Verum quod à Doctoribus in quæstionem vocatur, est à quo habeant, an à iure diuino, sicuti quidam (a) an potius ab Ecclesia, sicuti plerique (b) omnes docent, & videtur probabilius. Si enim veniret à iure diuino, omnes sacerdotes essent pares in illo articulo, neque vnus posset priuari tali iurisdictione, etiamsi esset copia proprii sacerdotis, cui⁹ contrarium à plerisque omnibus docetur. Si enim Parochus aut alius sacerdos, non præcisus, haberi possit, certum (c) est, illos in tali casu nihil posse, etsi de facto absoluant, absolutionem non valere, vt statim diximus, & diligenter notandum est.

a *Durã. dist. 19. q. 1. ad q. Palud. dist. 20. q. 1. art 2.*

b *D. Thom. dist. 19. q. 1. & omnes in eum commẽ tantes.*

c *Cõcil. Carthag. 3. can. 32. Syluester verb. Cõfess. 1. q. 6. cas. 7. Nauar. c. 26. n. 27. Couar c. alma mater, 1. p. §. 11. n. 8. & alij.*

QVÆSTIO VI.

An etiam non approbatum ab Episcopo.

Quæstionis explicatio.

CErtum est, nullum sacerdotem posse excipere confessiones secularium, ni si vel habeat parochiale beneficium, vel aliàs approbatus sit ad sacras huiusmodi cõfessi-

fessiones audiendas: Sic enim statuit Concilium (a) Tridentinum: *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluẽdi potestatẽ accipiant, decernit tamen S. Synodus, nullum etiã regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examẽ, si illi videbitur necessarium, aut alias idoneus esse iudicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis & consuetudine quacunq; etiam immemoriali non obstantibus.* Huius occasione quæritur, quid si nullus sacerdos approbatus reperiatur, num poterit peste infectus, in huiusmodi necessitate constitutus, vocare non approbatum?

(a) Sess. 23. c. 15.

Responsio.

NOn solum poterit, sed etiam tenebitur. Ratio prioris partis est, quia in huiusmodi extremæ necessitatis articulo, vt ex eodem Concilio Tridentino ostendimus, omnis sacerdos, nullo penitus excepto, potest absoluere: ergo & non approbatus, cũ non excipiatur. Posterior probatur, quia peste infectus tenetur confiteri, & habet sacerdotem, qui illum potest absoluere, vt iam ostendimus: ergo tenetur illum interpellare, quia aliàs non satisfaceret præce-

pto

pto diuino de confitendo in huiusmodi articulo.

Dices: Approbatio de qua loquit Concilium Tridentinum non est tantum necessaria necessitate præcepti, sed etiam sacramenti, ita vt sine illa irritum prorsus & nullum sit sacramentum, vt patet ex illis verbis Concilii: *nullum posse confessiones audire, neq; ad hoc idoneum reputari*: habēt enim hęc verba in subiecta materia hunc sensum, & ita intelliguntur passim ab vniuersa Ecclesia, & Illustrissimi Cardinales de ea re per Doctores Examinatores diœcesis Leodiēs. de quorum numero tunc eram, consulti responderunt.

R. Ecclesiam potuisse huiusmodi approbationē requirere, & sine illa sacramentum irritare & annullare, quia cum potestas iurisdictionis in Ecclesia homini p hominem communicetur, puta per Summū Pontificem, Episcopum, &c, potest Ecclesia p̄scribere modum cōunicandi hanc iurisdictionem, & statuere conditionem aliquam, sine qua persona aliqua inhabilis sit ad iurisdictionem suscipiendam, nec solum potuisse facere, sed etiam iustissimis de causis fecisse ad vitanda plurima incommoda, quæ quotidie contingebant ex indiscreta sacerdotum ad audiendas confessiones

siones assumptione: Verum dicimus, ecclesiam non respexisse ad articulum extremæ necessitatis, in quo versamur, vt ex ante dictis satis manifestum est.

QVÆSTIO VII.

An etiam Diaconum, Subdiaconum, tandem & Laicum?

Quæstionis explicatio.

CErta fide tenẽdum est, solos sacerdotes esse à Christo præfectos iudices in foro sacramentali, vt definitum est in Cõciliis (*a*) Constantiensi, (*b*) Florentino, & (*c*) Tridentino. Reperiuntur nihilominus quidam (*d*) Canonistæ, qui dubitant, an & hoc verum sit in casu necessitatis. Horum occasione quæritur, an in casu pestis cum nullus sacerdos haberi possit, liceat vocare Diaconum, Subdiaconum, tandem & Laicum, ministrationis huius sacramenti peritum?

a In Bulla Martini V.
b In decreto vnionis.
c Sess. 14. c. 6. & can. 10.
d Glossa & Panormi. in c. fures extra de furto.

Responsio.

DVobus modis potest fieri confessio diaconõ, subdiacono, vel laico: Vno, eadem ratione & animo, quo debet fieri sacerdoti, vt scilicet ab illis tanquam à iudicibus

cibus & ministris etiam virtute clauium rẽ missio peccatorum obtineatur. Altero, vt ipsa humilitate & erubescẽtia confessionis commoueatur flectaturque magis Dei misericordia erga peccatorem, eoque certius peccatorũ remissio, non per Diaconi, subdiaconi, vel laici aliquod ministerium, sed ab ipso solo Deo impetretur. Si loquamur de primo modo, nullo casu, ne extremæ q-dem necessitatis, licet prædictis confiteri, quin imo sacrilegium committeret tum is, qui illis confiteretur, tum illi, qui confessionem exciperent, si per potestatem clauiũ conarẽtur etiam in extrema necessitate cõstitutum absoluere, quin etiam absoluentes irregularitatem incurrerent: Siquidem iure (*a*) canonico omnes illi decernuntur irregulares, qui exercent actum proprium Ordinis, quem non habent: absolutio autem sacramentalis est actus proprius Ordinis sacerdotalis. Si sit sermo de posteriore modo, licebit subinde illorũ aliquem aduocare, nunquam tamen tenebitur sic illis confiteri.

a *Extra de Cleric. non ordin. c. si quis, & c. ex literis.*

Dices 1. Beda (*b*), Gratianus, & post illos D. Thomas dicunt in articulo mortis, si sacerdos absit, confessionem debere fieri laico: ergo magis Diacono & subdiacono.

b *Apud Magistrum in 4. dist. 17.*

℣. Illos hoc non dicere, sed morem re-

ferre, pro illorum tempore quidam vti solebant.

Dices secundò: Iure (a) canonico fur, qui in actuali furto interficitur, priuatur sepultura, si autem Presbytero vel Diacono confessus fuerit, communione non priuatur: Ergo in articulo mortis non solum licet aduocare Sacerdotem, sed etiam Diaconum? Sic colligunt Glossa & Panormitanus.

a *c. fures, extra de furtis.*

b *Supra.*

℟. Ius Canonicum illo loco non velle aliud significare, quàm furi pœnitenti, & signa contritionis ostendenti, non esse denegandam communionem: Numerantur autem specialiter Sacerdos & Diaconus, quia à sacerdote potest absolui & communicari: Diaconus autem, quamuis non possit illum sacramentaliter absoluere, potest tamen in illo articulo, vt postea ostendemus, Eucharistiæ sacramentum ministrare, aliâs certum est de fide ex supradictis per Diaconum, vel quemcunque inferiorem, sacramẽtalem absolutionem impendi non posse.

Dices tertiò: Consulendumne est peste infectis, si sacerdotes desint, vt confiteantur, siue Diaconis, siue Subdiaconis, siue Laicis?

c *Sotus supr. Medin. de cõ fes. q. 28.*

℟. Plerosque modernos (b) Doctores non

non consulere, quin imo (a) Nauarrus existimat, peccatum esse mortale, in confessione se apud laicum infamare, nisi causa grauis subsit. a c. 13. n. 4.

Dices 4. Fuitne mos confitendi posteriori modo aliquando in præcepto?

R. Secundum (b) Sotum & Medinam nunquam fuisse, & adeo sensim, non sine grauibus causis desiisse, vsque adeo, vt nullus omnino vel rarus admodum illius hodie in Ecclesia sit vsus. b Supra.

Dices postremo: Poteritne saltem diaconus in absentia sacerdotis peste infectũ ab excommunicatione absoluere?

R. Probabile est posse, quia sicuti ius concedit simplici sacerdoti absolutionem ab excommunicatione, quando ei concedit à peccatis propter extremam necessitatem morientis, vt ex Concilio Tridentino patet: ita & concedere videtur hoc casu eandem absolutionem Diacono, cui propter similem necessitatem concedit ministrationem Eucharistiæ, vt suo loco ostendemus.

QVÆSTIO VIII.

Si Laicus se Sacerdotem mentiatur, & operas suas locet Magistratui pro ministratione huius sacramenti, an valeat eius ministerium, & si non, quam pœnam incurrat?

Quæstionis explicatio.

NVper inaudiuimus ex Flandria, quosdam eò temeritatis venisse, vt cum laici essent, se sacerdotes mentirentur, siue in contemptum religionis, siue ad quęstũ, siue ob ineptam curiositatem: & ex iis alios extremo supplicio, alios exilio mulctatos fuisse. Horum occasione quæritur, si deficientibus sacerdotibus, quispiam se sacerdotem mentiatur, & confessionibus excipiendis operam suam locet, an valeat eius ministerium, & si non, quam pœnam incurrat?

Responsio.

PRimo certum est, non valere eius ministerium.

Secundo certum est, huiusmodi impostorem maximo supplicio dignum esse, propter peccatum sacrilegii, quod committit; facit enim summam iniuriam Christo Sacramen-

cramentorum auctori: deinde Ecclesiæ, ipsique confitenti, quem in re maximi momenti quantum in se est decipit.

Tertio, quicquid hactenus quidam disputarunt, certum est, huiusmodi laicum incurrere pœnam irregularitatis: Iure enim (*a*) Canonico statutum est, eum, qui non ordinatus sacramenta solemniter administrat, irregularitatem incurrere.

a *De cler. nõ ord. c. Si quis & c. ex liter.*

Dices primò: Est regula ab omnibus recepta, pœnam irregularitatis à nemine incurri, nisi exprimatur, sed rubrica seu titulus iuris canonici non loquit' de laicis, sed de clericis non ordinatis, ergo nihil tale de laicis asserendum videtur?

℟. Hoc argumentum nonnullis (*b*) dedisse occasionem docendi, nullam per huiusmodi laicũ incurri irregularitatem. Verum illo non obstante certum est, irregularitatem incurrere, quia verba rubricæ & tituli non sunt satis ad limitanda verba textus, & maxime, quia in Codice nouissimè authoritate Gregorii XIII, reformato, in margine notatur, reperta esse septẽ manuscripta exemplaria, quæ non illum titulum præferunt, sed hunc, *De non ordinato ministrante*: sub quo manifeste comprehenditur laicus.

b *Angel. verbo irregularitatis, n. 28. Rosell. eodẽ num. 2.*

Dices secundo: Capitulum in quo hęc

doctrina fundatur, non loquitur de audiente confessiones, sed de baptizante solenniter, & faciente sacrum sine debita ordinatione, ergo non incurrit ille qui hos actus non facit, cum nullam, vt ante diximus, debeamus irregularitatem agnoscere, nisi iure expressam.

R. Sufficienter exprimi, cum Capitulum in fine loquitur generaliter de exercente aliquod diuinum officium, vt enim irregularitas sit in iure fundata, non est necesse, per aliquam vocem speciatim exprimi, sed satis est, generali sermone comprehendi.

QVÆSTIO IX.

Vtrum teneantur pastores omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrare?

Quæstionis explicatio.

DIximus hactenus de iis, qui tenentur ministrare hoc sacramentum, sequitur ordine, vt dicamus, quibus peste infectis ministrari debet, multa enim circa illos accidere solent, quæ pastorem ab administratione illius excusare posse videnr, quæ

quæ propius considerata, non excusant, vt in progressu videbitur.

Responsio.

TEnentur Pastores omnibus peste infectis sibi subditis pœnitentibus hoc sacramentum ministrare, nisi tales circumstantiæ occurrant, quæ illos ab administratione excusent.

Dico primo, teneri *omnibus sibi subditis ministrare* pro regula: Ita enim communiter seruari debet, vt in prima quæstione huius capitis ostendimus.

Dico secundo, *pœnitentibus*: quia impœnitentes non sunt illius capaces, vt si qui nolint restituere, aut occasiones proximas peccatorũ deserere, aut iniuriam remittere, aut per impatientiam de Deo male sentiant, aut blasphement, aut desperent, sic vt neque contritionem neque attritionem peccatorum habeant, aut alii similes.

Dico postremo: (*nisi tales circumstantiæ concurrant, quæ pastores ab administratione excusent*) pro exceptione à regula, de qua initio huius capitis aliquid diximus.

Dices. Si quid excusare posset pastores ab administratione huius sacramenti, hoc esset certitudo, quam haberent de bono statu sui subditi, sed nulla haberi

potest, quia nec ipse scire potest, an sit in
a Eccles. 9. gratia: *Nemo* (a) *enim scit, an amore an odio dignus sit.*

℟. Ad excusationem pastorum cum reliquis circumstantiis, quas posuimus initio hui⁹ capitis, sufficere certitudinem moralē quam habere potest probus & vigilans circa gregem suum pastor.

QVÆSTIO X.

An etiam illis, qui prævi morbi confiteri non possunt, sed tantum tundunt pectus, vel similia signa pœnitentiæ præ se ferunt?

Quæstionis explicatio.

EST hic casus frequentissimus, propter infinita huius mortalis vitæ accidētia, quibus homines omni tempore subiiciuntur, sed præsertim tempore pestis, quæ morbus est acutissimus, repente omnem linguæ & reliquorum membrorum vsum eripiens: Quæritur idcirco, si pastor intelligit peste infectum sic affectum esse, vt nullo modo possit confiteri, quamuis detaliqua signa pœnitentiæ, an teneatur illum accedere, & sacramentaliter absoluere, an vero illo casu à ministratione excusetur?

Respons.

Responsio.

TEnetur accedere, & sacramentaliter absoluere sub conditione tacita vel expressa, videlicet, si hæc explicatio peccatorum est sufficiens materia pœnitentiæ: hæc assertio est D. (*a*) Thomæ, (*b*) Paludani, (*c*) Anthonini, (*d*) Ruardi, & aliorum, quæ tutior est in praxi, quam altera contraria, quæ est (*e*) Soti & (*f*) Nauarri. Ratio illorum est, quia *in necessariis ad salutem, tutior pars est sequenda*, sed sacramentum pœnitentiæ, sicut & baptismi est necessarium necessitate finis, saltem in voto, & potest morienti etiam in re esse necessarium, supposito, quod de facto habeat tantum attritionem, quæ non sufficit sine sacramẽto, quod frequentissimum est: ergo tutius est in praxi dicere pastorem teneri illo casu peste infectum sacramentaliter absoluere saltem sub conditione. Deinde: *Certiori* (g) *periculo occurrendum est*, sed periculum irreuerentiæ sacramenti, quod à Soto, Nauarro, & quibusdam aliis hic timetur, cessat tum conditione apposita, tum auctoritate Doctorum hanc sentẽtiam defendentium; periculum autem damnationis æternæ remanet si peste infectus sacramentaliter non absoluatur, & tantum attritionem habeat, vt frequentius præsumi debet, cum non ita faci-

a *Opusc. 85.*
b *dist. 21. q. 2. a. 2.*
c *3 p. tit. 10. c. 2.*
d *art. 3. contra Lutherũ.*
e *In 4. dist. 18. q. 2.*
f *In summa, c. 26. n. 27.*
g *c. iuuenis. De sponsa. & c. si quis. De pœn. dist. 7. in fine.*

le vera contritio habeatur ob Dei amorem ſuper omnia: ergo cum hoc periculum ſit certius, illi occurrere eſt tutius.

a *Seſſ. 14. de pœnit. c. 5.*

Dices: Concilium (*a*) Trident. aſſerit nō ſufficere cōfiteri peccata in genere, vt quis ſacramentaliter abſoluatur, ſed neceſſario confitenda eſſe in ſpecie, & ſigillatim; ergo excuſatur paſtor à miniſtratione in hoc caſu.

R. Concilium loqui extra caſum neceſſitatis, in qua ſufficit ſigna pœnitentiæ oſtēdere ſaltem in ordine ad confeſſionem, ſicut in eadem neceſſitate, ſecundum omnes, ſufficit vnum peccatum confiteri, ſi nō poſſit plura, etiamſi alias moriens haberet plurima adhuc confitenda, (*b*) *quia neceſſitas legem non habet.*

b *c. peruenit. De conſuet.*

Dices 2. In caſu propoſito deeſt materia proxima ſacramenti pœnitentiæ, ſ. confeſſio peccatorum, illa enim ſigna doloris nō magis manifeſtant peccatum, quam ſi non fierēt, cum etiam ſanctiſſimus vir poſſit talia ſigna doloris oſtendere.

R. Negando antecedens: nec refert etiā ſanctiſſimum poſſe facere illa ſigna contritionis, quia etiam ſanctiſſimus habet peccatum veniale, quod eſt ſufficiens materia confeſſionis, & in illa præſertim hora non fit illa doloris ſignificatio, niſi ad manife-

ſtandum

standum aliquod peccatum, quod pungat conscientiam, & cuius remedium quærat per absolutionem, vt postea fiet manifestius.

Dices tertio: Potest contingere, vt illa signa non fiant animo pœnitendi & quærendi absolutionem.

R. Ideo adhiberi conditionem in absolutione, nec casus rarissimus tollit, quin moraliter sit probabile, mediis illis signis manifestari à moriente peccata ad finem quærendi absolutionem.

Dices postremo: Non sufficit ad absolutionem sacramentalem velle quempiam confiteri, nisi actu confiteatur, & se sponte subiiciat iudicandum sacerdoti; sed illa signa generalia ad summum ostendunt eum, qui illa dat, velle confiteri: ergo non potest sacramentaliter absolui.

R. Extra articulum mortis distingui confiteri & velle confiteri: secus in illo in quo voluntas confitendi, (quando non potest melius) est vera confessio. Et confirmatur, quia licet extra articulum mortis possit distingui voluntas efficax ab executione dilata, tamen in illo, cum executio non possit differri, voluntas efficax eo ipso statim in executione ponitur.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

An etiam illis qui nullam mentionem confessionis sacerdoti faciendæ fecerunt?

Quæstionis explicatio.

PRætexere possunt quidam etiam ex hac parte excusationem, quod plerique hoc casu, etsi ostenderint signa contritionis, nullam tamen fecerint mentionem confessionis sacerdoti faciendæ. Huius occasione quæritur, an hoc prętextu pastores excusentur, an vero teneantur etiam huiusmodi absoluere sacramentaliter?

Responsio.

TEnentur absoluere sub cõditione, quia in casu extremæ necessitatis, in quo versamur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis: Et probatur primo authoritate Diui (*a*) Augustini: *Tunditur* (inquit) *pectus, vt arguatur quod latet in pectore, vt euidenti pulsu occultum castigetur peccatum:* reddit enim rationem, quare qui audiunr Cõfiteor, tundunt pectus, scilicet, vt manifestent peccatum, & sic illud castigẽt: At huiusmodi manifestatio peccati est cõfessio saltem tacita ad eius remissionem: ergo in illis signis reperitur confessio. 2. Signa contritionis manifestãt contritionem de

(*a*) *Serm. 48. de tempore, super illud confiteor tibi Pater.*

de peccato, quia aliter non essent eius signa: Ergo manifestant peccatum, vt remittatur: Contritio enim est animi dolor ac detestatio de peccato commisso. 3. Quia in illo articulo signa illa fieri non solent, nisi ad manifestationem alicuius peccati, vel peccatorum, quæ pungunt conscientiã, & quorum remedium quæritur medicina pœnitentiæ: vult enim existens in illa necessitate declarare signis illis cõtritionis, quod non potest voce, qua libenter, si posset, confessionem peteret: Nam videmus etiam maximos peccatores, si vel vnicum verbum proferre possint, ardentissime illo tempore efflagitare confessionem.

Dices: Sit ita, quod in illis signis contritionis sit inclusa aliqua peccatorum confessio, sed non propterea illa, quæ fit sacerdoti, quę sola est sacramentalis.

R. Etiam sacerdoti faciendam contineri, qui enim petit absolutionem verbis expressis, vel signis contritionis, non petit illam à laico, sed ab ecclesia & eius ministris, qui habent potestatem absoluendi, & tollẽdi peccata, atq; adeo à sacerdote; & ita idem est petere confessionem, vel absolutionem, verbis vel signis contritionis, ac dicere, aliquis sacerdos absoluat me à peccatis, quæ his verbis vel signis contritionis manife-

manifesto in genere, meliori modo, quo nunc possum.

Dices 2. Ad absolutionem sacramentalem non sufficit confiteri alicui sacerdoti in genere, sed oportet cõfiteri alicui in particulari, puta, Petro, vel Paulo: Ergo non tenetur, imò non potest pastor tali ministrare hoc sacramentum.

R. Non sufficere quidem huiusmodi confessionem extra articulũ prædictæ necessitatis, quia vt debita pœnitentia imponatur, opus est vt pœnitens omnia peccata, quorum meminit, post diligẽs examen, referat Confessario, in particulari Petro, vel Paulo, vel alteri: In articulo tamen necessitatis, qñ aliter fieri non potest, sicut satis est tm̃ in genere confiteri, vt ostendimus; ita & in genere eligere Confessarium, maxime cum contra hoc nihil sit assertum, vel à sacra Scriptura, vel à summo Pontifice, vel à Concilio generali, vel à communi Theologorum sententia.

QVÆSTIO XII.

An & illos, qui huiusmodi signa pœnitentiæ dederunt in absentia pastoris?

Quæstionis explicatio.

ORdinarie confessio fieri debet in præsentia sacerdotis; hinc quidam fortassẽ

tasse excusationis occasionē accipere possent, quod etsi peste infectus percusserit pectus, & alia signa pœnitentiæ ostenderit, non putent tamen se teneri illi beneficium absolutionis impendere, eo quod illa signa non viderint, nec præsentes fuerint, quādo illa edebat. Quæritur ergo, an hac ratione pastor excusetur, an vero etiam talibus ministrare teneatur?

Responsio.

TEnentur ministrare. Probatur primo ex verbis Leonis: *Hi* (inquit) *qui tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidiū pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda*: Et infra: *Quod si aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant testimonia ei fidelium, & circumstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Secundo, quia certum est signa contritionis ex alterius tm testimonio cognita sufficere, vt sacerdos possit sic morienti dare Eucharistiam, & extremam Vnctionem, & Baptismum secundum omnes Doctores, & (*a*) Concilia: ergo & sufficient eadem signa contritionis declarata Confessario ex testimonio alterius pro sacramento pœnitentiæ.

(*a*) *c. Maiores de baptism.*

Proba-

Probatur consequen. quia similiter debet in omnib. sacramentis ministrandis pastor examinare, & iudicare qui sint digni, vt illis ministret, & qui sint indigni, vt eos ab eorum perceptione repellat.

Dices: Potest contingere, vt infirmus pœnitens interim dum aduocatur pastor mutet voluntatem.

℟. Non obstante illo teneri pastorem ministrare. 1. quia fere est impossibile, quod assumitur, vt quis existens in articulo mortis, & desiderans cõfiteri, mutet ita cito voluntatem. 2. Quia circumstantes qui affuerunt, possunt testificari; an viderint signa mutationis voluntatis illius. Postremo, quia idem inconueniẽs potest sæpius contingere in matrimonio contracto per procuratorem, quod tamen est in vsu ecclesiæ, & est verum sacramentum etiam post Concilium Tridentinum, vt suo loco dicemus.

Dices 2. Testificans de huiusmodi pœnitentia potest pastorem fallere.

℟. Neque hoc pastorem excusare, 1. quia ratissime hoc continget, cum dictus testis nihil habeat vtilitatis temporalis propter dictum mendacium. 2. quia etiam potest mentiri interpres, quando quis confitetur per interpretem, quod ignoret linguã confessa-

confessarii: & tamen sine dubio valet illo casu cõfessio per interpretem: deniq; quia etiam ipse pœnitens in præsentia confitens potest mentiri, & de facto aliqui sæpius deprehẽduntur suis confessariis mẽtiti fuisse.

QVÆSTIO XIII.

An etiam illis, quos paulo ante Pastor audierat in confessione, & non absoluerat, si postea superueniens inuenit adhuc viuos, sed amisisse sensum?

Quæstionis explicatio.

PEste infecti vt confessionem integram & salutarem faciant, frequenter rogant pastorem, vt ad se sæpius redeat, vel quia propter corporis imbecillitatem non possunt simul integram confessionem facere, vel quia tunc non occurrunt alia peccata, cum tamen sciant esse plura, & dum redit pastor, reperit homines viuentes quidem, sed priuatos sensibus: Quæritur idcirco, quid hoc casu faciet pastor, excusaturne ab vlteriori officio, vel non?

Responsio.

TEnetur pastor tales absoluere etiam sacramentaliter, dummodo non constet eos voluntatem pœnitendi mutasse, quia imprimis ponitur dispositio sufficiens ad

ſuſcipiendam abſolutionem durare, & reperitur confeſſio non tãtum in genere, ſed etiam in ſpecie. Sed hic monendi veniunt paſtores, ne facile ab huiuſmodi infirmitate correptis recedant non impenſa abſolutione: Peſtis enim (ſicut aliquoties dixim⁹) morbus eſt acutiſſimus, qui frequẽtius hominem ſubito ex hac vita eripit: Itaq; hoc agendum eſt, vt audito aliquo, vel aliquib. peccatis, licet pœnitentes petant, vt altera die, vel alio tempore reuertantur, non ſtatim aſſentiãtur, ſed moneant illos, vt in genere ſaltem ſe accuſent de aliis peccatis quę modo non valent confiteri, & proponant ſe illa confeſſuros prima quaq; oportunitate, qua paſtores ad eos redire poterunt, quo facto confeſtim illos abſoluant, ne forſan cum periculo ſalutis ſine ſacramentali abſolutione decedant.

Dices: Tales non confeſſi ſunt integre, volebant enim & alia peccata confiteri, nõ tenentur ergo, imo non poſſunt paſtores illos abſoluere.

℟. Huiuſmodi feciſſe confeſſionem integram ſaltem formaliter, imo & materialiter, quantum ſcilicet infirmitas humana illo tempore permiſit.

QVÆ.

QVÆSTIO XIV.

An etiam pueris 12. 11. 10. 9. 8. vel 7. annorum.

Quæstionis explicatio.

DOcet experientia vitam hominum quotidie fieri breuiorẽ, accelerariq; in pueris vsum rationis, vt non immerito quidam existiment, plerosq; pueros etiam ante completum septennium eo esse rationis vsu præditos, vt peccare possint, & peccent de facto mortaliter: nihilominus tamen videmus plerosq; tum parentes, tum pastores, sub quorum cura & custodia illi sunt, ita negligẽtes, vt de eorum conscientia & salute etiam in octauo, nono, decimo, & supra annis non cogitent, nec eis sacramenta administrari curent, præsertim in articulo mortis, dum de eorum salute vel damnatione æterna agitur. Huius occasionẽ quæritur, an pastores propter puerilem ætatem excusentur ab administratione huiusmodi puerorum, an vero etiam illis cum periculo vitæ teneantur sacramentum hoc ministrare?

Responsio.

PRimo certũ est pastores non teneri ministrare hoc sacramentum pueris peste infectis, sicut nec aliis non habentib. vsum

rationis, quia non sunt illius capaces; vnde puero ante septennium non est communiter danda absolutio, quia ante illam ætatem præsumitur illo carere, sicut post completum septennium est præsumptio illius, secundum communem (a) Theologorum, & (b) Canonistarum, argumẽto sumpto ex eo, quod iure canonico assignetur septennium ad contrahenda sponsalia; quæ sine vsu rationis contrahi non possunt.

a D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. a. 2. in corpor. & ibi Dd.

b Panorm. c. omnes. de pœnit. & c. 1. de delict. puerorum, & ibi omnes.

Secundo certum est, e contra pastores teneri in quacunque ætate, qua constat puerum habere vsum rationis, præsertim si fateatur aliquod peccatum mortale, quia secundum communem tales pueri tenentur iure diuino in articulo mortis confiteri: ergo pastores tenentur illos audire, sicut & adultos, alias essent peioris conditionis q̃ illi, cum tamen æquale ius habeant ad percipienda sacramenta, vt ante ex Apostolo (c) ostendimus.

c Galat. 3.

Dices: Quid si pastor & parentes dubitent, an puer habeat vsum rationis, puta, quia est tãtum octo, vel nouem annorum, & sunt argumenta pro vtraque parte probabilia.

℟. In dubio inclinandum esse pro ministratione sacramentorum, quia *vbi agitur de periculo salutis, tutior pars est eligenda*, debebit tamen

Ex Iason. l. 1. c. de sum. Trinit. n. 56.

tamen absoluere sub conditione expressa vel tacita, si videlicet sit capax absolutionis, vt honori & reuerentiæ sacramenti consulatur, vt in similibus casibus iam aliquoties diximus.

Dices secundo: Quid si pastor & parentes probabile existiment, puerum habere vsum rationis, eritne absoluendus sub conditione?

R. Illo in casu absoluendum esse sine cõditione, quia illa certitudo (a) moralis, est sufficiens ad simpliciter ministrandum sacramentum.

a *Medin. lib. 1. Summæ, c. 12. §. 2. cas. 6. Victoria in summ. q. 139.*

Dices tertio: Quibus signis & coniecturis potest deprehendi, an puer habeat sufficientem vsum rationis ad hoc sacramentum?

R. Puerum videri habere illum secundum (b) Nauarrum, qui ob malefactum verecundatur, & bonum discernit à malo, & interrogatus, an liceat innocentem interficere, aliena inuadere, superiori maledicere, & alia huiusmodi, negatiue respondet: & interrogatus, an bonum sit esurienti panem porrigere? adire ecclesias? respondet affirmatiue.

b *c. 21. n. 33.*

QVÆSTIO XV.

An etiam illis, qui præ vi morbi in amentiam phreneſim, & furorem acti ſunt.

Quæſtionis explicatio.

POEnitentia eſt voluntaria peccatorum deteſtatio: ſuſcepturus ergo hoc ſacramentum, præter voluntatem expreſſam vel tacitam illud ſuſcipiendi, requirit inſuper peccatorum deteſtationem: quæ cum non videatur ineſſe amẽtibus, furioſis & huiuſmodi, exiſtimare poſſent aliqui, ſe idcirco excuſari ab adminiſtrando illis hoc ſacramento. Idcirco quæritur, an & illis ſit hoc ſacramentum miniſtrandum, an vero paſtores ab illius adminiſtratione excuſentur.

Reſponſio.

TEnentur miniſtrare, ſi, antequam in amentiam, aut furorem inciderent, piam erga hoc ſacramentum voluntatem cum ſignis contritionis oſtenderint. Hanc aſſertionem docent Emanuel (*a*) Za, & (*b*) Sylueſter, & probatur authoritate (*c*) Concilii Carthaginenſis. *Is qui in infirmitate* (inquit) *pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreniſim conuerſus fuerit, dent teſtimoniũ,*

a verb. abſolutio, n. 11.
b verb. Confeſſor. 3. n. 16.
c refertur, c. Is qui, 26. q. 6

qui

qui eum audierunt & accipiat pœnitentiam & si continuo sit moriturus reconcilietur per manus impositionem. Probatur quoque ratione, nam amentes potuerunt peccare mortaliter, & in amentiam incidere tantum attriti, vt primo capite diximus: Quare cum vi sacramenti fieri possit, vt fiant contriti, tenentur pastores illud eis ministrare. Dixi (*si piam erga sacramentum voluntatem cum signis contritionis ostenderint*) quia iura illa requirunt, & postulat ratio: nam in quolibet suscepturo sacramentum requiritur imprimis voluntas recipiendi illud, siue formalis, siue virtualis, siue interpretatiua: Et insuper in hoc sacramento actualis, vel saltē virtualis peccatorum detestatio, vt ante diximus.

Dices: Concilium citatum concedit illis hoc sacramentum, qui paulo antequam inciderent in amentiam, petierūt pœnitētiam: Ergo saltem nō tenebitur pastor ministrare illis, qui ante quindecim dies, vel mensem vnum, vel plures in amentiam inciderunt.

R. Negando consequentiam: nam si illa deuotio & pœnitentiæ petitio, quæ paulo ante phrenesim habita fuit, manere potuit in phreniticis ad vnum, duos, tres dies, manere quoque poterit ad plures dies, imo vero menses, quia deuotio illa non est in-

terrupta per contrarium actum, imo nec potuit interrumpi, cum (vt ponimus) continuo vsu rationis priuati fuerint.

QVÆSTIO XVI.

An etiam illis, qui scrupulis anguntur, & sæpius confiteri volunt?

Quæstionis explicatio.

PEste grassãte videre est plerosq; omnes iusto timidiores, in scrupulos incidere, cui morbo prudentes pastores & confessarii frequenti verbi Dei prædicatione & exhortatione occurrere debebunt, ne ingruescat, & ægrum in baratrum desperationis adducat. Quæritur idcirco hoc loco, qualiter se geret pastor si peste infectus scrupulis agitatus iam semel confessus, iterum & sæpius cõfiteri velit, excusabitur ne, an vero audire tenebitur?

Responsio.

DIstinguendum videtur: vel enim pastor aduertit ægrum habere conscientiam scrupulosam, dicto tamen obediente, vel aduertit habere rebellem, hoc est difficulter credentem, & desperationi vicinam. Si primũ audita prius (vt supponitur) ipsius confes-

confessione & monitione ipsi facta, vt scrupulositatem eiusmodi deponat, non tenebitur vlterius adire. Si secundum, tenebit, non pro confessione audienda, sed pro exhortatione facienda ad fortitudinem animi contra scrupulos.

Primum manifestum est, quia æger non est in vera necessitate sacramenti, & sufficit illi pro illo statu, vt consilio sui postoris docti & prudentis acquiescat, & anxietatē quam scrupuli iniiciunt, magno animo deponat, nec confessionem repetat, quia scrupulosus sic agens, cōformat se recto & prudenti dictamini pastorum & Doctorum, p quos Christus in Ecclesia fideles docere solet.

Alterum quoque clarum est, quia propter desperationem talis peste infectus est in extrema vel certe graui necessitate, & periculo probabili æternæ damnationis, nisi industria & sedulitate pastoris inducatur, vt bonis consiliis acquiescat.

Dices. Æger renuens credere suo pastori docto & prudenti, non est in vera necessitate, per ipsum enim stat, quominus ab hoc periculo liberetur, non ergo tenebitur illi pastor exhortatione sua adesse, præsertim cum tanto vitæ corporalis discrimine.

R2. Negando quod assumitur: falsum enim est, necessitatem prouenientem ex voluntatis defectu non obligare parochum ad subueniendum subdito in spiritualibus cum periculo vitæ, aliâs enim nunquam ad hoc obligaret charitas, nisi forte respectu paruulorum baptismo egentium: hoc autem falsum est: vt constat ex his quę de correctione fraterna & scandalo tradunt communiter Theologi.

QVÆSTIO XVII.

An etiam illis, qui paucis ante diebus, veluti octo vel paucioribus, ante conceptam pestem, confessi fuerunt?

Quæstionis explicatio.

SVnt plures, qui frequentius solent confiteri, & venerabile sacramentum Eucharistiæ sumere, accidit vt aliquot diebus à sacramentis perceptis quispiam illorum incidat in morbum contagiosum, quæritur, an parochus etiam huiusmodi teneatur adire, & confessionem iterum excipere an vero excusetur?

Responsio.

REcurrēdum est in hoc casu, sicut & in multis similibus ad ea, quæ diximus in initio

trio huius capitis: si n. pastori constet moraliter de bona dispositione ipsius pœnitẽtis, & scit illum Deum timere, adeoq; prudentem & doctum esse, vt si quid saluti noxium haberet, statim illud declararet, & pastorem sedulo aduocaret, non erit opus, illo casu accedere, quia tunc subditus non est in necessitate graui, minus extrema.

Dices: Multi (a) graues Doctores affirmant, parochum teneri multis casibus ad confessionem suorum parochianorum audiendam, etiam quando illi ex pcepto non obligantur confiteri, debebit ergo & hoc casu eorum confessionem, si illam facere optent, excipere.

a *Adrian. q. 5, de confess. dub. 8. Soto dist. 18. q. 4. ar. 2. Nauar. c consideret, de pœnit. dist 6. à nu. 152.*

℟. Illud verum esse regulariter & per se, non autem quando tantũ parocho imminet periculum, vt aliâs fiet manifestius.

QVÆSTIO XVIII.

An etiam illis, qui aliquoties à blasphemiis absoluti, quas præ vi morbi euomuerunt, iterũ in illas reincidunt?

Quæstionis explicatio.

EA est frequenter vis morbi pestilentialis, vt homines alioquin catholicos ex infirmitate humana ad impatientiam, blasphemias, & similis generis peccata

cara per se lethifera, non raro adigat. Horũ occasione quæritur, an toties, quoties illos reincidisse significabitur pastori, teneatur eos accedere, confessionem audire, & absolutionis beneficium impendere, an vero ab huiusmodi administratione excusetur?

Responsio.

TEnebitur regulariter, etiam sub periculo contagii & vitæ: est enim regula generalis, parochũ teneri sub peccato mortali administrare sacramenta, quotiescunque illa sub eodem tenẽtur recipere. Certum est autem, quemcunque teneri confiteri toties, quoties durante morbo reincidit in peccatum mortale, ergo tenetur pastor in hoc prædicto casu toties subditos accedere, & illis, si bene dispositi sint, beneficium absolutionis impendere.

Dixi (*regulariter*) quia posset casus euenire, quo pastor excusaretur, puta, quia ipse solus est, qui in oppido vel pago ministrat sacramenta, & iam recẽs vidit bonam dispositionem ægroti, & certo cognouit, ꝙ licet ex vi morbi per fragilitatem humanam inciderit in aliquas blasphemias, nihilominus conceperit illarum veram contritionem, sicut iam aliquoties expertus est illũ fecisse: quin etiam probabiliter dubitant, an ex

an ex pleno iudicio prodierint hæ blasphemiæ; etenim sunt alii ægri, ad quos vocat, & timet statum & dispositionem illorum periculosiorem esse statu istius. His enim concurrentibus parochus videtur excusatus, quia subditus illis positis non est in gravi necessitate, poterit enim ex voto confessionis, quod habet, salvari, etiam sine absolutione sacramentali, maxime accedente illo, quod pastor ad alios suo iudicio in maiori necessitate constitutos pro sacramentis vocatur, illis enim ex charitatis lege & ordine tenetur potius subvenire, & adhuc magis, si timeatur maius esse in domo illius ægri contagionis periculum, quam in domibus aliorum ægrorum, quæ non tamdiu fuerunt peste infectæ, quia pro communi bono pastor se ab illo maiori periculo servare posset, adeundo minus: Quæ omnia patent ex ante dictis.

Dices: Vnde & quibus indiciis poterit sibi persuadere pastor, ægrotum veram peccatorum contritionem concepisse.

℟. Ex duobus hisce: 1. quia ex diuturna conversatione & frequenti confessione scit illum esse bene instructum, & Deum timentem, solereque dolorem peccatorum concipere propter amorem Dei super omnia: 2. quia (vti casus præsupponit) æger aliquoties

ties durante morbo confessus, semper ostendit huiusmodi contritionis signa.

QVÆSTIO XIX.

An etiam illos, quos ante vnam aut alteram horã vidit potu obrutos.

Quæstionis explicatio.

Diximus in præcedentibus, plerosque tempore pestis genio indulgere, & potu se obruere, quo ab hoc morbo contagioso præseruentur, quanquam, vt antea obiter diximus, (*a*) impie & stulte. Impie, quia vbi Deum propter peccata nostra iratum placare deberent, iram illius prouocant, peccata peccatis cumulando; Stulte vero, quia ex medicorum sententia & experientia teste, sicut notauit (*b*) Maior, excessus pot⁹, sicut & ventris, morbum hunc non impediunt, sed accendunt: Horum occasione quæritur, an pastor, si vocetur ad peste infectos, quos nouit à pluribus dieb⁹ vel hebdomadis potu se ingurgitare, & genio indulgere, teneatur accedere, & sacramentum ministrare, an vero ab huiusmodi administratione excusetur?

a Gabr. Biel in q. de fuga pestis.

b In 4. dist. 9. q. 2.

Responsio.

Tenetur, si probabiliter constet, eos sufficienti vsui rationis restitutos, quia quotiescunque homo habet rationis vsum, po-

test

test legitime per pœnitentiam conuerti, & facere se capacē absolutionis: ergo pastor tenetur illi adesse, præsertim in eo articulo, in quo potest probabiliter timere, huiusmodi homines esse in graui, imo extrema necessitate spirituali. Confirmatur primo, quia ad veram pœnitentiam & conuersionem non requiritur, nisi Dei auxilium, cui homo cooperetur: Confirmatur secundo, quia in hoc differt vitæ præsentis status, ab illo qui est in futura, quod homo, quādiu in hoc sæculo viuit, habens vsum rationis humanum, & liberum, potest manum vel ad bonum vel ad malum porrigere.

Vnum tamen aduertendum est, quod quamuis hæc vera sint, debeantque pastores ex quauis (*a*) probabili ratione se inclinare ad ministrandum sacramenta, per ea, quæ ante diximus: periculosissimā tamen in eo articulo esse huiusmodi hominū pœnitentiam, de ea enim sic (*b*) D. Augustinus: *Si quis* (inquit) *positus in vltima necessitate, ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exit.* Est formidolosa tanti viri sentētia, cui cōsentiunt & aliæ eiusce generis veterū Patrū innumerę, quas p beuritate nobis ppositā omittim⁹.

a *Palud. in 4 dist. 9. q. 4.*

b *Lib. 50. homiliar. hom. 41.*

Dixi

Dixi (*si probabiliter constet, eos sufficiētem vsum rationis restitutos*) quia aliâs non tenetur accedere, cum non sint capaces sacramenti.

Dices: Quibus signis cognoscet pastor an huiusmodi habeant sufficientem vsum rationis ad disponendum se ad hoc sacramentum?

℟. 1. Si respondeant ordinate ad interrogationes sibi factas. 2. Et maxime si cordato modo procedant in petendâ & agendâ pœnitentiâ.

Dices 2. Quid si ostendant exteriora signa pœnitentiæ, & confiteantur ebrietates suas, & alia peccata, dubitet nihilominus pastor, num habeant sufficientem vsum rationis, & habet pro vtraque parte rationes probabiles?

℟. Tenebitur accedere, & illis ministrare sacramentum, saltem sub conditione tacita vel expressa, vt iam aliquoties in similibus casibus ostendimus.

QVÆSTIO XX.

An etiam suis Concubinis?

Quæstionis explicatio.

VEtitum est statutis synodalibus diœcesis Leodiēsis, sub pœna excommunicatio-

nicationis, ne concubinus suæ concubinæ confessionem audiat, sic enim habent: *Præcipimus, (a) sub pœna excommunicationis Presbyteris, ne audiant confessiones mulierum, cum quibus peccauerunt, de peccatis quæ perpetrauerunt cum eis. sed eas remittant alteri Presbytero, super dicto peccato confitendas & absoluendas. Nec etiã Presbyteros conscios & fautores pec ati sui, vel mediatores audiant, sed mittãt eos vel eas ad honestos confessores.* Meminit huiꝰ statuti & excõmunicationis Adrianus Doctor Louaniẽsis diœcesis tunc Leodiensis, postea Pontifex eius nominis sextus: Cuius statuti rationem reddunt Doctores, quia aliàs tollitur erubescẽtia, quæ maxima est satisfactionis pars: Huius occasione quæritur, si nullus sit, qui huiusmodi concubinam audire velit, an concubinus audire possit & teneatur, an vero excusetur?

a *De pœn. & confes. ca. 4.*

Responsio.

NOn solum potest in tali casu, sed etiam tenetur: Neque obstat statutum aut excommunicatio, quia (b) *quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare*: faceret autem contra charitatem pastor, imo vero & contra iustitiam, si concubinæ petenti in huiusmodi casu negaret sacramentum.

b *D. Bernh. de præcep. & dispens. c. 4.*

Dices. Deest in tali casu erubescentia, quæ maxima est satisfactionis pars.

℟. Quod Doctores cõmuniter dicunt, erubescentiam partem esse pœnitentiæ, nõ sic intelligi debet, quasi ad substantiam pœnitentiæ pertineat, hoc enim falsum est, quasi de facto concubinus concubinam vere pœnitentem audiret; etiam extra casum necessitatis, vere absolueret, si aliud non obstaret, secundum D. Thomam, quamuis peccaret, & in diœcesi Leodiensi excõmunicationem incurreret.

In add. ad 3. p. q. 20. ad 1.

QVÆSTIO XXI.

An etiam illis, qui cœperant alteri sacerdoti confiteri, si interim confessarius peste infectus mortuus fuerit.

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Sacerdos dum excipit confessionem peste infecti, pestẽ ab eo concipit, & subito moritur, tenebiturne pastor vel alius sacerdos eundem peste infectum accedere, & sacramentum ministrare, an vero excusabitur?

Responsio.

TEnebitur accedere, & absolutionis beneficium impẽdere, quoniam necesse

cesse non sit, vt in pluribus peccatis audiēdis longam moram trahat, per ea quæ ante diximus, & in posterum dicturi sumus.

Dices. Si sacerdos sacrificās morbo corripiatur, sacerdos succedens debet omnia omissa perficere, vt ex Conciliis & decretis pluribus colligi potest: ergo & pastor succedens debebit peccata, quæ restant confitenda, audire, & beneficium absolutionis impendere. *Tolet. 7. cā. 3. Tolet. 11. c. 13 refertur 7. q. 1. c. nihil, & cap. illud.*

℟. Ita ordinarie fieri debere, quamuis inter ista duo sacramenta sit magna differentia, vt ex ante dictis facile est colligere.

QVÆSTIO XXII.

An etiam illis, qui volunt confessionem generalem facere?

Quæstionis explicatio.

FRequens est, aliquem velle in mortis articulo confessionem generalē facere: tunc enim oculos mentis, quos erubescentia mundana clausit, timor diuini iudicii & gehennæ aperire solet, nec tunc difficulter quis adducitur, vt ruborem breuem apud vnum hominem patiat, quo Dei & Sāctorum omniū confusionē perpetuā euadere possit: Huiusmodi occasione quæritur, an pastor teneatur huiusmodi generales con-

fessiones tempore pestis excipere, an veto excusetur?

Responsio.

EXcusabitur regulariter, si hæc concurrant. Primum, quia aduertit peste infectum concepisse cõtritionem vel attritionem suorum peccatorum. Secundum, qa timet pastor, ne ipse peste infectus deficiat, nec voluntati suæ satisfacere possit, ꝓpter maximum, quod ipsi imminet, mortis instantis periculum. Tertium, quia multi peste infecti audiendi sunt, & sanis seruiendum, & quædam similia. His enim positis, sufficiat audire vnum duo vel tria peccata, cum confessione generica reliquorum, & illi beneficium absolutionis impendere: Neque obstat, quod confessio non videat integra, quia sufficit esse integram, si non materialiter, saltem formaliter, vult enim omnium omnino peccatorum confessionem facere, si nullum præberetur impedimentum, quod sufficit ad hoc, vt confessio censeatur integra.

Dices. Quid si æger penitus non fidat conscientiæ suæ, nisi integre confiteatur, etiam materialiter, tenebiturnè pastor integram & generalem omniũ omnino peccatorum confessionẽ in tali casu excipere?

R. Non

R. Non tenebit, sed poterit pauciscon-
scientiam ægroti pœnitentis melius infor-
mare: quamuis si nullus alius sit in maiori
necessitate, laudabiliter facturus sit pastor,
si illius voto satisfaciat, vitam corporalem
pro illius quiete exponendo, per illa, quæ
primo capite diximus.

QVÆSTIO XXIII.

Quis sit optimus & maxime probandus modus, ministrandi hoc sacramentum tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

COnsueta methodo dixim⁹ de mini-
stris primum, deinde de iis, quib. mi-
nistrandū est hoc sacramentum, subiectis
resolutionibus quæstionum & excusatio-
num, ꝓpter quas videri potuisset, non esse
necessarium, peste infectis illud ministrare,
Restat vt de modis ministrandi agamus: in
his n. magna varietas reperiri solet, propter
varia, quæ periculum, tum ministrantium
tum suscipientium, in hoc casu suggerere
solet. Et inprimis inquirendum, quis cen-
seri debeat optimus modus ministrādi hoc
sacramentum in præsenti casu?

Responsio.

Ille est maxime probandus, in quo substantialia ipsius sacramenti certa, & quàtum fieri potest minime dubia, hoc est, ex parte quidem pœnitentis contritio, vel attritio, & confessio vera & integra, saltem formaliter: ex parte vero ministrantis absolutio, quæ his verbis constat: (*Ego te absoluo.*) Deinde cæremoniæ Ecclesiæ diœcesanæ in totum aut pro parte adhibentur, pro ratione periculi contagionis, vel mortis ipsius pœnitentis, vel etiam ministrantis: His enim positis, ea omnia aderunt, q̃ vir bonus & prudens in huiusmodi administratione adesse debere iudicaret, quæ sufficienter ex antedictis patent.

Dices: Valebitnè absolutio, si pastor subditũ, multis censuris & peccatis innodatum, absoluat, nihil aliud dicendo, quã *Absoluo te.*

R. Valebit, dummodo intentio extẽdatur ad absolutionem à censuris & peccatis, vt speciatim Sotus (a) annotauit.

a *Sotus in 4. dist. 14. q. 1. artic. 3.*

QVÆSTIO XXIV.

Quid censendum sit de modo ministrandi illorum, qui in casu pestis absoluunt pœnitentem his verbis: Absoluat te Christus: vel, Deus te absoluit, vel, absoluaris à peccatis tuis: vel, Remitto tibi peccata: vel, Sacramentum absolutionis tibi impẽdo?

Quæstionis explicatio.

CErtum est, formam huius sacramenti consistere in his verbis; *Ego te absoluo*: quamuis & in illis tribus verbis tantũ duo sint de essentia, *Te* & *Absoluo*, vt (4) Sotus bene notauit: nam tantundem significabis si dicas, *Absoluo te*, acsi dixeris, *Ego absoluo te*. Potest vero in casu pestis ex nimia animi perturbatione accidere, parochũ non vti verbis consuetis, sed aliis atque aliis, & præsertim in quæstione propositis, de quibus forsan non immerito quis dubitare possit, an modus sub illis verbis ministrandi probandus sit vel reprobandus?

(4) 2 dist. 14. q. 1. art. 3.

Responsio.

primo. Modus absoluendi per hæc verba: *Christus te absoluat*: est reprobandꝰ. Re-

a *Opuſ. 22.* probat illum D. Thomas (*a*) ex profeſſo in ſuis opuſculis, & vocat præſumptuoſum & temerarium, potuiſſet & erroneum appellare: nam effectus ſacramenti, atque adeo actus miniſtri, tali forma verborum debet ſignificari, qualis ex ſcriptura & vſu Eccleſiæ habetur; talis autem in propoſito eſt illa, quæ continetur verbis indicatiui modi: (*Ego te abſoluo,*) non autem illis deprecatiui, (*Chriſtus te abſoluat.*)

Secundo: Modus abſoluendi p illa verba, (*Deus te abſoluit,*) quæ ſunt præteriti temporis videtur ſimiliter reprobandus, & fa-

b *In 4. ſent. diſt. 18. lit. F.* uere opinioni Magiſtri (*b*) Sententiarum, qui docuit per illa verba (*Ego te abſoluo,*) nequaquam ſignificari, quod ipſe ſacerdos abſoluat à peccatis, aut remittat peccata, ſed ſenſum eſſe: Ego te à peccatis à Deo abſolutum eſſe dico: quæ opinio vel verius error ab omnibus reiicitur, & merito: nam pugnat cum ipſa Scriptura, & auctoritate Sanctorum Patrum, qui aperte docent, ſacerdotem ipſum ſaltem vti cauſam inſtrumentalem per ſacramenti miniſterium remittere peccata, idque per formam ꝓprie ſignificari, cõformiter ad verba Scripturæ:

c *Matth. 18.* *Quæcunq;* (*c*) *ſolueritis, &c.* &, *Quorum* (*d*) *re-*

d *Ioan. 20.* *miſeritis, &c.* quæ proprie & ſimpliciter, vti ſonãt, intelligi debẽt, vt poſſet authoritate

ſancto-

sanctorum Patrum ostendi, si susceptа breuitas hoc permitteret.

3. Modus absoluēdi per illa verba: (*absoluaris à peccatis tuis,*) probari potest, & nominatim probatur à (*a*) Soto, quia hic modus formæ imperatiuus tātundem valet in re, quam indicatiuus, vt ex forma baptismi Græcorum colligi potest, qui ab ecclesia censentur vere baptizare, quamuis vtantur verbo imperatiuo, *Baptizetur seruus Christi.*

a *In 4. dist. 14. q. 1. art. 3.*

4. Modus absoluendi per illa verba, (*remitto tibi peccata*) tolerari potest, & probatur à Caietano apud D. (*b*) Thomam, quia illa tantundem significant, ac (*absoluo te.*)

b *3. p. q. 84. art. 3.*

5. Modus quoque absoluendi per illa verba: (*sacramentum absolutionis tibi impendo*) similiter probari potest, vt speciatim notauit Caietanus, quia quod ad rem attinet, tantundem ac illa (*absoluo te*) significant.

Dices: Peccatne, qui his etiam probatis modis absoluēdi vtitur, omissa consueta ecclesiæ forma?

R. Peccat quamuis non mortifere, si vt casus ponit mutatio fiat ex inaduertentia vel perturbatione animi, posset tamen esse mortale ratione alicuius scandali, vt si inde putaret pœnitens, inquit Sot. sacerdotem sibi nolle beneficiū absolutionis impēdere.

QVÆSTIO XXV.

Quid de illorum, qui rogant ægrum, an habeat peccata mortalia, & intellecto quod nullum designat, non absoluunt, sed abeunt?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis, multi assueuerunt singulis Dominicis cõfiteri & communicare, corripiuntur peste & volunt confiteri, inquirit pastor, an aliquod peccatum præter quotidiana confitendum habeant, intellecto, quod nullum, non audit neq; absoluit: Quæritur, quid de hoc modo agendi censendum sit?

Responsio.

HIc modus agendi, etsi in magna contagione videatur posse tolerari, tamẽ nõ caret graui periculo: Prior pars probatur quia veritas certa est & Catholica, non esse necessarium confiteri alia peccata quam mortalia: sic enim definiuit (a) Concilium Trident. & est communis Theologorum, quia ad remissionem venialium per se non est necessaria infusio gratiæ, & consequenter ad illorum remissionem non est opus aliquo sacramento tanquam gratiæ instrumento: non ergo tenebitur pastor vitam suam periculo exponere pro absolutione

(a) *Sess. 14. c. 5. & can. 7.*

tione illorum impendenda, cum sine sacramento possint remitti. Posterior probatur, quia fieri potest, vt æger erret existimãdo peccatum esse veniale, quod est mortale, vt merito precatus sit regius Propheta; (a) *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Quare pastor monebit talẽ, vt confiteatur saltem vel vnum veniale, & eum absoluat, maxime, si aliquo notabili tempore confessus non fuerit, cum homo sit sæpe peccatis occultis obnoxius, de quibus non conteritur, ac proinde si sine sacramento moreretur, periret, qui sacramento adiutus saluari potuisset.

a *Psalm.*

Dices: Quid si vouit etiam confiteri venialia?

R. Potest tale votum intelligi vel de omnibus venialibus, vel de aliquibus, puta, quibus est multum obnoxius, & facile cognosci, & explicari possunt, & ad magnum animæ bonum pertinet illorum correctio. Si primo modo votum illud intelligatur, negligendum est, sicuti periculosum, (b) & moraliter loquendo impossibile: Si altero, videtur pastor obligari ad ægrum in confessione audiendum, ne quantum in se est, violator voti censeatur.

b *Sotus in 4. dist. 18. 1. art. 3. circa fin.*

QVÆ-

QVÆSTIO XXVI.

Quid sit de illorum, qui propter ægri in loquenda tarditatem ipsi celeriter de peccatis, quæ verosimiliter illum commisisse existimant, interrogant, & statim annuentem ægrum absoluunt, & abeunt.

Quæstionis explicatio.

FEre omnes peste infecti linguam habent vlceratam, aridam, & propemodum immobilem, propter ardentem in intestinis febrim, vt Medici testantur, & in superioribus ex Lucano ostendimus. Huius occasione quæritur, an Pastor aduertés ægrum tarde & difficulter loquentem, possit hoc modo supplere, interrogando scilicet, tantum aliqua, quæ verosimilius putat illum commisisse: & beneficium absolutionis impendendo?

Responsio.

POtest hic modus ministrandi tolerari, præsertim si aliquod horum trium occurrat: Primum si graue sit contagii periculum: Secundum, si breui timetur æger in delirium, vel etiam in mortem ex vi & magnitudine morbi casurus. Tertium, si æger tolet esse boni iudicii, & diligenti præmeditatione sese ad cõtritionem & confessionem

nem

nem præparare, ita vt pastor sibi probabiliter persuadere possit illum pro hoc tempore bene præparatum esse, & si morbus & tempus permitterent libenter omnia confessurum: Et ratio est, quia illis tribus casibus sufficit integritas confessionis formalis: vult enim æger integre confiteri, si tempus, & morbus illud permitterent, quod sufficit vt confessio dicatur integra saltem formaliter; & consequenter peste infectus est bene dispositus, vt tam sacramentum, quam effectum sacramenti, & omnium peccatorum etiam omissorum remissionem consequatur.

Dices: Iudicis est causam bene examinare, antequam sententiam ferat, debet ergo pastor vlterius de tota causa diligenter cognoscere.

℟. Posito aliquo eorum quæ diximus, pastorem sufficienter officium fecisse, vt ex antedictis satis manifestum est, secundum quæ licet in articulo mortis, propter periculum & temporis breuitatem, crassiore quodam modo ministrare sacramenta, quam extra illum.

Dices secundo: Quid si æger velit integre confiteri?

℟. Si pastor timet probabiliter periculum mortis ex infectione pestilenti, non

tenetur

a *supr.*

tenetur audire, sed excusatur secundum (a) Zambranum & multos recentiores Dd. eruditos & pios, quos se consuluisse dicit, quorum ratio videtur esse, quia sicut secundum omnes excusatur pœnitēs ab integritate confessionis, quando ex illa sibi timet damnum corporis, vel rei familiaris, vel honoris, quod scilicet Confessarius ipsi iniuste inferret, si illi integre confiteretur, ita etiam excusatur Confessarius ab audienda integra confessione, ex qua sibi à confitente mortem timet.

Quod noto in solamen pastorum & eorum qui necdum tanta charitate ardent, vt periculū vitæ corporalis, pro maiori quiete spirituali proximi adire audent.

QVÆSTIO XXVII.

Quid sit de illorum, qui habentes plures peste infectos eodem tempore vicinis tuguriolis exceptos, ad singulos accurrunt, auditoque vnius peccato vno illum statim absoluunt, & ad alium atq; alium transeunt, eos similiter audientes & absoluentes?

Quæstionis explicatio.

CVm pestis sæuit & instar ignis omnia circumquaq; depopulat, nec plures sunt

sunt in parochia qui confessiones excipiãt, redigitur pastor in has angustias, vt vel plerosq; sine ministratione huius sacramenti deserere debeat, vel sum̃a illi opus sit tum diligẽtia, tum industria, quo omnibus, vel saltem quam plurimis illud ministrare valeat: Huius occasione qnæritur in hoc lugubri casu, an pastor modo prẽnarrato suorum confessiones excipere, & beneficium absolutionis impendere possit & teneatur?

Responsio.

POsitis his, quæ præcedenti quæstione comprobauimus, videntur posse imo teneri pastores hoc pacto ministrare: quia charitas obligat, vt illud sacramentum tantæ necessitatis in illo periculo communicetur omnibus, quibus communicari potest: potest autem hoc pacto illis communicari, vt ex antedictis patet: & confirmatur à simili: nam (a) Dd. asserunt in casu naufragii, & ingressus in prælium, & similibus, quando confessiones omnium non possunt integre audiri, posse Confessarios audito vno, vel altero peccato cuiuslibet, eos sigillatim absoluere.

a *Henric. lib. 9 summæ, c. 30. n. 4. & alij quos citat.*

Dices: Quid si tali tempore pastor offendat aliquos, quorum confessiones integras

gras audire possit, cum non ita graui contagionis periculo, tenebiturne illos integre audire?

℟. Non teneri propter debitum charitatis, quo aliis in pari vel maiori salutis periculo existentibus (vt præsupponimus) tenetur quoque hoc sacramentum ministrare.

QVÆSTIO XXVIII.

Quid de illorum, qui plures peste infectos in eodē cubiculo, vel lecto iacentes, simul audiunt & absoluunt?

Quæstionis explicatio.

FRequens est læuiente pestilentia, vt pastores plures offendant ęgros in eisdem Xenodochiis publicis, vel ædibus priuatis, cubiculis, subinde etiam lectis iacentes, quos necessum est, si confiteri debeant, vt sociis audientibus confiteantur: Quæritur, an hic modus confitendi, & simul illos absoluendi tolerari possit?

Responsio.

POtest tolerari & practicari, imo subinde ipsi peste infecti hoc modo tenebuntur confiteri, & pastor absoluere. Primum probatur, quia quamuis nemo cogi possit ad

sit ad confessionem publicam, seu talem, quæ in aliorum notitiam venire possit, tamen quilibet potest iuri suo cedere, & aliquid infamiæ pati ad maius aliquod spirituale bonum consequendum, vt communiter Dd. tradunt. Alterum probatur, quia si æger non confidit, se posse consequi remissionem peccatorum, nisi virtute absolutionis sacramẽtalis, tunc etsi non ex præcepto sacramenti, tamen ex præcepto charitatis, quo tenetur saluti animæ suæ prospicere, tenebitur sociis audientibus confiteri, & potius subire quamuis infamiam, & quæuis detrimenta, quam non confiteri, & sacramentalem absolutionem consequi, vt patet.

Dices: Si liceret plures simul vno confiteri, liceret quoque plures sacerdotes, si forte concurrerent, vnius audire confessionem, hoc autem posterius non licet, quia sacerdos gerit personam Christi, qui vnus est, ergo nec prius: Sic argumentatur Scotus (*a*) contra hunc modum confitendi & absoluendi.

(*a*) *in 4. dist. 7.*

℟. Negando subsumptum, & ad rationem eius dicimus plures sacerdotes, si concurrant, non gerere personam plurium, sed vnius videlicet, Christi, quem vnũ omnes sacerdotes repræsentant.

S QVÆ-

QVÆSTIO XXIX.

Quid sit de illorum, qui volunt ægros ad se adduci, vt illos ex feneſtra audiant & abſoluant?

Quæſtionis explicatio.

CAſus eſt talis, paſtor eſt peſte infectus, & vi morbi detinetur domi, cuperet tamen ſubditis etiam peſte infectis miniſtrare ſacramentum, cum vero aliter non poſſit, paratus eſt ex feneſtra beneficium abſolutionis ſibi confitentibus impendere. Quæritur, quid cenſendum ſit de hac ratione miniſtrandi?

Reſponſio.

NEc hic modus reprobari debet, imo, ſicut ante inſinuauimus, ipſi peſte infecti, ſubinde tenebuntur ad feneſtras domus paſtoralis confiteri, & viciſſim paſtor ex eis illos abſoluere. Tria hic dicemus, primum probatur, quia hic modus nihil habet contra rationem fori iudicialis conſcientiæ, niſi quod hoc pacto confeſſio & abſolutio fiunt publice, ſed huic ſecreto propter maius bonum ſpirituale, diximus poſſe & debere ſubinde renũciari. Secundum, quia quãdo peſte infectus eſt iis viribus, vt poſſit

possit ad pastorem ire pro absolutione, nec audet de remissione peccatorum suorũ fidere absq; absolutione sacramentali, tenetur accedere, vt ante similiter ostendimus. Postremum quoque patet, quia pastor in illa extrema necessitate spirituali suorum subditorum tenetur ex debito sui officii, si possit, succurrere, & perinde est, si ex fenestra, vel vestibulo domus, vel in platea, vel area, vel horto, alta voce proferat sententiam, pœnitente longe distante, quia nihil horum est contra rationem fori conscientiæ: minus est contra rationem fori exterioris, in quo non aliter quam scripto, & voce elata leguntur & proferuntur quotidie sententiæ.

Dices: Poterit ergo pastor si forte Iudex sit delegatus in foro exteriori sententiam per fenestram dicere?

R. Posse, quod singulariter notauit Franciscus à (a) Ripa.

(a) *tract. de peste, c. de priuilegiis peste infectorum.*

QVÆSTIO XXX.

Quid sit de illorum, qui volunt peste infectum sibi confiteri in absentia?

Quæstionis explicatio.

MAgnum esset solamen pastorũ, si tẽpore pestis cõfessiones in absẽtia ex-

cipere possent, vitarent siquidem periculum contagionis, cui se exponere tenentur, dum præsentiam suam in audienda confessione ægri exhibere tenentur: Huius occasione quæritur, an huiusmodi modus audiendi confessiones sit licitus & tolerãdus.

Responsio.

NOn est licitus neq; tolerandus. Probatur primo (*a*) canonibus, qui præsentiam sacerdotis, cui fit confessio, desiderant: Et doctrina Concilii Trident. *siquidem Christus Dominus* (inquit Concilium) *eos, qui se post baptismum crimine aliquo contaminauerunt ante tribunal sacramenti pœnitentiæ tanquã reos vult sisti*; quo verbo præsentia personalis designatur: deinde vsu & consuetudine vniuersalis ecclesiæ, quæ omnibus nota est. Præterea communi (*b*) Theologorũ sententia: tandem ratione, quia vt sacerdos vere proferre possit absolutionem necessaria est rei præsentia, hæc est enim forma absolutionis: *Ego te absoluo*: quibus patet præsentem sacerdotem præsenti reo loqui, de qua re suo loco latius: Postremo probatur, quia Clemens VIII. hanc propositionem: *Licere Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri & ab eodem absente absolutionem obtinere ad minus vt falsam, temerariam & scandalosam damnauit ac prohibuit, præcepitq; ne deinceps ista propo-*

a *De pœnit. dist. 1. c. Quẽ pœnitet, & c. vestris vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss.*

b *D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. & ibi commentatores.*

propositio publicis priuatisq; lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neue tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur, & addit excommunicationem ipso facto incurrendam, & sibi reseruatam contra violantes hoc decretum, præter alias pœnas à iudicibus iniungendas.

Dices: Plures Doctores hoc decretum sic intelligunt, vt Pontifex damnet absolutionem absenti impensam, sed non confessionem confessario absenti factam.

℟. Et ego hucusque sic intellexi, propter rationem statim à me allegandam & soluẽdam: verum magistri nostri Louanien. Ioannes Clarius & Fabricius, quorum censuræ hunc Tractatum submisi, mihi scribunt Illustriss. Cardinalem Bellarminum declarasse Clementem VIII. intellixisse decretum hoc in sensu diuiso, videlicet, vt vtraq; propositionis pars damnata censeatur: Imo Reuerend. Lombardus Episcopus Ardmacanus dicitur descripsisse in officio inquisitionis Romanæ, improbatam esse diserte huiusmodi interpretationem.

Dices secundo: Iuxta cõmunem Theologorum frequenti vsu ecclesiæ receptam, licet confiteri per interpretem: ergo licet confiteri in absentia. Hoc est argument. ꝙ pro interpretatione præfatorũ Dd. adferri solet.

 ℟. Ne-

R. Negando consequentiam, confiteri enim per interpretem, absentiam confitentis à Confessario non includit, sicut casus præsupponit, aut deberet, adhoc vt argumentum concluderet.

Dices tertio: Sacerdos veniens ad absoluendum pœnitentem morti vicinum, & muniens illum ita priuatum vsu omnium sensuum, vt nullum signum peccati aut doloris ab eo possit obtinere, potest esse contentus aliorum relatione, qui testantur illum dedisse signa pœnitentiæ & absolutionem petiisse, antequam adesset sacerdos: ergo potest Confessio fieri in absentia sacerdotis. Antecedens ante à nobis breuiter ꝓbatũ fuit, & ꝓbatur latius ex (a) antiquis Conciliis & (b) Patribus: sic enim habet Concilium Aransecanum: *Subito obmutescens pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Et Carthaginense Tertium: *Ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptisentur, & similiter de pœnitẽtibus agendum est.* Et Carthaginense Quartum: *Si infirmus pœnitentiam petens obmutuerit, vel in phrenesim inciderit, dent testimonium qui eum audierunt & accipiat pœnitentiam,* hoc est sacramentalem absolutionem secundum glossam communiter

a *Aransec. 1. c. 12. Carthag. 4. c. 76. Carthag. 3. c. 34.*

b *Aug lib. 1. de adulter. coniug. c. vlt. & lib 50. homel. 41. Leo 1. epist. 89. alias 91.*

niter receptum. Et D.(a) Augustinus, qui cum affirmasset baptismum in fine vitæ posse dari Catechumenis ostendentibus dolorem, addit: *Quæ autem baptismi, eadem est reconciliationis causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit, nec ipsis enim ex hac vita sine arrha sui pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Et D.(b) Leo: *Ita ergo necessitati auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus quærere comprobentur, quod paulo ante poscebant, sub præsenti significare non valeant, testimonia eis fidelium prodesse debebunt, simul tamen & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.*

a *lib. 1. de adult. coniugiis, c. vlt.*

b *1. epist. 89.*

℟. Huiusmodi confessionem, quæ à Conciliis, Patribus, & vsu Ecclesiæ probatur, non debere dici in absentia factam, sed potius in præsentia, quia ponitur Confessarius statim superuenire, qui pœnitentis & morientis examinat dispensationem & confessionem ex testimonio fidelium circumstantium.

QVÆSTIO XXXI.

Quid sit de illorum qui volunt sibi confiteri per literas?

Quæstionis explicatio.

TVrpilius Comicus tractans de vicissitudine literarum: *Sola* (inquit) *res est, quæ homines absentes præsentes facit*: Nec falsam, teste D.(a) Hieronymo, *dedit quanquam in re non vera sententiam, quid enim est, vt ita dicam, tam præsens inter absentes, quam per Epistolas & alloqui & audire quos diligis*? Huius occasione existimare forsan posset quispiã ad confessionem sufficere præsentiam, quæ soleat haberi per literas vel scriptũ, quo reus absens sua peccata sacerdoti cõfitetur. Idcirco q̃ritur, an hic modus sit licitus & tolerandus?

a *Epistola ad Nitium Hypodiaconum*

Responsio.

NEq; hic est licitus neq; tolerandus: nam & illum damnauit disertis verbis idem Clem. VIII. declarauit n. hanc ꝓpositionẽ: *licere per literas seu internunciũ confessario absenti peccata sacramẽtaliter confiteri, esse ad minus falsam, temerariam, & scandalosam.* Et ratio põt esse illa, q̃ superiori quęst. ex modern. Thomistis attulimus, quia ante absolutionẽ necessum est, vt sacerdos examinet causam & dispositionẽ pœnitẽtis, & de pñti ei⁹ dispositione sit moraliter certus, ꝙ in absẽtia per literas fieri non potest. Dices:

Dices: Non est contra vsum ecclesiæ, q̃ pœnitens, quando loqui non potest, vel nutibus confiteatur peccata, vel scribat illa & tradat sacerdoti: Ergo licebit etiam absenti sic confiteri.

℟. Negando consequentiam: & ratio diuersitatis est, quia quando pœnitens pr̃sens tradit sacerdoti peccata, signa cõtritionis exhibendo, & petendo ab eo absolutionem, eamque expectando humiliter, dum sacerdos legit peccata, ac denique satisfactionem expectando, quam sacerdos imponit, fit certior, quod pœnitens tradit peccata loco suæ accusationis, & videt pr̃sentem etiam dispositionem illius, quod non fit cum mittit peccata sua scripto absenti sacerdoti.

Dices secundo: In (*a*) decreto dicitur, confessionem quandam suscipiendam per scriptum: sic enim habetur; *Si fornicata fuerit mulier, dimittenda est, sed illa viuente, altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt, & pœnitentia illius per scripturam recipienda.*

a *c. qualis 33. quæst. 5.*

℟. Non fieri ibi sermonem de confessione sacramentali, sed alia iudiciali, quæ petitur in scripto, propter maiorem fidem & certitudinem.

Dices tertio: D. (*b*) Cyprianus in epistolis

b *Epistol. 13.*

stolis dicit, se recepisse cõfessiones aliquorum absentum per scripturam: Et (a) Scotus dicit, S. Thomam Cantuariens. in carcere detentum, Romam misisse pro absolutione: Et (b) Eusebius narrat, Serapionem ægrotãtem misisse ad Presbyterum etiam ægrotantem, vt eum absolueret.

a *In 4. q. 17. distin. vnic.*

b *Lib. 6. c. 34.*

℟. Ad Cyprianum quod attinet, potius pro contraria sententia posse induci: nam receptis libellis confitentiũ, qui absẽtes erant, non dicit se absoluisse illos, sed comisisse, vt aliquis Presbyter ex his qui præsentes aderãt, pacem eis daret: vbi omnino videtur requirere præsentiam: tamẽ cum negotium illud committit Diacono, dicens, vt si Presbyter non adesset, Diaconus id faceret; argumentum est non loqui de absolutione spirituali, sed de aliqua reconciliatione ad publicam pœnitentiam pertinẽte.

Ad Scotum, nescitur ex qua historia id scribat, neque ipse eam refert: Deindenõ dicit, Thomam scripsisse sua peccata: Præterea per absolutionem intelligere possumus aliquã pœnariam indulgentiã vel pontificalem benedictionem, vel forte absolutionem à quacunque censura, quæ ad cautelam fere peti & dari solet, etiamsi non agnoscatur.

Ad Eusebium dicimus, Serapionẽ non petiisse

petiisse sacramentalem absolutionẽ, sed reconciliationem aliquã, vt ante ad Cyprianũ diximus: erat enim ille velut in statu pœnitẽtium, quoniã coram tyranno metu mortis fidem negauerat.

Dices postremo. Aliqui (a) asserũt hunc modum confessionis, quin etiam absolutionis in vsu esse inter Catholicos viuẽtes in terris hæreticorũ, quãdo oppressi persecutione non pñt aliter confiteri neq; absolui. R. 1. Non constare de hoc modo confitendi & absoluẽdi. Deinde fieri posse, si qs talis sit vsus, quod promanauerit ex errore illorum Dd. qui hactenus docuerũt, hunc modum ministrandi hoc sacramentum in casu saltem extremæ necessitatis validũ esse, cui⁹ contrariũ iam definiuit Sum. Pont.

a *Palud. in 4. dist. 17 q. 2. ar. 1. Ant. 3 p. tit. 14. c. 19. §. 9. Nauar. in summa c. 21. n. 36 & alij.*

QVÆSTIO XXX.

Quid sit de illorum qui absoluunt per interpositã personam cui sacerdos committit, vt suo loco & nomine verba absolutionis in præsentia proferat?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis. Timore cõtagionis nõ audet pastor accedere peste infectũ, est vero ad manũ laicus, qui offert nomine parochi, si illi committat, officium facere, seu absoluere: Quæritur an eius noïe beneficium

ficium absolutionis sacramentalis impendere poterit?

Responsio.

Hic modus omnino reprobandus est, quia actio sacramentalis, præsertim illa, quæ est à ministro consecrato & specialiter deputato ad illam excipiendam, est actio mere personalis, & non delegabilis: ideo enim ad illam consecratur minister, quia per se debet illam exercere, aliâs pari ratione posset sacerdos consecrare per alium, committendo illi vices suas, quod nemo vnquam dixit.

Secundo probatur: nam vel illa interposita persona erit sacerdos vel laic⁹: Quod sit laicus, plane improbabile est, quia actus characteris sacerdotalis non potest cõmitti laico, aliâs pari ratione posset etiam illi cõmitti, vt confessionem audiret, & per se totum sacramentum perficeret in persona alterius, ver. grat. summi Pontificis: Quod sit sacerdos, etiam absurdum est, quia ille audita confessione, poterit proprio nomine absoluere: nam in casu extremæ necessitatis habebit iurisdictionem: si vero non audiat confessionem, non poterit simpliciter absoluere, quia non potest proferre verba absolutionis, tanquam referens sentẽtiam

tiam ab alio datam, (hoc enim est impertinens, & similiter per laicum fieri posset) sed tanquam iudicans: non potest autem iudicare causa inaudita.

Dices: Aliquis potest matrimonium contrahere per interpositam personam?

R. Non esse simile: & præterea diximus, actionem sacramentalem esse personalem, præsertim in sacramentis, characterem imprimentibus.

QVÆSTIO XXXIII.

Quibus præsertim modis peccari soleat circa administrationem sacramenti pœnitentiæ tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

ET hic breuiter modos, quibus tempore pestis circa administrationem sacramenti pœnitentiæ peccari solet, ad tria capita reuocamus, vel enim peccatur ex parte ministrorum, vel eorum, quibus ministratur, vel modi ministrandi.

Responsio.

PRimo peccat, qui prætextu contritionis, quam peste infectum diuina gratia conce-

concepisse, leuiter præsumit, omittit ministrare.

Secundò. Qui prætextu, quod suus subditus confessus fuit in Paschate, nec existimat eum peccasse à postrema confessione, omittit ministrare.

Tertiò. Et simplex sacerdos, qui in absentia pastoris rogatus, non vult ministrare.

Quartò. Qui etiam non vocatus non ministrat, si nullus alius sit, qui ministrare possit aut velit.

Quintò. Qui pœnitenti, & absolutionem humiliter petenti in extremis illam denegat, quacunque ex causa.

Sextò. Qui non audent confidere suæ contritioni & conscientiæ, non vult pro sacramentali absolutione obtinenda dare pecuniam sacerdoti, quamuis illam iniuste petenti, etiamsi sacerdos sit nominatim ab Ecclesia præcisus, hæreticus, degradatus, suspensus, interdictus.

Septimò. Qui nullum alium habens sacerdotem, non vult vti opera sui pastoris concubinarii, nisi scandalum aut simile quid excuset.

Octauò. Et qui non vult confiteri pastori

ſtori ſuo ebrioſo, vel etiam parum ebrio, cum nullum alium habere poſſit.

Nonò. Similiter, qui in ſimili neceſſitate non vtitur ſacerdote ab Epiſcopo non approbato.

Decimò. Et illi, qui nolunt ingredi ædes peſte infectorum, vt confeſſiones ægrotorum iſtic excipiant, cum illi loco ſe mouere non poſſunt.

Vndecimò. Et illi, quibus cum non immineat magnum contagionis periculum, puta, quia aër non eſt infectus, & æger eſt in horto, & habent expertam theriacam, vel ſimile antidotum, quam breuiſſime ſine vlla reuerentia exteriore ſacramentum hoc miniſtrat.

Duodecimò. Et qui non omnibus peſte infectis vere pœnitentibus, ſed tantum aliquibus miniſtrant, niſi legitimo impedimento excuſentur.

Decimotertiò. Et qui non miniſtrant peſte infectis, qui in amentiam, phreneſim ſeu furorem acti ſunt, ſi ante piam erga hoc ſacramentum voluntatem oſtenderint.

Decimoquartò. Similiter qui nõ miniſtrant

strant iis, qui confiteri non possunt, tamen tundunt pectus, & similia signa pœnitentiæ ostendunt.

Decimoquintò: Et qui illis ministrant, qui signa aliqua contritionis ediderunt, quamuis nullam fecerint confessionis faciendæ mentionem.

Decimosextò. Et qui non ministrant illis, qui non ediderunt signa contritionis in præsentia, simodo constet, quandocunque dedisse in absentia in ordine ad confessionem.

Decimoseptimò. Et qui non ministrant illis, quos paulo ante audierunt in confessione, & non absoluerunt, si postea superuiuentes reperiant adhuc viuos, sed amisisse sensum.

Decimooctauò. Et qui pueris non ministrant 12.11.10.9.8. vel etiam 7. annorum si constet vel verisimile est, illos habere vsum rationis, & peccasse mortaliter.

Decimononò. Et qui scrupulosos, desperationi proximos, non accedunt, nec sua exhortatione confortant.

Vigesimò. Et qui non volunt illis ministrare, qui paucis diebus, puta, octo vel circiter ante conceptam pestem, confessi sunt, & communicarunt, nisi moraliter con-

constet, illos esse in bono statu.

Vigesimoprimò. Et qui nolunt accedere illos, qui aliquoties absoluti à blasphemiis, quas præ vi morbi euomuerunt, sæpius in illas reincidunt, nisi moraliter certi sint de bona illorum dispositione.

Vigesimosecundò. Et qui nolunt accedere neque absoluere illos, quos ante vnam vel alteram horam viderunt esse ebrios, si probabiliter constet, illos pro hac hora habere sufficiens rationis iudicium ad conterendum & confitendum.

Vigesimo tertiò. Et sacerdos concubinus, qui suam concubinam peste infectam non vult absoluere, cum nullus alius sit, qui illam absoluat.

Vigesimo quartò. Item ille, qui succedens pastori defuncto, qui peste correpti confessionem audierat, sed morte præuentus non absoluerat, sine vlla confessionis repetitione absoluit.

Vigesimoquintò. Et qui substantialia huius sacramenti dubia exhibent cum possint adhibere certa.

Vigesimosextò. Similiter qui nullas cęremonias adhibent, cum possint aliquas commode & sine periculo vel ministran-

tis & sacramentum suscipientis adhibere, vel qui omnes adhibere volunt cum periculo omittendi substantialia.

Vigesimoseptimò. Similiter qui absoluunt formis ab Ecclesia non consuetis, puta his: *Christus te absoluat: Deus te absoluat: Absoluaris à peccatis tuis: Remitto tibi peccata tua: Sacramentum Absolutionis tibi impendo*: Quamuis duobus posterioribus modis absoluendi, valeat hoc sacramentum.

Vigesimooctauò. Et qui hunc modum agendi regulariter cum pestiferis seruare solent, rogando videlicet statim, an habeant aliqua peccata mortalia confitenda, & intellecto quod nullum specificant, non absoluunt, sed abeunt.

Vigesimononò. Et illi, qui propter ægrotorum in loquendo tarditatem & hæsitantiam, celeriter de peccatis, quæ probabilius illos commisisse existimant, interrogant, & statim annuentes ægros absoluunt, & abeunt, nisi graue contagionis periculum, vel aliud quidpiam excuset.

Trigesimò. Et illi peccant, qui regulariter no-

titer nolunt peste infectorum confessiones excipere, sed volunt illos sibi per tertium aliquem, non ægrotum & infectum, confiteri.

Trigesimoprimò. Et illi, qui volunt ordinarie sibi confiteri per scriptum vel epistolam.

Trigesimosecundò. Et Pastores, qui mittunt ad pestiferos aliquos laicos, vt illos suo nomine absoluant.

Trigesimotertiò. Imo etsi mittant aliquem sacerdotem, nisi de nouo confessionem ægroti excipiat.

Dices: Solinè pastores & sacerdotes peccant in administratione huius Sacramenti?

Respondeo. Peccant quoque & ipsi pœnitentes, qui tempori non disponunt se ad illius sacramenti perceptionem, & non curant, quantum in se est, excitare veram contritionem suorum peccatorum, quæ requirit dilectionem DEI super omnia: Et qui non accommodant se iudicio Pastoris probi & prudentis, quo Pastor minori periculo contagionis possit illis hoc sacramentum ministrare.

Quæ omnia genere suo sunt mortalia, propter grauitatem materiæ : agitur enim de periculo animæ & damni irreparabilis, damnationis inquam æternæ.

CAP-

CAPVT QVARTVM.

DE NECESSITATE ET MODO *ministrandi sacramentum Eucharistiæ tempore pestis.*

QVÆSTIO I.

Vtrum teneantur pastores administrare sacramentum Eucharistiæ tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

PLerique omnes docent, Pastores teneri ministrare duo sacramenta tempore pestis: Baptismum videlicet & Pœnitentiam, qa vtrũque necessarium est ad salutem, nonsolum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii: De Eucharistia vero non eodẽ modo omnes loquunt̃: quidam enim dicunt necessariam tantum esse necessitate præcepti, quidam etiam necessitate medii. Nouissimæ vero reformationes Ducatus Hassiæ pastoribus ad obseruandum sub pœna exilii, anno ꝓxime præterito, ꝓpositæ, interalios articulos hæreticos, blasphemos, etroneos, hunc quoq; ad ꝓpositum pręsẽs

habent: *Communio ægrotis decumbentibus, vt periculosum, nominatim grassante peste, non deferatur.* Merito itaque quæritur, an pastores teneantur hoc sacramentum illo tempore ministrare?

Responsio.

TEnentur regulariter: quia suo modo est sacramentum necessitatis.

Primò. Nam in articulo mortis est in præcepto iuris diuini secundum (*a*) plerosque Theologos: Parochus autem tenetur ex officio cooperari suo subdito, vt ius diuinum compleat, quantum in ipso est.

Secundo. Quia secundum (*b*) plures est medium quodãmodo necessarium adconseruandam gratiam, quæ est in vita spiritualis animæ, & ad vincendas tentationes, q̃ illo tempore à Dæmonibus, calcaneo nostro insidiantibus, ingeruntur. Tenentur autem pastores ratione officii subditis suis succurrere, non solum in extrema, sed etiã in graui necessitate, vt ante diximus.

Tertio. Quia fieri potest, vt p̃cepto hoc sacramento multi saluentur, qui aliàs dãnarentur. Nam secundum cõmunem potest conferre primã gratiam, quam imperfecta cõtritio non cõtulit, sicut Sot° (*c*) explicat.

Quarto. Quia Episcopi passim compellunt suos parochos ad ministrandã ægrotis

Eucha-

a Richardus d. st. 12. ar. 6. q. 1. Durãd. dist. 9. q. 2. ar. 2. Gabr. q. 1. Soto dist. 12. q. 1. ar. 1. Suarez disp. 69. sect. 3. §. Dices primò.

b S. Thõ. 3. p. q. 73. a 3. Bellar. lib. 1. de Euch. c. 7. in fine argũ. 3. Zambrã. de euch. dub. 1, qui alios plures citat.

c Sotus in 4. dist. 12. q. art. 4. §. Respondetur ergo.

Eucharistiam, tanq̃ necessariũ viaticum, q̃ non esset iustũ, si ex vi officii sui non tenentur: Et talis est vsus nonsolũ per diœcesim Leodiensem, sed etiam per totam Ecclesiam semper obseruatus.

Postremò. Magnũ scandalũ esset in populo, si sacerdos subditos permitteret mori sine viatico: signum ergo est, pastores ad illius administrationem obligari.

Dixi (*regulariter*) quia cum viaticũ nõ ita sit necessariũ sicut baptism. & pænitẽtia, facilius potest in particulari occurrere excusatio in administratione huius sacramenti, q̃ illorum duorũ, vt infra suis locis dicetur.

Dices: Id statuendũ est p̃ regula in moralib. q̃ frequẽtius accidere solet: Sed frequẽtius euenit, vt pastor excusẽt à ministratione huius sacramẽti, q̃ non, puta, qa pleriq; sunt cõtriti, vel etiã paucis ante diebus cõfessi & absoluti sacramẽtaliter: E. cõtrario modo statuẽda est responsio; videlicet, excusari regulariter pastores à ministratione huius sacrti, q̃uis quibusdam casibus ad hoc ministrandum teneantur.

℟. Negãdo subsumptũ, & ad eius p̃bationes dico 1. Contritionẽ admodũ esse difficilẽ, vt diximus. 2. Posito, q̃ cõfessi & absoluti fuerunt, nihilominus, si (vt cõmuniter fit) aliquantũ tẽporis à cõfessione supuiuãt,

egent gratia ſacramenti Euchariſtiæ, ad perſeuerandum in iuſtitia per pœnitẽtiam recuperata, & ad ſuperãdas tentationes, quę illo tempore & perplurimæ & grauiſſimæ ſuperuenire ſolent. Adde, quod ſi propter huiuſmodi cauſas ſtatueret pro regula non debere paſtores regulariter omnibus, ſed quibusdam tantum miniſtrare Euchariſtiam, plerique deſererent adminiſtrationem huius ſacramenti, quod eſſet conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ euertere, & animas graui ſalutis periculo exponere.

QVÆSTIO II.

An etiam cum periculo vitæ?

Quæſtionis explicatio.

CVm paſtor non teneatur vitam ſuam corporalem exponere periculo, niſi propter extremam vel valde grauem ſuam vel proximi neceſſitatẽ ſpiritualem, ſecundum communem: ex defectu autem ſacramẽti Euchariſtiæ quis non conſtituatur in extrema, & ſecundum quoſdã non vſq; adeo graui neceſſitate ſpirituali: Horum occaſione quæritur, an paſtores cum periculo vitæ corporalis teneãtur miniſtrare hoc ſacramentum, an vero excuſentur?

Reſponſio.

TEnentur ſaltem cum periculo cõmuni & ordinario talis ęgritudinis, qa (vt ſupe-

superiore quæstione diximus) ex mẽte plurimorum Doctorum Eucharistia est mediũ suo modo necessarium ad conseruandam gratiam, ita vt nisi illa egris eo tempore ministretur, in graui admodum salutis suæ periculo relinquantur.

Dixi: (*Cum communi & ordinario periculo*) quia pastor poterit excusari, si periculum contagionis multum augeatur, & necessitas proximi diminuatur, puta, quia æger forsan à pauco tempore communicauit, & pastor moraliter sibi certo persuadere potest illum esse in statu gratiæ, quia ægrotus doctus est & prudens, & sollicitus salutis suæ, & pestis passim grassatur, plerosque omnes corripiens.

Dices: Pastores secum cogitantes de statu suorum subditorum peste infectorum, non possunt se resoluere, an sint vel non sint in statu gratiæ, sed fluctuant inter spem & metum, tenebunturne & illis casib. ministrare hoc sacramentum cum ordinario periculo contagionis.

R. Tenebuntur, quia in huiusmodi, vbi periculum est æternæ damnationis, habet locum illa regula (*a*) iuris, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam*, quod etiam speciatim notauit (*b*) Adrianus.

a *Clem. 1. de priuileg. & Clemen. dudum. de Religiosis.*

b *Conc. Carthag. 1. c. 7.*

QVÆSTIO III.

Absente siue iuste siue iniuste pastore, an possit aget aduocare sacerdotem religiosum, qui illi hoc sacramentum ministret?

Quæstionis explicatio.

IVre(a) Canonico vetatur, ne quis ab alio quam proprio parocho sacramenta percipiat, nisi illius aut Superioris licentia habita, & in particulari de hoc sacramẽto habetur in Concilio(b) Carthaginens. *Statuat grauitas vestra, vt vnusquisque clericus vel laicus non communicet in aliena plebe absque literis Episcopi sui, & omnes Episcopi responderunt, in hoc clero & laicis conuenientissime prouideri.* Et in priuilegiis datis ordinibus mendicantium, quibus conceditur illis facultas, vt possint hoc sacramentum fidelibus dispensare, excipitur communio Paschalis & articuli mortis, quo per modum viatici sumi debet Eucharistia. Et difertis verbis Paulus III. in priuilegio Patribus Societatis concesso illum expressit: Horum occasione quæritur, an absente, siue iuste, siue iniuste parocho, poterunt peste infecti religiosum aduocare, qui illis sacrtum hoc administret?

a *Clement.1. de priuileg. & Clem. dudũ, de Religiosis.*
b *Conc. Carthag.1.c.7.*

Responsio.

ALiqui existimant non posse, vt(c) Nauarrus & (d) Syluester, & fundari videntur,

c *c.1. Man. num.25.*
b *verb. excõmunicatio.7*

dentur, quia Eucharistia non est sacramentum necessarium ad salutem: Alii (a) verius putant non solũ posse, sed etiam ægrũ tenere talem vocare in necessitate siue extrema siue graui, qualis cõmuniter in tali casu reperiri solet. Ratio horum est, quia in (b) iure tempus interdicti, mortis articulo æquiparatur quoad pœnitentiã & Eucharistiam: Sed pœnitentia potest à quocunq; in illo articulo dari, vt patet ex Concil. (c) Triden. ergo & Eucharistia; plus enim videtur esse eam concedere tempore interdicti, quam vt à quocunq; sacerdote ministretur. Confirmatur, quia dispensatur in præcepto ieiunii, ne infirmus decedat sine cõmunione, vt notum est, ergo à fortiori dispensabitur vt in tali articulo per quemcunque sacerdotem ministretur Eucharistia. Deinde tenetur ecclesia suis subditis fidelibus subuenire, præsertim in spiritualibus necessitatibus: necessitas autem huius sacramenti, quamuis non sit extrema, est tamen valde grauis, vt antea ostensum est.

a *Angel. ver. excõmunicatio c. 5. cas 12. n. 5. cum ibi citatis.*

b *c. Quod in te, de pœnit.*

c *Sess. 14. c. 7. de doct. pœn.*

Dices: Absente pastore tempore paschatis, non potest subditus vocare aliquem religiosum, qui illi ministret Eucharistiam, vt satisfaciat præcepto communionis paschalis, nisi prius habita facultate à suo pastore

ſtore vel ſuperiore, ergo nec licebit illi in articulo mortis.

℟. Negando conſequentiam: Eſt enim maxima ratio diuerſitatis inter articulum mortis & alias neceſſitates, quia in illo abſente (*a*) paſtore, ſicuti propter vrgentem neceſſitatem, licet cuicumque ſacerdoti beneficium abſolutionis impendere; ita etiam licet hoc ſacramentum miniſtrare, etiamſi non habeant ad hoc ſpecialem facultatem à paſtore conceſſam: aliis vero caſibus, quibus ea non ineſt neceſſitas, non licet, niſi ſuppoſita aliqua facultate vel priuilegio miniſtrandi.

a *arg. c quod in te, de pœn. & remiſſ.*

QVÆSTIO IV.

An etiam poſsit aduocare nominatim excommunicatum, ſuſpenſum, irregularem, realiter degradatum hæreticum?

Quæſtionis explicatio.

SI non defuerunt qui negarent huiuſmodi poſſe aduocari in neceſſitate baptiſmi & pœnitentiæ, mirandum non eſt non defuiſſe (*b*) qui negarent poſſe vocari in neceſſitate huius ſacramenti, quod (vt diximus) non eſt tantæ neceſſitatis, ſicut præcedentia: Horum occaſione quæritur, an in neceſſitate huius ſacramenti poſſint tales

b *Durand. & Palud. in 4. diſt. 13.*

tales in defectum aliorum aduocari?

Responsio.

POssunt: secluso periculo scandali publici, aut infamiæ religionis aut similis alterius periculi, quia pœnitētia & Eucharistia quoad hoc in (*a*) iure æquiparantur: Sicut ergo pro sacramento pœnitentiæ in necessitate vocantur quicumque sacerdotes, quantumuis præcisi & hæretici; ita etiam vocari poterunt pro sacramento Eucharistiæ. Neque hoc in fauorem hæreticorum, & huiusmodi malorum ministrorū sed solum ipsorum fidelium in necessitate existentium: sic enim censuræ latæ sunt in odium iniquorū, vt non cedant in grauissimum detrimentum bonorum fidelium.

a *c. Quod in te. de pœnit. & remiss.*

Dixi: (*secluso periculo scandali aut infamiæ religionis*) quia illis positis nullo pacto licet, vt notum est.

Dices, (*b*) D. Gregorius laudat Hermenigildum, eo, quod in fine vitæ noluit ab hæretico Eucharistiam accipere.

b *lib. 6. Dialog. c. 31. & habetur in c. superuenient. q. 1. c. vlt.*

R. Fuisse tunc periculum infamiæ religionis & aliorum incommodorum, quæ recensuimus, quantum ex historiis colligi potest, & ideo merito laudatur, tum ob rectam intentionem, tum ob prudentem actionem, qualis Catholicum & sanctum Principem decebat.

QV Æ-

QVÆSTIO V.

An etiam Diaconum?

Quæstionis explicatio.

CErtum est solos sacerdotes licite conficere & dispensare hoc sacramẽtum imprimis ex illo D. (a) Pauli: *Sic nos* (id est sacerdotes) *existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*: nam si in genere de sacramentis hoc dixit D. Paulus, multo magis de hoc, quod omnium est dignissimum; Et ex illo Christi, (b) *Hoc facite*, quod ad solos sacerdotes pertinet, Christ⁹ aũt consecrauit & dispẽsauit, ergo vtrumq; solis sacerdotibus commisit. Postremo ex Conc. (c) Rhemensi: *Presbyter* (inquit) *per semetipsum infirmum cõmunicet, quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiaceat*: Horum occasione quæritur, an in casu extremæ vel grauis necessitatis, in quo versamur, licebit absente sacerdote vocare Diaconum, qui ægro viaticum administret?

a 1. Cor. 11.

b Matth. 26.

c c. 2. in c. Peruenit, de cons. dist. 2.

Responsio.

LIcebit: Probatur pluribus Conciliis, vt (d) Nicæno, (e) Arelatensi, (f) Carthaginens. quibus constat Diaconos in necessitate ministrasse corpus Dñi ex Episcopi vel presbyteri facultate; sic enim vt cætera breuitatis causa omittamus, Carthaginẽse loqui-

d d. 14.
e c. 18.
f c. 38.

loquitur: *Diaconus præsente presbytero Eucharistiam Christi populo, si necessitas cogat, eroget.* Deinde probatur antiqua ecclesiæ cōsuetudine, qua constat hoc sacrtum interdum à Diaconis dispensatum fuisse, præsertim quoad speciem sanguinis, vt patet ex (a) Cypriano: *Solemnibus* (inquit) *adimpletis Diaconus calicem offerre præsentibus cœpit*: Et ex verbis S. Laurentii ad Sixtum: *Experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis dispensationem.* Nec refert quod de sanguine loquuntur, qui ex calice bibendus propinabatur, quia etiam legimus apud Iustinum (b) per Diaconos vtramque speciem fuisse ministratam, sic enim ibi scribitur. *Absoluta gratiarum actione præsulis, & emanatione totius populi, Diaconi (quos vocamus) dant singulis præsentibus partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia.*

a *lib. de lapsis, circa fin.*

b *Apolog. 2. pro Christiania*

Non obstat quod ante diximus, mandari presbyteris sub graui pœna, vt per semetipsos infirmis ministrent, quia dictum capitulum loquitur de quibusdam presbyteris, qui laico vel fœminæ sacrum corpus Domini tradebant ad deferendū infirmis, quod ibi detestatur Concil. Rhemense, & licet idem capitulum post hæc subiiciat,

vt *presbyteri per semetipsos infirmum communicent*; tamen ibidem glossa subiungit, vel *per Diaconum, si necesse est*, vt patet loco citato.

Dices primo: Quid si sacerdos sit præsens, nec ipse velit ministrare, nec Diacono facultatem dare, licebit nihilominus Diacono hoc sacramentum ministrare?

a *verb. Diaconus, n. 3. §: Dico secundo.*

R. Syluester (a) putat non licere, etiamsi ex sola malitia facultatem denegeti *quia* (inquit) *Diaconus non potest id facere, nisi vt instrumentum presbyteri; tunc autem non potest Diaconus habere rationem instrumenti si principale agens illum mouere nolit.* Sotus (b) affirmat licere, idque longe probabilius. Et ratio est, quia præsentia sacerdotis sua potestate abutentis reputanda est ac si nulla esset, & recurrendum ad voluntatem interpretatiuam superioris aut ipsius Christi, qui in eo casu censetur dedisse huiusmodi facultatem. Supponendum tamen hic, sicut & in multis casibus, nullum esse graue scandalum, & satis constare, sacerdotis voluntatem hanc facultatem negantis esse iniquam; nam si fortassis rationabilem aliquam suæ negationis rationem haberet, eius voluntati merito parere deberet Diaconus.

b *in 4. dist. 13. art. 3.*

Dices secundo: In aliis sacramentis videmus

demus obseruari, vt nemo illa ministret, nisi qui simul conficiat: Sed Diaconus non potest hoc sacramentum conficere.

℟. Magnam esse rationem diuersitatis: In aliis enim sacramentis non distinguitur vsus ab ipso sacramento, & ideo cui datum non est, vt possit conficere sacramentum, eidem prohibitum est, ne possit illud dispensare, non enim possunt illa duo separari: hic vero effectio & collatio sacramenti sunt res distinctæ & separabiles, & ideo non est necesse, vt cui data non est potestas conficiendi, sit semper prohibita dispensatio.

QVÆSTIO VI.

An tandem clericum inferioris ordinis, vel etiam laicum?

Quæstionis explicatio.

POtest accidere, vt grassante & sæuiente peste, Sacerdotes & Diaconi, aut peste sint infecti, aut mortui, aut absentes, sint autem alii clerici, vt Subdiaconi, Acolyti, & similes, vel etiam laici pii & sacrarum cæremoniarum periti: Quæritur eo casu, an licebit huiusmodi ministrorum opera vti?

Responsio.

HActenus dici solet non licere, quia videtur esse contra ecclesiæ consuetudinem, hodie tamen (a) plures opinantur licere, quia non est ex natura rei malum, neque contra reuerentiam sacramenti, neque aliquo præcepto diuino aut ecclesiastico prohibitum. Non primũ, quia certum est, fideles aliqñ solitos hoc sacrtm manib. sumere. Non secundũ, quia supponitur ex parte suscipiẽtis necessitas & dispositio sufficiens, & ex parte ministrantis reuerentia debita & necessitas, quia non est alius qui ministret, nulla ergo fit sacramento irreuerẽtia. Neq; potest dici malum, quia diuino iure prohibitum, nullum enim tale ius est. Neque etiam quia ecclesiastico, siquidem nullum est quod specialiter de hoc necessitatis casu loquatur; nam & iura quæ generaliter loquuntur, semper hunc casum excipere cẽsenda sunt, vt patet de excommunicatis, schismaticis, &c.

a *Zuar. tom. 3. in 3. D. Th. disp. 72. sect. 3 Caiet. in c. 26. Matth. Zaverb. Eucharistia, num. 32.*

Dices primo: Est contra ecclesiæ consuetudinem.

℟. Ecclesiæ consuetudinem eandem recipere interpretationem, quam iura quæ generaliter loquuntur; ad summum enim habet vim legis positiuæ, & hic casus tam rarus est, vt de illo non possit dici consue-

tudo

tudo introducta: nam si quando occurrit, interdum etiam legitur datum hoc sacramentum à laico.

Dices secundo: Licebit quoque & illo casu laicum in peccato mortali existentem aduocare?

R. Licebit primo, quia æger petit actionem honestam & sibi necessariam, quam ille honeste & laudabiliter si velit, facere potest. Secundo, quia laicus in simili necessitate ministrans in peccato mortali, non peccat saltem mortaliter, vt plures (a) Doctores asserunt. Sicut nec laicus baptisans propter similem necessitatem in peccato mortali. Neque obstat, quod communiter dici solet illum, qui dispensat hoc sacrtum in peccato mortali peccare mortaliter, quia id intelligi debet de solẽni administratiõe, & quę fit à ministro ad id cõsecrato; Et consequenter non est verum, quod dicit (b) Paludanus idem esse dicendum de sacerdote ministrante hoc sacramentum in simili necessitate, quia communis opinio est illum peccare mortaliter, quamuis interdum poterit excusari propter naturalem inaduertentiam, quæ prouenire posset ex nimia sollicitudine, quæ in huiusmodi necessitate à timoratis & prouidis pastoribus subinde adhiberi solet.

a *Palud. in 4. dist. 5. q 2. cõcl. 3. Zuar. in 3. D. Tho. disp. 72. sect. 4. §. Sed obiicies.*

b *supr.*

QVÆSTIO VII.

Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrare?

Quæstionis explicatio.

HActenus ostendimus, qui possint & teneantur hoc sacramentum tempore contagioso ministrare: sequitur ordine, vt dicamus de iis, quibus debet vel non debet administrari.

Responsio.

TEnentur pastores, quantum in ipsis est, curare, vt omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrent: sunt tamen casus plures, quibus ab illius administratione excusantur. Vtrumque certum est, vt patet ex prima quæstione, nequid frustra repetatur.

Dices: Plerique omnes peste infecti incapaces sunt huius sacramenti, siquidem ii laborare solent, tum animi, tum corporis symptomatibus, vt probationem & reuerentiã, quam habere necessum est ad hoc sacramentum recipiendum, adferre non possint, vt superius insinuauimus.

℟. Idcirco nos dixisse, quantum in ipsis est allaborare debere pastores, vt omnibus ministrent: Sed de his in sequentib. aliquid particulatim dicendum est.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

An etiam in amentiam & furorem actis?

Quæstionis explicatio.

NOn desunt (a) qui existiment, nonsolum non teneri pastores huiusmodi ægris ministrare, sed nec licere, quia hoc est (secundum illos) contra reuerentiam sacramento debitam: Idcirco quæritur, an pastores teneãtur in casu pestis hoc sacramentum ministrare huiusmodi sic affectis, an vero excusentur?

a *Alensis in 4.q.4.mẽbr. 4. Gab. dist. 9.q.2.dub.4.*

Responsio.

TEnentur, si ante amentiam piam erga hoc sacramentum mentem ostenderint, nec timeatur periculum vomitus, expuitionis aut similis irreuerentiæ. Sic enim in Concilio (b) Carthaginensi habes: *Si quis pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt & accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Probatur idem ratione, quia huiusmodi homines sunt capaces effectus huius sacramenti, saltem quantũ ad habitus gratiæ & virtutum; quod probatur vsu antiquo ecclesiæ, quo dabatur pueris

b *c. Is qui 26 ex Concilio Carthag. 4. can. 36.*

ante vsum rationis Eucharistia, quod nunquam fuisset factum si effectus sacramenti capaces non fuissent. Et confirmatur, quia fieri potest, ꝙ huiusmodi amẽtes peccarint mortaliter, & in amentiã inciderint tm̃ attriti, qui per Eucharistiã ex opere operato efficerentur contriti. Neq; refert, si dicas illud beneficium sufficienter conferri per absolutionem, vel extremam Vnctionem, quia contingere potest, vt neutrũ horum sacramentorum applicari possit, possit autẽ Eucharistia, vt adsit hostia consecrata, & Diaconus, non autem sacerdos. Postremo probatur, quia sic ægrotantes explicite, vel saltem implicite petendo hoc sacramentum, ius ad illud acquisiuerunt, ergo non debet illis denegari.

Dixi, (*si piam erga hoc sacramentum mentem ostenderint*) quia alias excusarentur pastores; sed rarus est casus in Catholicis, qui solent quotannis hoc sacramentum sumere, qui idcirco in hoc casu semper præsumuntur saltem implicite petere.

Dixi 2. (*Nec timetur periculum vomitus, expuitionis, vel similis alicuius irreuerentiæ*) quia excusabitur pastor ab administratione propter reuerentiam sacramenti.

Dices: Apostolus (*a*) in recepturo hoc sacramentum requirit probationem; *probet* (inquit)

(*a*) 1. Cor. 11.

(inquit) *seipsum homo.* Non possunt autem amentes se probare.

R. Nos præsupponere probationẽ præcessisse amentiam, neq; per contrariam voluntatem interruptam fuisse.

Dices 2. (*a*) Caietanus ad recipiendum effectum huius sacramenti requirit actualem deuotionem, quam non habent nec possunt habére amentes.

a *In 3. p. D. Thom. q. 79. num. 1.*

R. Eum loqui contra coẽm Theologorum sententiam & veritatem, quæ clare & certo cõfirmatur vsu ecclesiæ antiquæ, quo (vt statim diximus) pueris necdum vsum rationis habentibus, statim à baptismate infundebatur Eucharistia.

QVÆSTIO IX.

An etiam pueris, & qua ætate?

Quæstionis explicatio.

DIximus superiori capite qua ætate teneantur pastores pueris peste infectis ministrare sacramentum Pœnitentiæ; modo non erit inutile inquirere, qua ætate iidem teneantur illis ministrare sacramentũ Eucharistiæ, fit enim sæpe vt prætextu minoris ætatis, quę tamen plusq̃ sufficiens est, pueri hoc augustissimo sacramento eiusq; gratia fruſtrentur, non sine graui salutis spiritualis damno & periculo.

Responsio.

TEnentur pastores ministrare hoc sacramentum pueris peste infectis, si habeant vsum rationis sufficientem ad peccandum, & capaces sint sacramenti Pœnitentiæ, quia tales sunt capaces fidei & sufficientis reuerentiæ sacramenti, & non possunt expectare commodiorem neque meliorem dispositionem ad illud recipiendum propter instãtem mortem. Confirmatur, quia etiam in illis locum habent verba (*a*) Christi: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. cum vim & obligationem illorum possint percipere & adimplere, seipsos tolerabiliter probando, vt digne percipiant, voluntarieq; manducando, ergo in tali articulo obligãtur præcepto diuino communicandi sicut & alii. Insuper Eucharistia est quodammodo necessaria necessitate finis ad conseruandam gratiam, ergo non est neganda iis, qui gratiam possunt amittere, cuiusmodi sunt tales pueri: Quod à contrario sensu colligitur ex Concilio (*b*) Tridentino, dum negat dandam esse Eucharistiam infantibus ante vsum rationis, *quia* (inquit) *gratiam non possunt amittere.* Præterea adultus post (*c*) decimumquartum annum debet communicare, etiam dum bene valet, licet habeat adhuc debilem vsum

a *Ioan.8.*

b *Sess 21. c. & can.24.*

c *D.Thom 3 p q.40.ar.12. Viguerin.c.3. §.3.vers.20. Soto dist. 12. q.1. Sylu.verb Eucharistia. 3.Ang.q.3.de Eucharistia.*

sum rationis, dummodo habeat aliqualem deuotionem ad Eucharistiam, & instruat sufficienter, licet crasse: ergo ea dispositio sufficiet in pueris in tanta necessitate, qualis est articulus mortis, vt recipiant Eucharistiam conseruatiuam gratiæ vsque ad finem. Postremo, nullus fidelis in illo articulo priuatur Eucharistia, quantumuis antea facinorosus fuerit, si ostendit signa pœnitentiæ: ergo non sunt tanto bono priuãdi pueri, qui sunt tolerabiliter illius capaces: Imo nec priuantur amentes & furiosi, si ante furiam piam erga hoc sacramentũ voluntatem ostenderint.

Dices. Qua ætate tenentur pastores dare illis Eucharistiam?

℟. Hunc ætatis terminum non posse indiuisibiliter præscribi, sed ad summum dici posse, illum contineri à decimo vsque ad decimumquartum annum, quia moraliter loquendo neque ante decimum incipit vsus rationis, qui sufficiat ad receptionẽ huius sacramenti, neque vltra decimum quartum differtur, & consequenter, non differt vltra illũ annum obligatio illis ministrandi hoc sacramentũ: quotquot enim Doctores loquuntur de ætate, qua pueri debent Eucharistiam percipere, assignant vel decimum vel vndecimum vel duodecimum

cimum, vel decimumtertium, vel decimũ quartum annum, vel circiter. Caietanus (a) dicit, aptitudinem in pueris ad percipiendam Eucharistiam, incipere à decimo vsq; ad duodecimum: Paludanus (b) dicit, circa nonum vel decimum, & rationem subdit, *quia innocentia compensat ignorantiam.* Maior (c) innuit octauum vel nonum, sed rarissime contingit, vt ea ætate sint idonei, vt dicit (d) Sotus. Gabriel (e) dicit, pueris posse dari decimo vel vndecimo anno. D. Thomas (f) dicit, dandam esse pueris, qui sumpturi sunt illã cum aliqua deuotione: Rursus (g) alibi dicit, posse dari, quando iam pueri incipiunt aliqualem vsum rationis habere, vt possint deuotionem concipere huius sacramenti: Nauarrus (h) dicit, pueros debere cõmunicare vno aut altero anno postquam cœperint confiteri, atq; adeo nono vel decimo anno, quia communiter septimo anno apti sunt ad confessionem, vt ante ostendimus. Ex quibus patet, omnes in eo conuenire, pueris posse dari Eucharistiam anno decimo & deinceps, si sint aliquo modo apti, vel per se, vel ex instructione aliorũ. De hac re vide Zambranum (i) in decision. aur. casum conscien.

Dices 2. Tenentur ergo pueri statim decimo ætatis anno communicare?

Resp. cum

a 3. p. q. 90. ar. 9.

b dist. 9. q. 4. in fine.

c dist. 9. q. 1. arg. 3. conc. 2.

d In 4. dist. 12 q. 1.

e dist. 9. q. 2. art. 3.

f Ibid. qu. 1. art. 3.

g 3. p. qu. 80. artic. 9.

h c. 21. n. 57. & num. 3.

i c. 3. de Euchar. dub. 3.

R. cum (a) Soto: Non ſtatim ac pueri perueniunt ad ætatẽ, in qua licite poſſunt cõmunicare, ad id obligari, ſed poſt aliq; tempus, v. g. poſt annũ aut alterum. Nam & vſus Eccleſiæ videtur legẽ de cõmunicãdo, poſtq; ad annos diſcretionis puenerint, ſic declaraſſe, & rationi conſentaneũ eſt, vt Eccleſia nõ obliget quam primũ poteſt, ſed facultatẽ concedat expectandi per aliq; tẽpus, vel propter maiorẽ reuerentiam ſacramenti, vel ne pueri facile exponant periculo tranſgreſſionis, in quo proinde ſecurius erit vti conſilio confeſſoris; nam & ſic non diſcordabitur à verbis (b) legis, q̃ ſic habet. *Niſi forte à proprij ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendũ.*

a *In 4. diſt. 12. art. 9.*

b *c. Omnis vtriuſq; ſexus.*

Dices 3. Tenebunt etiã in arĩo mortis, de quo diſput. pueri ea ætate cõmunicare?

R. Corduba (c) dicit, ratione conſuetudinis excuſari cõmuniter pueros à cõmunione, fœminas quidẽ ante 12. vel 13. annũ, etiam in arĩo mortis. Idem docet (d) Nauarrus, qui dicit, conſuetudinem non tantum limitaſſe aut declaraſſe præceptum de Paſchali cõmunione, ſed etiã præceptum de communicando: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: videlicet, vt neq; in articulo mortis teneantur pueri

c *lib. de caſibus quæſt. 90*

d *c. 21. n. 5.*

Ioannis 6.

pueri cõmunicare vsque ad ætatem in qua sani tenentur.

Dices quarto: Excusantut similiter pastores à communione puerorum peste infectorum, ante illam ætatem, duodecim vel tredecim annorum in fœminis, & quatuordecim vel quindecim in masculis?

℟. Videntur eadem ratione excusari.

Dices postremo: Quid si (vt contingit in quibusdam rusticis & aliis) etiam post illam ætatem, puta, annum decimumsextum, decimumseptimum, decimumoctauum, habeant adhuc debilem vsum rationis, excusabitur quoque pastor à communione huiusmodi rusticorum?

℟. Non excusari, sed præmissa sufficienti, pro capacitate illorũ, instructione, teneri illis ministrare, quia (sicut ante obiter diximus ex D. Thomá) sufficit, vt communicaturi habeant aliqualem vsum rationis, sufficientem videlicet ad concipiendam aliquam deuotionem & reuerẽtiam ad hoc sacramẽtum, præsertim in articulo mortis, in quo diximus minorem dispositionem excusari quàm extra illum.

):(

QVÆ

QVÆSTIO X.

An etiam illis, qui paucis diebus ante conceptum morbum communicarunt?

Quæstionis explicatio.

INualuit multis locis laudabilis admodũ consuetudo, vt pleriq; singulis septimanis communicent: Quæritur itaque, quid si quis intermedio communionis tempore peste corripiatur, an pastor teneat illi hoc sacramentum per modum viatici ministrare, an vero excusetur?

Responsio.

QVidam (*a*) putant teneri hac ratione. quia in articulo mortis tenentur omnes communicare per modum viatici, vt ex hac vita felicius & securius migrent: sed qui modo antedicto communicauit, non sumpsit Eucharistiã vt viaticum, ergo morbo concepto tenetur iterum eam vt viaticum sumere, & consequenter tenebitur pastor illi ministrare. Confirmatur, quia hæc obligatio est propria illius temporis, quo adest tale periculum, nec orta fuerat, quãdiu periculum non imminebat, ergo illi satisfacere non potuit per communionem prius

a *Petrus de Ledesm. 1. p. Summæ de Euchar. c. 15. concl. 4.*

prius factam: Sicut econtra si existente periculo mortis homo peccaret communionē omittendo, & postea periculum euaderet, non teneretur priorem obligationē implere, quia iam cessauit. Alii (a) putant non teneri idq; (vt apparet) probabilius, quia illi in substantia satisfecerūt præcepto communicandi in articulo mortis per modum viatici; est enim sensus huius præcepti hominem teneri paulo ante mortem cōmunicare, nam finis præcepti videtur esse vt per communionē homo se ad transitum ex hac vita præparet, quod satis assequit, paulo ante mortem communicando. Sicut qui audiuisset sacrū die festo ignorans tunc esse festum, talis non teneretur eodem die iterū aliud sacrū audire postquam cognouit esse diem festū. Confirmatur, quia tempus est breue à morbo, nam moraliter tēpore pestis periculum morbi & mortis imminet, & reuera existit, licet illud homo ignoret, & ideoiam censet adesse obligatio in re ipsa, quamuis homo ob ignorantiā excusetur, ꝙ tamen non obstat quo minus per communionē eo tempore factam illi obligationi satisfaciat eo, vel maximè quod vnusquisq; in suis actibus censetur habere intentionē virtualem & implicitam implendi omnem obligationem quam potest & debet, licet forte illam ignoret, Di-

(a) *Palud. in 4. dist. 9. q. 1. Soto. ibid.*

Dices. Quid si æger communicauit à quindecim diebus, tenebiturne iterum cõmunicare?

a *In 4. dist. 9 art. 1. q. 1.*

℟. Paludano (*a*) videtur quod non, qa ille extendit communionem per modum viatici, etiã vsq; ad quindecim dies. Idem videtur sentire Zuares, qui istud tempus extendit vsq; ad 17. vel 18 & cosenquẽter non tenebitur pastor illi ministrare: Sed sane non est tempus illud multum extendẽdum, quia securius & fructuosius est communicare. Mihi itaq; videt, non teneri, si 4. 5. 6. vel 7. dies ante imminentem mortẽ communicasset, sed si pluribus, dubiũ mihi esset simpliciter, nisi homo talis esset, q singulis hebdomadib. communicare consueuisset, & fere non confiteretur, nisi venialia, & pastor sciret illum forti animo esse, & ad mortem obeundam bene dispositum, neq; vlla exhortatione indigere, &c. quia talis non esset in necessitate, aliàs in dubio teneretur, vt in simili casu alibi diximus, quia illud est (*b*) tutius, & ideo hoc casu, quo de salute agitur, magis amplectendum

b *c. ad audiẽtiã, de homicidio.*

):(

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

An etiam illis, qui viaticum sumpserunt, sed paulo post in peccatum mortale lapsi sunt?

Quæstionis explicatio.

PEste infectis (vt aliquoties dixim⁹) non raro accidere solet, vt in impatientiam blasphemias & desperationem incidant, siue vi & magnitudine morbi, siue quod à suis parentibus, amicis, vicinis, omnique solatio humano sint destituti: Huius occasione quæritur, an pastor teneatur pluries dare communionem per modum viatici, an vero excusetur?

Responsio.

Quidam (*a*) existimant teneri pluries dare per modum viatici, idque toties, quoties quis reincidit in peccatum mortale, donec ex hac vita decesserit, sed nullum afferunt testimonium aut probabilem rationem, & ideo, qua facilitate hæc obligatio asseritur, eadem reiici potest: Aliis (*b*) probabilius multo videtur, pastorem non teneri pluries viaticum dare; quia talis obligatio neque ex sacra Scriptura, neque ex traditione & consuetudine Ecclesiæ, nec deniq;

a *Sot. dist. 12. q. 1. a. 11. Armilla verbo Communio. nu. 11. Tabiena verb. cõmunicare, n. 56.*

b *Zuar tom. 3. de sacram. disp. 69. se. 3.*

denique ex institutione aut natura huius sacramenti colligi potest. Non ex institutione, quia hoc sacramentum non est institutum ad peccatum mortale tollendū, ꝓpter quam causam diximus superiore cap. ꝓceptum confessionis obligare toties quoties mortaliter peccatur. Neque ex scriptura, traditione aut consuetudine & vsu Ecclesiæ, quia nusquam leguntur, imo vero est cōtra morem Ecclesiæ: nam regulariter talia peccata sunt occulta; viaticū autē non nisi publicè accipi potest: quomodo ergo obligabit ægrotus paulopost acceptum viaticū ad iterum petendum illud ꝓpter occultum peccatum, ex fragilitate aut vi morbi commissum.

Dices: Peccatum mortale videtur hanc obligationem inducere, quia priuat hominē effectu huius sacr̄ti: ergo vt illud recuperari possit, debebit sacramentū repeti.

℟. Negando consequentiam: 1. quia iuxta veriorē sententiā effectus ille recuperari potest per pœnitētiam: deinde, etsi non recuperetur, non est simpliciter necessarius ad salutem; alioquin si hæc consequentia esset valida, etiamsi homo intra eundē diem peccasset mortaliter post viatici sumptionem, & eodem die timeretur mors, deberet iterum communicare, imo sæpius e-

odem die, sicut sæpius teneretur confiteri in eodem casu, quod simpliciter falsum est, & contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem.

QVÆSTIO XII.

An etiam de peccato mortali suspecto?

Quæstionis explicatio.

Glossa in ca. Dixit Dominus.

PRo intellectu quæstionis, oportet cum Canonistis distinguere triplicem suspicionem temerariam, probabilem & violentam. Temerariam vocant, quæ nullo probabili fundamento nititur, quæ idcirco non est rationabilis, sed potius iniusta: probabilem, quando intercedit sufficiens ratio ad generandum dubium, nō vero ad iudicandum simpliciter de peccato alterius: Violentam, quæ probabili ratione deponi non potest. Hoc supposito quæritur, an in casu pestis & articuli mortis teneatur pastor ministrare hoc sacramentum de peccato mortali suspectis, an vero excusetur?

Responsio.

INprimis tenetur pastor ministrare hoc sacramentum, primo modo suspectis: quia

quia nulla subest causa, cur negari debeat sacramentum illi, qui cum sit vir bonus, & pro tali merito reputatus, ius ad illud petendum & recipiendum habet.

Secundo, tenetur etiam ministrare probabiliter suspectis, quia pastor dubitat tantum, an forte peste infectus peccatum mortale habeat, & (*a*) *qui non probatur suffi-* a *c. fin. de cinter malus, præsumendus est bonus*: Ergo *præsumpt.* cum vir bonus habeat ius ad sacramentum non debet propter prædictam suspicionē aut dubitationem illo priuari.

Tertio (*b*) tenetur quoque pastor in ca- b *Zuar. tom.* su mortis ministrare sacramentum violen- *3. de sacram.* ter suspectis, si peccatum negent, & aliqua *disp. 57. sect.* exhiheant signa bonæ dispositionis, tum *6.* propter periculum, quia fieri potest, quod saluarentur cum sacramento, qui sine illo damnarentur, si videlicet ad sacramentum fint dispositi, etiam per solam attritionem; tum quia illæ circumstantiæ videntur maximi ponderis, ad deponendam suspicionem in articulo mortis.

Hæc doctrina videtur probabilis & pia etiam in praxi plectenda, quia in tali casu meo quidē iudicio nimis seuer⁹ esset, neq; maius dicā, qui tunc negāti credere nollet,

in illo siquidem articulo quilibet fidelis p-sumi debet salutis suæ memor, & dicere, q dicit, vt saluetur. Neque obstat communis doctrina Theologorum, quæ dicit, negandum hoc sacramentum violenter suspectis, quia intelligenda est extra articulũ mortis, in quo positis duobus, quæ statim diximus, suspicio quamuis violenta, sufficienter eneruatur.

Dices: Sacramentum habet etiam suum ius, vt digne tractetur, sed fieri potest, vt cum datur probabiliter vel violẽter suspectis, fiat iniuria sacramento: ergo non tenetur pastor dare sacramentum huiusmodi suspectis.

℟. Quando sacramentum datur hominibus sic suspectis in articulo mortis, non fit contra hoc ius ex parte dantis, quia si forte huiusmodi suspecti illud indigne tractẽt cum hoc lateat, non potest danti imputari, & ideo non potest hac sola de causa illos priuare iure suo, de quo illi constat, non item de peccato illorum.

QVÆ

QVÆSTIO XIII.

An etiam illis, quos scit pastor per solam confessionem in peccato mortali versari?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Est ancilla, quæ secreto viuit in adulterio cum domino suo: Pastor audita cõfessione huiusmodi criminis noluit illam absoluere, quia pluries monita, noluit deserere occasionem propinquam peccati, hoc est adulterii: Modò peste correpta aduocat pastorem, & sibi deferri petit venerabile sacramentum. Quæritur an pastor excusetur, an verò teneatur illi deferre & dispensare?

Responsio.

QVia publice petit, tenetur ei deferre, & dispẽsare. Est assertio omnium ferè Theologorum, qui hanc quæstionẽ attigerunt, & colligitur ex variis (*a*) Conciliis, & locis (*b*) iuris Canonici. Illius rationes variæ afferuntur: Potissima videtur; quia negare peccatoribus occultis publice Eucharistiam petentibus, esset illos infamare, quod est intrinsece malum. Confirmatur, quia pertinet ad commune bonum & con-

a *Conc. Vas. 1. c. 8. Africã. c. 99. & 100.*

b *c. Si autẽ, c. Placuit, 6. q. 2. c. Si Sacerdos, de off. Ordin.*

uenientem Ecclesiæ, vel cuiuscunq; Reip. gubernationem, vt communia bona, quæ publice distribuenda sunt à publico ministro, ad hoc munus à Republica vel Reipublicæ Principe destinato, dispensentur iuxta merita singularum personarum, non iuxta priuatam scientiam ipsius ministri, sed publicam & notoriam: Huiusmodi autem est dispensatio huius sacramenti, ergo quando publice fit, non est regulanda per scientiam priuatam. Confirmatur, quia nisi prædicta regula seruetur, possent multa scandala & perturbationes exoriri; siquidem possent ministri sacramenti infamare quos vellent, & peccatum vel indignitatem fingere, vbi non esset, præsertim tempore pestis, quo plerique omnes à ministratione sacramentorum excusari petũt. Et econtra possent fideles sæpe formidari, ne à ministris huius sacramenti infamarentur. Confirmatur 2. communi exemplo de iudice, qui secundum probabiliorem opinionem tenetur iudicare secundum allegata & probata saltem in ciuilibus etiam contra priuatam scientiam ob similem rationem. Accedit, quod practice loquendo in articulo mortis potest p̃sumi, quod in præsentia sacramẽti ob instantem mortem, mentẽ mutabunt & vere conterent.

Dices.

Dices primo. Fit iniuria Christo, tradēdo illum indigne: ergo potius negare debet, etiam cum infamia occulti peccatoris.

℟. Negando quod assumitur, quia non tradit illi, quem scit indignum scientia illa, videlicet, publica; alioquin si publice sciret indignum, tunc procul dubio iniuriam faceret Christo, & grauissime peccaret.

Dices secundo: Facit contra conscientiam, dando sacramentum indigno.

℟. Non facere, quia dictamen conscientiæ tunc non est regulandum per scientiam priuatam, quam habet, maxime per confessionem; sed per scientiam publicam sicut ante diximus.

Dices terrio. Saltem cooperatur peccato sic indigne accipientis.

℟. Non cooperari proprie, sed potius permittere, quod iuste non potest impedire, defectu, vt diximus, scientiæ publicæ.

):(

QVÆSTIO XIV.

An etiam publicis Vsurariis, Concubinariis Meretricibus, in publico prostibulo commorantibus?

Quæstionis explicatio.

PVblici vsurarii, concubinarii, & meretrices in prostibulo habitantes, magis obnoxii sunt morbo contagioso quàm cæteri, vt annotauit (a) Maior: Vsurarii quidē quia ad ædes eorum vndecunque pauperes confluere solent, vestimenta & alia pignora deposituri, vt aliquid pecuniæ sub vsura accipere possint. Notum est autem in vestimentis peste infectorum virus pestilentiale, vt frequentius, longissimo aliquādo tempore latere, & per illa de domo in domos, oppida, prouincias & regna deferri: Meretrices vero & Concubinarii propter immoderatum coitum, quē constat contagioni causam præbere, vt alibi diximus. Horum occasione quæritur, an etiam iis peste infectis teneatur pastor ministrare hoc sacramentum, an vero excusetur?

a *Maior in 4 dist. 6. q. 2.*

Responsio.

TEnetur, si modo pro temporis opportunitate & necessitate confiteantur; vel

vel signa contritionis exhibeant, tũc enim temporis propter periculum & vrgentem necessitatem non est circa illos maior diligentia adhibenda, vel pœnitentia exigenda quam commode exhiberi & haberi possit, præsertim cum illo articulo de quolibet fideli præsumendum, sit illum facere quicquid potest, vt se bene disponat ad sumendum hoc sacramentum. Deinde quia tales pœnitentes coram Deo sunt dispositi, & apud homines ad tollendum scandalum sufficit, quod publicetur, illos pro ratione temporis pœnitentiam egisse & ea præstitisse, quæ præsens necessitas & articulus mortis permisit, vt patet ex dictis.

Dices: Publici peccatores iure (a) Canonico præcipiuntur à communione repelli, & sancti Patres grauiter arguunt illos sacerdotes, qui personas huiusmodi ad communionem admittunt: *Non parua* (inquit (b) Chrysostomus) *vobis imminet pœna* (alloquitur sacerdotes) *si quem aliqua impietate teneri scientes ei huius mensæ participationem permittatis; sanguis enim Christi de manibus vestris requiretur.* Eandem doctrinam inculcat sæpe (c) Cyprianus grauissime reprehendens eos qui peccatores post publicum lapsum ante publicam pœnitentiam & satisfactionem ad communionem admittunt.

a *c. multi, 2. q. 1. Conc. Arelat. 1. c. 4. & 5. Clem. lib. 8. constit. c. 32. c. Tuanos, & ca. Quæsitum, de cohab. cler. & mulier.*
b *Homil. 83. in Matth.*
c *epist. 10. 17. & seqq.*

R. In mortis articulo pastorem non debere nec posse maiorem satisfactionem & pœnitẽtiam exigere, quam pro ratione valetudinis, & temporis oportunitate æger præstare potest; & certum est Patres & iura, quæ exigunt publicam satisfactionem & alia non loqui de articulo mortis, vt aliquoties diximus. Secundo dico, pastorem posse & debere pœnitentiam & contritionem, quam peste infecti priuatim exhibuerunt, ipsis consentientibus vel requirentibus publicare, & quantum honos sacramenti requirit, hominibus notam facere.

QVÆSTIO XV.

An etiam iis, qui frequentem nauseam & vomitum patiuntur, vel qui continuo singultiunt vel sternutant & tussiunt, vel qui vix respirare possunt, vel quorum lingua ita intumuit, vt vix illam mouere queant, vel ita cruore est madida, vt continuo expuere cogantur, vel ita præ calore & siti aruit, vt nihil præter liquidum deglutire possint?

Quæstionis explicatio.

PLetiq; peste infecti multa eaq; grauissima symptomata patiuntur, & imprimis nauseam

nauſeam & vomitum, de quibus ante mentionem fecimus ex Medicis, Hiſtoricis, & Poëtis: Horum & ſimilium occaſione quęritur, an paſtor teneatur Euchariſtiam miniſtrare illis, qui huiuſmodi affectibus laborant, an vero ab adminiſtratione excuſetur?

Reſponſio.

EXcuſatur, ſi probabile eſt, ægrum paſſurum vomitum, antequam ſpecies ſacramentales conſumpſerit, vel non poſſe ſpecies ſacramentales dimittere in ſtomachum propter nimium linguæ tumorem, vel ariditatem, vel difficiliorem reſpirationem, vel nimis frequentem ſternutationem, tuſſim, ſingultum, cruoris excreationem, vel aliam ſimilem paſſionem, imo vero adminiſtrando peccaret, quia huiuſmodi vomitus eſt reuerentiæ tanto ſacramento debitæ maxime contrarius, & offerre ſpecies ſacramentales illi, qui quacumque ex cauſa non poteſt illas deglutire, & in ſtomachum dimittere, eſt illis abuti contra inſtitutionem Chriſti, qui dicit; *accipite & manducate.* Matth. 26.

Dico, (*ſi probabile eſt*) ne paſtores ex leui aliquo timore ſe excuſatos putent ab adminiſtratione; oportet enim, (*ſicut habet Conc.*

a *Sess.21.c.2.* *Concil* (*a*) *Trident.*) in sacramentorum administratione duo, quantum fieri potest coniungere & procurare sacramenti venerationem, & fidelium vtilitatem: quod ergo non ministretur quando probabiliter creditur, quod non possint diglutire, vel quod cum vomitu species reiicerent, hoc requirit veneratio debita sacramento; quod vero ministretur, quando tantum subest leuis & vanus timor, requirit vtilitas fidelium, si enim non sunt in gratia, & tantum sunt attriti, per susceptionem sacramenti fiunt contriti, & si sint in gratia, maiorem adhuc percipiunt per sacramentum, quam sine illo non reciperent.

Dices: Quid si vomitus non sit continuus, sed accidat per certa interualla, tenebiturne pastor interiecto tempore Eucharistiam ministrare?

℟. Si probabile est vomitum non redire, nisi post diem vnum vel tantum temporis, quantum requiritur ad consumendas species sacramentales, puta tres, quatuor,
b *c.25.n.23.* quinque horas secundum (*b*) Nauarrum, & æger existimatur esse in periculo salutis, nisi ei sacramentum ministretur, debebit illi ministrare, quia hic vtrumque coniungitur & veneratio sacramenti, quia species sacramentales sunt consumptæ, & sic desiit esse

esse sacramentum, nec amplius timeri debet illius irreuerentia, & vtilitas peste infecti.

Dices 2. Tenebunturne saltem pastores deferre talib. hoc sacramentum, si non ad sumendum, saltem ad deosculandum?

℟. Quibusdam in locis in more positum fuit, vt non valentibus sacramẽtum sumere, illud nihilominus deferretur ad deosculandum; verum hoc tempore per interpretes Concilii Tridentini damnatum est & prohibitum; sic enim habent Illustriss. Cardinales: *Non licet sacram hostiam ægrotis deferre, qui grauitate morbi impediti sumere eam non possunt, sed venerationis gratia solent eam deosculari, & si forte aliquo in loco est talis consuetudo, ea prorsus est tollenda*: quod idem prohibent nostratia parochialia, & speciatim (*a*) Mechlinienſe, & (*b*) Ruremunden. sic enim Mechlinien. *Si aliquid obstiterit, quo minus possit infirmus sacram Eucharistiam accipere tuto, vt si timeatur vomitus, vel aliquod simile inconueniens, tantum adoret sacramentum, nec detur ei osculandum.* Idem habet totidem fere verbis Ruremundense: Nostrum vero (*c*) Leodiens. sic habet: *Præterea interroget parochus, num laboret stomacho, & pronus sit ad vomitum, & eo casu (ne sacramento fiat iniuria) tantum ei sacramentum adoran-*

a *pag. 56. n. 9.*
b *pag. 80. §. meminerint.*
c *pag. 23. §. Tunc infirmum.*

adorandum proponatur ſpirituali communione contentus.

Dices: Tenebuntur ſaltem deferre ad adorandum? R. Hactenus ſic vſu receptũ fuit per omnes prouincias Belgii, vt parochialia iam allegata teſtantur, ſed nouiſſime dicitur Pius Quintus Pontifex illud prohibuiſſe: Itaque ſi ita eſt, excuſantur paſtores ab hac delatione ſacramenti ad peſtiferos: Quid vero mouerit Pontificem vt hanc delationem ſaltem ad adorandum prohiberet, huc vſque intelligere non potui, ſicut nec Bullam videre, qua illam prohibuit; fortaſſe hoc mouit, ne quorũdam error ſtabiliretur, qui dicunt, ſacramentum hoc tantæ efficaciæ eſſe, vt non tantum re ipſa ſumptum, ſed etiam ſolo animi deſiderio applicatum haberet ſacramentalem efficaciam, quod falſum eſſe tenent communiter Doctores, quorũ ratio euidẽs eſt, quia effectus proprius Euchariſtiæ prouenit ex opere operato ſacramenti, non ex opere operantis.

Dices 3. Quid ſi forte peſte infectus præter expectationem euomuit Euchariſtiam, quid faciet paſtor de hoſtia humore peſtilentiali infecta?

R. Si ſpecies ſacramentales integræ, vel in aliqua particula haberi poſſint, ſi non conſu-

consumendæ, propter periculum contagionis, sane reuerenter asseruandæ sunt, quia sub eis manet Christus, ea vero quæ tales species contigerunt vel comburenda vel purificanda sunt, iuxta ea quę habentur in regulis (*a*) Pii Quinti in Missali.

a §. *Si sacerdos euomat.*

QVÆSTIO XVI.

An etiam de peste suspectis?

Quæstionis explicatio.

SVspecti sunt de peste, vulgo, neque immerito, quotquot commorantur in ciuitate peste infecta, maxime si grassetur pestis & plurimi quotidie moriantur; probabiles enim sunt causæ, huiusmodi vel iam peste infectos esse, etiamsi morbus non appareat, vel certe peste facile corripi posse: occasione huiusmodi quæritur, an & his pastores teneantur ministrare sacramentum Eucharistiæ?

Responsio.

TEnentur, si modo rite dispositi & prę-parati sint, quia pastores tenentur dispensare sacramenta, quoties subditi illa legitime & rationabiliter petunt. De peste autem suspecti rationabiliter illa petunt, ergo. Maior est (*b*) Adriani, & fere omnium Modernorum. Minor patet, quia

b *sup.*

quia hi omnes sunt in periculo mortis, in quo omnes tenentur se munire sacramentis, vt ex antedictis notum est.

Dices: Poterunt etiam post meridiem & forte sumptum cibum ministrare suspectis, sicut & reliquis iam peste infectis?

℟. Si pastor ingressus ædes peste infecti reperit famulos & famulas, & alios post cibum & potum sacramenta petentes, quod sibi à peste timeant, non solum potest, sed etiam tenetur illis ministrare, præsertim pœnitentiæ & eucharistiæ, quia licet hoc sacramentum etiam non ieiunis in mortis periculo ministrare, illi autem, etsi adhuc sani, vt apparet, sunt, tamen in periculo mortis, cum pestis quotidie plerosq; omnes corripiat, & statim morti tradit, vt initio diximus.

Dices secundo: Licebit ergo passim in ciuitate peste infecta ministrare hoc sacramentum post meridiem & post sumptum cibum?

℟. Quod post meridiem detur illis, qui non comederunt, non est difficultas, quia licet (a) consuetudine introductum sit propter maiorem reuerentiam sacramenti, vt celebrans debeat ante meridiem inchoare & absoluere missam, communicans tamen & non celebrans potest omni hora commu-

(a) *Gabr. lect. 14. in canonem missæ. Maior in 4. dist. 13. q. 4.*

communionem sumere: De aliis difficultas est, quæ prudenti pastoris iudicio pensanda est, potest enim talis esse aëris constitutio, vt omnes de ciuitate merito pro suspectis haberi possint, quibus consequenter alias rite dispositis, posset hoc sacramentum, etiam post sumptum cibum dari. vt colligere est ex illis, quæ initio huius tractatus diximus.

QVÆSTIO XVII.

An etiam sibi ipsis peste infectis?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Pastor concepit pestem, nec est iis viribus, vt possit sacrificare, neque est alius sacerdos qui possit aut velit viaticum illi ministrare, habet vero præconsecratas hostias, quas pro communione suorum subditorum reseruabat, tenebiturne sibi ipsi ministrare, an vero à perceptione viatici excusabitur?

Responsio.

SI existimet sibi necessarium viaticum, puta, quia absentibus aliis sacerdotibus non potest aliud sacramentum recipere, tenetur sibi ministrare, quia in tali casu teneretur alteri ministrare, ergo & sibi ipsi. Confirmatur, quia cum sit pastor, habet

ius dispensandi hoc sacramentum, & ipse est in necessitate sumendi, neque est qui illi ministret, poterit ergo, imo tenebitur sibi ministrare. Neque obest, quod extra sacrificium Missæ soleat sacerdos ex manibus alterius sacerdotis sacramentum hoc suscipere, quia hoc habet locum, cum alius est sacerdos, qui velit illud ministrare. Deinde, nec hoc omnino alienum est ab vsu ecclesiæ, quia in die Parasceues sacerdos communicat seipsum, licet non sacrificet. Præterea, si quid obstare deberet, hoc esset reuerentia sacramenti; sed nulla fit irreuerentia, quia manibus ad hoc sacratis sumitur cum debita animi & corporis dispositione, vt supponimus.

Dices: Quid si adest Diaconus, qui paratus est illi ministrare, tenebitur manibus Diaconi, an propriis sacramentum sumere?

a *in 4. dist. 13. q. 4.*

Rᵗ. (a) Durandus existimat, quod potius propriis manibus deberet accipere. Ratio eius videtur esse, quam statim insinuauimus, quia pastor habet ius dispensandi hoc sacramentum ex officio, quod non habet Diaconus, nisi ex facultate superioris Episcopi vel pastoris.

Dices secundo: Quid si Diaconus sit in simili necessitate, & sint ad manum hostiæ præ-

præconsecratæ, tenebiturne sibi vnam ex illis pro viatico sumere?

R. Videtur quod sic, maximè accedente licentia Superioris, quia in illo casu teneretur alteri, ergo magis sibi ipsi, charitas enim incipit à se ipso, quod maxime in hoc casu verum est, dicit enim Ecclesiasticus: (a) *Miserere animæ tuæ placens Deo.* a c. 30.

Dices tertio: Quid si Subdiaconus aut alius in minoribus ordinibus constitutus sit in eadem necessitate, & habeat hostias præconsecratas, tenebiturne etiam sumere?

R. Quibusdam videntur teneri, vt (b) Caietano, Za, & Zuares, si loquantur consequenter; quia hi habent aliquid plus iuris ad contrectandum hoc sacramentum, quam laici, qui tamen secundum illos in tali necessitate possunt & tenentur aliis ministrare: Et confirmatur, quia si quid obstaret, hoc esset, vel quia institutioni ipsius sacramenti repugnaret, vel alicui præcepto diuino: Sed neutrum obstat: Non primum; nam sacramentum hoc institutum est per modum cibi: est autem naturale, vt quis suum cibum manibus propriis sumat: Non secundum,

b c. sup. citat.

quia non potest ostendi præceptum diuinum illud prohibens, ecclesiasticum autem non obligat cum tanto rigore, præsertim cum ius sibi subueniendi in tam graui necessitate sit maxime intrinsecum.

QVÆSTIO XVIII.

Quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc sacramentum tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

ABsoluimus duas huius capitis partes, ostendimus enim qui teneantur vel non teneantur ministrare hoc sacramentum, & quibus teneantur, & quibus non: Sequitur tertia, qua examinandi sunt modi illud ministrandi, vt videamus qui illorum probandi sint vel improbandi, quod vt dilucidius fiat, duo præmittenda sunt: Primum, hoc esse singulare in hoc sacramento, quod etiam notauit Concilium (a) Trident. vt illud fieri & consecrari debeat antequam ministretur: nam cætera omnia fiunt dum ministrantur: vnde consequitur, quod ad rem præsentem pertinet, plures tempore pestis circa ministrationē huius sacramenti nasci difficultates quam aliorum, hic enim ex duplici capite nasci possunt.

a *Sess. 13. de Eucharistia, c. 3.*

possunt: primo ex consecratione, secundo ex administratione; in aliis vero, ex sola administratione, quæ in progressu fient clariora. Alterum, hoc sacramentum, sicut est dignius duobus præcedentibus, ita est minus necessarium: secundum plerosq; enim non est necessarium necessitate medii simpliciter & absolute, sed tantum præcepti. Vnde consequitur (quod bene hic notandum est) in ministratione huius sacramenti ordinarie præferendam reuerentiam illi debitam, tali, quali necessitati priuatæ personæ: Quare non tenentur pastores ordinarie ministrare hoc sacramentũ, nisi commodè possint seruare conueniẽtem ritum ab ecclesia præscriptum, vt cõtra Maiorem bene notauit (a) Sotus, sicut contra in cæteris sacramentis, quæ sunt maioris necessitatis tenentur illa ministrare, etiam nullo ritu seruato, si hoc necessitas proximi postulet, vt in prioribus capitibus vidimus, & in sequentib. magis apparebit: His præmissis quæritur imprimis, quis sit optimus & maxime probandus modus ministrãdi hoc sacramentum tempore pestis?

a *Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 8. §. Ioannis Maioris.*

Responsio.

ILle videtur optimus, quo sacramentum hoc in certa materia & forma, quantum fieri possit, legitime consecratum, maiori

cum reuerentia, pro ratione temporis, spectata ægri valetudine & contagionis periculo, adhibitis ecclesiæ propriæ cæremoniis ministratur. Hæc responsio patet ex iis, quæ superioribus capitibus, ad similem quæstionem respondimus.

Dices: Potestne hoc sacramentum sine vllis omnino cæremoniis tempore pestis ministrari?

℟. Non potest, moraliter loquendo; neque enim videtur posse fingi casus, quo non debeat saltem adoratio huius sacramenti præmitti, tum per pastorem, tum per ægrum, si adhuc mentis sit compos; cum enim Christus ipse realiter & personaliter, etiam antequam ministretur per præcedentem consecrationem panis, præsens sit, vt fides docet, si quis eum tractet manibus, oculis videat, ore sumat, sine vlla adoratione & reuerentia, graue sacrilegiũ committit, vt rectissime D. (a) Augustinus dixerit: *neminem illam carnem manducare, qui non prius adorauerit.* Quamobrem videndum ministro huius sacramenti, ante omnia, vt omni cum reuerentia, etiam peste infectis hoc sacramentum ministret, de quo plura deinceps.

a *In Psal. 98. ad illa verb.* Adorate scabellum pedum eius.

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

Quid censendum sit de modo consecrandi & ministrandi illorum, qui non habentes hostiam seu formam panis consuetam ad consecrandum, consecrant in pane azymo, vel ex hordeo, vel ex siligine, vel ex spelta confecto, vt illam ægro ministrent?

Quæstionis explicatio.

PLerisq; in locis patriæ Leodien. panis vsualis ordinarie conficitur ex frumento, tritico, spelta, siligine, nonnunquam etiam ex hordeo, auena, & quibusdam aliis leguminibus; quid igitur si desit panis ex frumento vel tritico cõfectus, sit autem ex spelta, siligine vel leguminib. poteritne ex huiusmodi pane consecrare formulas ęgris ministrandas?

Responsio.

R. 1. Probandus est modus illorum, qui consecrant & ministrant hoc sacramẽtum in pane confecto ex siligine, quicquid dicant (a) Richardus, (b) Aler (c) Paludanus, summa (d) Angli (e) Rosella, quia certum est, apud [illegible] siliginem significare speciem frumenti, sicut & triticum, imo esse triticum, quamuis paulo minus pingue, eo quod crescat in Ardenna, Condrusio & terris magis sterilibus:

a *in 4. dist. 11. q. 2. art. 3.*
b *q. 3. meb. 4.*
c *q. 1. art. 4.*
d *verb. Eucharistia.*

quod nobiscum sentiunt D. (a) Thomas, (b) Caietanus, (c) Syluester, nec alii dissentirent, si sciuissent, his in partibus siliginem significare triticum, quamuis nõ ita perfectum, quia illa imperfectio accidentalis est, nec tritici substãtiam mutat; quod nec ignorauit (d) Plinius, qui siliginem delitias tritici vocat.

a D. Thom. 3. p. q. 74. artic. 4.
b Caiet. in D. Thom.
c verb. Eucharist. 1. n. 3.
d Plin. lib. 25 hist. nat. c. 8.

℟. 2. Modus conficiendi & ministrandi in pane ex hordeo incertus est, & idcirco simpliciter reprobandus, imo secundum D. (e) Thomam, Syluestrum & alios certum est non posse confici ex illo hoc sacramentum, quia, iuxta illos non est triticeus, sed specie ab illo differt, sicuti hordeum à tritico, quod bene in hac patria notandum est, quia in quibusdam eius partibus panis vsualis ex hordeo confici solet.

e supr.

℟. 3. Modus conficiendi & ministrandi in pane ex auena omnino reprobandus est, quia satis certum est auenam neque triticum neque frumentum esse. Patet ex magna differentia, quæ apparet in exterioribus accidentibus & effectibus, colore, sapore, & aliis.

℟. 4. Modus consecrandi & ministrandi in pane ex spelta confecto est dubius, quia spelta est materia dubia, siquidem Albertus (f) Magnus, Thom. (g) de Argentina, Petrus

f in 4. dist. 11. art 7.
g ibid. art. 1.

Petrus (a) de Palude, (b) Caietanus, (c) Sotus putant esse materiam sufficientem. Alii vero, vt D. Thomas (d) Richardus (e) Dionysius (f) Syluester (g) putãt non esse sufficientem, vel saltem dubiam: non licet a. propter reuerentiam tanti sacramenti conficere in materia dubia: ergo simpliciter hic quoq; modus est dubius, & consequenter reprobandus.

a *dist. 11. q. 1.*
b *3. p. d. 9. a. 3.*
c *Ibid.*
d *Ibidem.*
d *In 4. dist. 11*

Dices. Albertus Magnus rerum naturalium peritissimus, dicit speltam speciem esse frumenti, & secundum Sotum omnes Dictionarii affirmant, speltam speciem esse tritici, & ex eo fieri panem delicatum: D. Thomas etiam asserit in quibusdam regionibus ex spelta confici panem ad vsum sacramenti, & vereor in vicinis locis Arduennæ & Condrusii, vbi fere ex solo pane speltaceo viuunt, hodie ex farina illius cõfici panes ad vsum sacramenti. E. &c.

℟. Propter huiusmodi argumenta iamdiu mihi persuasum fuisse, speltam nostratẽ qua quotidie in pane conficiendo ex cereuisia coquenda vtimur, veram & certã esse materiam huius sacramenti: Verum rem propius examinata, etsi existimem cum Alberto, Soto, & aliis superius allegatis, materiã esse sufficientem, fateor tamen esse incertam, & consequentur modum in ea mi-

strãdi reprobari debere, præsertim si Summus Pontifex (vt dicitur alibi asserere Dionysius Carthusianus) definiuerit, speltam esse speciem hordei non tritici. Neque valet, quod Sotus dicit, quæstionem hanc ad Curiam Romanam non pertinere, cum sit physica, quia ex hac quæstione Philosophica dependet decisio quæstionis Theologicæ, quæ certo ad Pontificem Maximum pertinet.

Dices secundo. Ex solone igitur pane ex frumenti siue tritici farina confecto, potest Eucharistia consecrari & ministrari?

a *Supra cit.*

℟. Ex eo solo, quod ita certo à plerisque (*a*) asseritur, vt nemo illud sine temeritate & erroris periculo negare possit.

Dices tertio. Quid si dubium sit, an granum sit frumẽtum seu triticum, poteritne saltem stante huiusmodi dubio in hoc casu, quo aliud haberi non potest, consecrari sub conditione?

℟. Non poterit, sufficit enim materiam esse dubiam ad hoc vt in illa non possit consecrari & ministrari, quia, vt ante annotauimus, præferri debet reuerentiæ sacramenti tali, quali necessitati priuatę personæ, quod ante nos sine vlla exceptione affirmauit (*b*) Alanus.

b *lib. 1. de eu charist. c. 11.*

QVÆ-

QVÆSTIO XX.

Quid sit de illorum, qui consecrant tantum speciem panis?

Quæstionis explicatio.

PRimo notandum est, ad sacrificium Missæ requiri vtriusque speciei, hoc est, panis & vini consecrationem: nam de essentia illius est expressa (*a*) repræsentatio mortis & passionis Christi, quæ intrinsece requirit consecrationem vtriusque speciei, vt docent Bellarminus & Zuares, & reliqui omnes post Diuum Thomam, quum dicit, repræsentationem Dominicæ Passionis in consecratione peragi, ideoq; non posse corpus sine sanguine consecrari.

a *D. Thō. p. 3. q. 80. ar. 15. ad 5. Bellar. lib. 4. de euchar. Zuar. in 3 D. Thō. disp. 75. se. 7.*

Secundo notandum, quod quamuis hoc ita sit, nihilominus si sacerdos quispiam per ignorantiam vel etiam malitiam consecraret tantum alteram speciem, vere consecraret; quod ex Scriptura & Concilio (*b*) Trident. certo colligi potest: Christus enim, antequam calicē consecraret, consecrans panem, dixit: *Hoc est corpus meum:* Christus autem verum dixit: Ergo iam illud erat corpus Christi, anteq̄ consecraret speciem vini. Probat hoc ipsum euiden-

b *Sess. 13. c. 3. canon. 4.*

euidenter vſus Eccleſiæ; ſtatim enim ac ſacerdos in altari conſecrauit panem, proponit populo corpus Chriſti adorandum ſub ſpeciebus panis, & poſt ſumit vinum & cõſecrat, ſimiliterque ſanguinem Chriſti proponit adorandum ſub ſpeciebus vini. Horum occaſione quæritur, quid ſi paſtor vocetur ad communicandum peſte infectum & propter inſtans mortis periculum non ſit otiũ ſacrificãdi, ſed ad manus habet formulas panis conſecrandas, an poterit tantum ſpeciem panis conſecrare, & ſic peſte infecto miniſtrare?

Reſponſio.

HIc modus conſecrandi & miniſtrandi eſt illicitus & reprobandus. Eſt ſententia omnium fere Theologorum contra (*a*) Adrianum, (*b*) Alenſem, & (*c*) Maiorẽ. Probatur, quia hoc modo non offert Deo perfectum & integrum ſacrificium, q̃ ſub ſpeciebus panis & vini offerri debet ſecundum communem Doctorum. Confirmat ex verbis & factis Chriſti: Non enim ſine cauſa in diuerſis materiis & diuerſis verbis conſecrauit & obtulit, nec ſine myſterio in conſecrãdo calice addidit illa verba. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, indicans, per ſui ſanguinis effuſio-

a *q. 6. de Euchariſtia.*
b *Apud Adrianum.*
c *diſt. 9. q. 3. ad 5.*

effusionem perfectam esse remissionem peccatorum, ad quem effectum applicandum instituit sacrificium, quod illam effusionem repræsentet, per separatam corporis à sanguine consecrationem: post illud autem factum præcepit nobis, vt eodē modo offerremus, dicens: *Hoc facite in mei commemorationem*: & ita Ecclesia semper intellexit & seruauit: est ergo vtraq; consecratio simpliciter necessaria, vt hoc sacrificium constet.

Dices. In consecratione panis reperitur quicquid est de ratione sacrificii, quia per eam res prophana efficitur sacra, & diuino cultui dicatur, quod satis est ad rationem sacrificii, iuxta doctrinam (*a*) D. Thomæ.

(*a*) 2.2.q.85.a.3.ad 3.

R. In sola panis consecratione, aliquid sacrum fieri & factum manere, etiamsi cōsecratio vini non sequeretur, sed inde nihil sequitur, nisi inchoatum esse sacrificium, non vero essentaliter perfectum. Sicut iacto fundamento & erecto pariete aliquid factum manet, quamuis ædificatio non vlterius progrediatur, nemo tamen dicet, domum esse essentialiter factā, sed inchoatam tantum.

Dices 2. Æger in articulo mortis tenet iure diuino communicare, vt ante docuimus: ergo pastor tenetur illi communionem

nem dispensare, & consequenter cum hoc casu non possit aliter, tenebitur hoc modo ministrare?

R. Præceptum illud diuinum esse affirmatiuum, quod non obligat, nisi habita copia sacramenti. In casu autem proposito moraliter loquēdo, non est copia sacramēti, præsertim, quia hoc præceptum per se obligat eum, qui susceperus est hoc sacramentum, non vero obligat sacerdotem ad conficiendum, nisi hæc obligatio aliunde oriatur ex iustitia, vel ex charitate: Non obligatur autem minister ex vi harum virtutū ad mutandum debitum consecrandi modum, solum vt subueniat priuatæ personæ indigenti: imo neque licite sacerdos hoc potest facere, quia maioris est momenti integritas sacrificii & reuerentia sacramenti, quam est priuata vtilitas vel necessitas vnius personæ, vt ante annotauimus.

Dices 3. Si post consecratā hostiam immineret sacerdoti euidens periculum mortis, si in consecrando postea calice diutius in altari moraretur, posset sine culpa hostiam consumere & fugere, quia non est verisimile, hoc præceptum de consecranda vtraque specie obligare cum tanto discrimine: ergo saltem si quis comminetur sacerdoti mortem, nisi consecret speciem panis

ad com-

ad communicandum ægrotum absq; specie vini, quia vel vinum non reperitur, vel necessitas & periculum mortis vrget, poterit sacerdos hoc facere sine peccato ad euitandum mortem?

℟. Negando consequentiã, quia in hoc casu iam directe faceret contra præceptum diuinum; & quamuis metu mortis, tamen intenderet formaliter mutilum facere sacrificium, quod intrinsece malũ est, & contra præceptum negatiuum. In alio casu nõ item, sed solum est omissio alicuius præcepti, quod pro eo articulo censetur non obligare, vel etiam permissio, quod sacrificium inchoatum relinquatur, quæ non est intrinsece mala.

Dices 4. Quid si sacerdos voluit consecrare plures hostias sub sacrificio missæ, vt communicaret plures ægrotos, sed oblitus fuit, donec ad finem missæ peruenit, poterit nè saltem finita missa antequam ab altari recedat, solas species panis consecrare?

℟. Non poterit, quia præsupponitur sacrificium absolutum, & ita redit prior difficultas: consecrarentur enim formæ panis extra sacrificium, quod diximus esse illicitum.

QVÆ-

QVÆSTIO XXI.

Quid sit de illorum, qui consecrant tantum speciem vini?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Est peste infectus agonizans, qui nocte mittit ad pastorem pro habendo viatico: nunciatur vero pastori, ægrum propter oris & linguæ siccitatem, nec non gutturis inflammationem vel tumorem, nihil posse omnino deglutire, præter liquidum: cum autem pastor non habeat otium celebrandi sacrum, tum quia nox est intempesta, tum quia æger morti proximus esse dicitur, ipse consecrat vinum, & ægro sumendum porrigit; quid de hoc modo conficiẽdi & ministrãdi censendum est?

Responsio.

HIc modus reprobandus est sicut prior. Et probatur ex iam dictis, quia mutilum & imperfectum reddit sacrificiũ, quod non potest non esse Deo, cui illud offertur, iniurioſum: vnde & (*a*) D. Thom. vocat *immane sacrilegium*. Et Concil. Tolet. contra huiusmodi consecrantes, excomũnicationis sententiam tulit.

a D. Thom. 3. p. q. 64.

Dices

Dices. Potestnè ergo species vini sine specie panis consecrari? Ratio dubitandi est, quia Christus non prius consecrauit calicem quam panem, consecratio ergo vini, præsupponit consecrationem panis.

℟. Ex hoc Christi exemplo & vsu Ecclesiæ colligi, hunc ordinem esse præceptum, vt recte notauit (*a*) Zuares, quod etiam rebus ipsis consentaneum est, quia cibus certo ordine antecedit potum: non est tamen hic ordo essentialis. Quocirca si sacerdos ex malitia prius consecraret vinum quã panem, vel solum vinũ, sine dubio consecraret, quia vnius speciei consecratio non pendet ex altera; ergo minus pendet essentialiter ex ordine, quamuis graue esset sacrilegium, vt iam dictum est.

a *Zuar. in 3. part. D. Thõ. disp 75. sect. 6. §. Sed quaret aliquis.*

Dices. Incurritnè censuram aliquã vel pœnam, qui consecrat tantum alteram speciem, seu panis seu vini?

℟. Secundum (*b*) Maiolum, præter excommunicationem, de qua ante, incurrere irregularitatem, *quia*, inquit, *cum aperte abutatur potestate sacerdotali, indignus videtur potestate illi competenti*; sicut secundum (*c*) Anthonium incurrit irregularitatem sacerdos ille, qui prohibitus dicere missam, sine illa conficit corpus Christi. Sed non satis solide hoc asseritur, cum nulla sit agnoscenda

b *Lib. 3. de irreg. c. 26. n. 5.*

c *Tractat. de cens. & irreg. c. 87. v. Tertio nota, c. 1. de cler. excõ.*

irregularitas, nisi iure exprimatur. Neque simile est, quod ex Anthonino adiungitur, qui enim suspensus est à celebrando, hoc ipso suspensus est à consecrando, ac proinde, si consecret, irregularitatem incurrit, vsurpando actum à quo suspensus est. At in priore casu non supponitur suspensus, sed solum potestate sacerdotali abusus: nó autem propter solum abusum potestatis irregularitas incurritur, nisi iure exprimatur.

QVÆSTIO XXII.

Quid sit de illorum, qui consecrant in Missa vtramq; speciem, sed ministrant ægro tantum speciem vini?

Quæstionis explicatio.

ECclesia grauissimis ex causis adducta, vsum calicis in administratione huius sacramenti omnibus inhibuit, præterquá sacerdotibus sacrificãtibus, vt patet ex Cõciliis, (*a*) Constantiensi & (*b*) Tridentino, quod aperte dicit, Ecclesiam decreuisse, *consuetudinem communicandi sub specie panis pro lege habendam*: Nihilominus accidit sæpe tempore pestis, vt veniat viaticum dandũ illis

a *Sess. 13.*
b *Sess. 21. c. 2.*

illis, qui non possunt sumere speciem panis, vt statim dictum est. Idcirco quæritur, quid dicendū de hoc modo, si pastor consecret quidem vtramq; speciem, sed ministret tantum sub specie vini?

Responsio.

EOdem modo reprobandus est, quo duo superiores, non tamen ex iisdem causis, quia hic ponimus pastorem integrum sacrificium conficere, sed illa maxime ratione, quia pro hoc tempore est contra vniuersalem Ecclesiæ Consuetudinem. Quocirca non posset sacramētum sic ministrari sine plurimorum scandalo & irreuerentia sacramenti, præsertim quod peste infectis à mente sæpe alienatis, non possit species vini eorum ori infundi sine periculo effusionis, vel similis irreuerentiæ.

Dices primo. Decretum olim fuit, atq; adeo vsu receptum in ecclesia, vt sola species vini daretur iis ægrotis, qui non possent speciē panis deglutire, vt habemus ex Conciliis (*a*) Carthaginensi & (*b*) Toletano.

a *Conc. Cart. 4. can. 76.*
b *Conc. Tol. 11, can. 11.*

R. Hunc morem iam diu obsoletum esse, & in desuetudinem abiisse propter irreuerentiam, quæ in eo frequentius, etiam à pijs fidelibus, huic sacramento inferebatur.

Dices secundò. Ius diuinum de sumendo in articulo mortis sacramento, videtur præferendum ecclesiastico de illo sumendo tantum sub specie panis, & non vini.

℟. Inprimis hunc casum, moraliter loquendo, vt nunc loquimur, vix esse possibilem, quia qui potest traiicere species vini, potest etiam paruam saltem hostiæ consecratæ particulam.

Deinde, vt admittatur ille casus rarissimus, propter illum solum non oportet statim concedere hanc licentiam, quia aliàs daretur indiscretis ministris occasio ampliandi illam, & immutandi ritus & vsus Ecclesiæ, quod magnam in Ecclesia parere posset confusionem. Vnde parochus tunc nolens dare sacramentum iure excusabitur, quia propter bonum publicum & reuerentiam sacramenti id facit, & consequenter excusabitur peste infectus, vel quia non habet copiã sacramenti, vel quia moraliter censetur impotens, & ita non violabitur ius diuinũ, quod cum affirmatiuum sit, non obligat ad semper, vt loquuntur Theologi, sed occurrentibus moralibus circumstantiis.

Nec tunc etiam ius humanum præfertur diuino, sed occasione iuris humani ta-

les oc-

les occurrunt circumstantiæ morales, vt jus diuinum affirmatiuũ tunc desinat obligare, quod frequens est in huiusmodi præceptis.

Dices tertiò. Si superuenientibus hæreticis sacerdos in altari existens sumpsisset speciem panis, & antequam sumpsisset speciẽ vini, cogeretur sub periculo mortis fugere, timeretur quoque, ne calix ab illis per terram funderetur & indigne tractaretur, laicus præsens aliâs bene dispositus, teneretur illum calicem sumere, quidquid dicat (a) Sotus: ergo & in nostro casu Sacerdos nonsolum potest, sed debet ægro in illa necessitate constituto hoc sacramẽtum sub specie vini porrigere.

(a) *In 4. dist. 3. qu. 2. art. 6.*

R. Negando consequentiam, quia tunc longe est maior necessitas conseruandi ab irreuerentia sacramentum, quàm communicandi ægrum.

QVÆSTIO XXIII.

Quid sit de illorum, qui, vt ministrent peste infectis, consecrant vtramq; speciem, sed alteram in panis fermentato?

Quæstionis explicatio.

CErtum est de fide, tam panem azymum, quàm fermentatum sufficere ad substantiam huius sacramẽti: vnde erroneũ est, dicere, alterutrum panem esse necessarium necessitate sacramenti in Ecclesia Græca vel Latina, sicuti quidam (a) Doctores iuris canonici voluerunt: neque enim sacramenta habent alias essentias in vna parte Ecclesiæ quàm in alia; neq; consuetudo aut præceptum Ecclesiæ potest immutare vel limitare essentias sacramentorum.

a *Innoc. cum aliis in c. 1. de Bapt. & Fel. in c. Quæ in Ecclesiarum de const. n. 26.*

Certum quoque est, licere Græcis in fermentato, sicut & Latinis in azymo conficere & ministrare, vt docet (b) Leo Nonus, qui, Latinorum consuetudinem defendẽs, *eam esse Romanæ Ecclesiæ moderationem & prudẽtiam, vt cum tam extra, quam intra illam multæ sint Græcorum Ecclesiæ, nullam à paterna sua traditione perturbari, sed potius eam seruare moneat & studeat.*

b *Epistol. ad Michaelem Patriar. Cõstantinopol.*

Certum

Certum quoque est, tam Latinos quàm Græcos teneri ad seruandum Ecclesiæ suæ ritum: Vnde (*a*) Iure Canonico punitur quidam Latinus sacerdos, quod in fermẽtato consecrasset, nihilominus sępe accidit, & præsertim tempore pestis, vt ruri non sit panis azymus, sunt tamẽ peste infecti, quibus viaticum ministrari debet: Quæritur, quid censendum sit de hoc modo conficiendi & ministrandi, si sacerdos in fermentato consecret propter necessitatem?

a *c. literas de celeb. Missar.*

Responsio.

NEque hic modus licitus est, sed reprobandus. Est omnium fere Doctorũ, excepto (*b*) Maiore, quantum notare potui, qui nimis largam dat sacerdotibus in huiusmodi casu facultatem *consecrandi frustum panis fermentati, etiam secreto & sine vestibus sacris*: hæc enim omnia sunt erronea, vt statim videbimus, quia quisque tenetur ritus & consuetudines suæ Ecclesiæ seruare, præsertim in huius sacramenti ministratione, vt ante diximus.

b *In 4. dist. 9 q. 3. ad 5.*

Dices. Præceptum de sumẽdo viatico in articulo mortis est diuinum: præceptum v. de sumẽdo vel ministrãdo illo in pane azymo est humanũ: E. posterius priori cedere

debet, in articulo saltem, quo azymus haberi non poterit. Hoc argumento motus fuit Maior, vt diceret, *forte pastorem posse hoc casu secreto panem fermentatum consecrare.* Nota q̃ dicit, *forte*, etsi n. videtur illo argumẽto nonnihil fuisse motus, non tamen omnino persuasus fuit.

℟. Igitur prius præceptum esse affirmatiuum, quod de sui ratione non obligat ad semper, hoc est, pro omni tempore, sed quando commode & cum debitis circumstantiis fieri potest, & ideo posito alio præcepto humano, præscribente debitum cõficiendi modum, cessare debet obligatio alterius præcepti pro aliquo temporis articulo, pro quo modus ille non potest obseruari, quia (quod sæpe repetendum est) expedit maxime in hoc sacramento conficiendo & ministrando, summam reuerentiam adferre.

QVÆSTIO XXIV.

Quid sit de illorum, qui celebrant non ieiuni, vt ægro sacramentum ministrare possint?

Quæstionis explicatio.

A Temporibus Apostolorum seruata est in Ecclesia Consuetudo, non sumendi

mendi aliquem cibum vel potum cum sumendum esset sacramentum Eucharistiæ, vt patet ex antiquissimis Patribus (a) Epiphanio, (b) Nazianzeno, (c) Chrysostomo, & D. (d) Augustino, qui de hac re sic ait; *Placuit Spiritui sancto per Apostolos, vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi, & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.* Idem constat ex antiquissimis Conciliis (e) Carthaginensi, (f) Africano, (g) Matisconensi, vbi adiunguntur pœnæ in eos, qui hunc ritum non seruant: Nihilominus sæpe casus occurrit, vt sacerdos etiam sumpto cibo rogetur sacrificare, aut alias debeat populum sine hoc sacramento deserere: Quocirca quæritur quid censendum sit de modo consecrandi & ministrandi illorum, qui vocati ad peste infectum in extremis agentem missam celebrant, cum non sint ieiuni, vt ad ægrum sacramentum deferant?

a *lib. 3. cõtra hæreses in fi.*
b *Orat. 4. de baptismo.*
c *Homil. 27. in 1. ad Cor.*
d *Epist. 118.*
e *Conc. Carthag. 3. c. 29.*
f *c. 8.*
g *11. c. 6.*

Responsio.

NEque hic tolerari debet. Ita plerique (h) Doctores cẽsent, quicquid (i) Maior dicat. Rationes illorum sunt: quia consuetudo ecclesiæ vniuersalis ita interpretatur præceptum de seruando ieiunio ante communionem, respectu sacerdotum conficientium

h *Pal. di. 8. q. 2. n. 9. Gab. q. 2. art. 5. Vict. in sum. n. 23. Nauar. c. 21. num. 5.*
i *in 4. dist. 9. q. 3 §. Quinto arguitur.*

entium & miniſtrantium hoc ſacramentum. Deinde hoc præceptum, non eſt minus graue quam alia pertinentia ad ritum ſeruandum in hoc ſacramento conficiendo, vt ſunt præceptum conſecrandi in azymo, aut cum veſtibus ſacris, de quibus ſtatim poſt dicemus: Hæc autem & ſimilia prętermittenda non ſunt propter communicandum ægrotum. Poſtremo hoc ſacramentum (a) inter cætera, ſicut eſt maioris dignitatis, ita eſt minoris neceſſitatis: ergo in ſimili euentu maior eſt habēda ratio reuerentiæ huic ſacramento debitæ, quam qualiſcumq; neceſſitatis proximi. Et confirmatur, quia neceſſitas quæ hic interuenit, non vrget, neque ex parte ſumentis, quia nō eſt in poteſtate eius ſumere, niſi ſit qui poſſit dare: Neq; etiam ex parte dantis, quia ſolum tenetur dare, quando commode poteſt cum debita exteriori reuerentia, & ſeruato conueniente ritu ab eccleſia præſcripto.

(a) *Sotus in 4. diſt. 12. q. 1. art. 8. §. Ioannis Maioris.*

Dices: Si hæ rationes ſolidæ ſunt; ergo nec licebit ægrotis poſt cibum & potum dare Euchariſtiam, quia neque reſpectu illorum ſacramentum hoc eſt neceſſitatis, & maior eſt habenda ratio reuerentiæ ſacramenti.

℟. Eccleſiaſticam conſuetudinem declaraſſe

claraſſe in eo caſu non obligare præceptum ieiunii, & hoc ſatis eſt. Deinde non eſt eadē ratio; quia propria neceſſitas hominis communicaturi eſt neceſſitas intrinſeca, & quę moraliter ſæpe accidit, & ideo non oportuit nec decuit vt tunc impediatur homo à ſuſceptione ſacramenti propter humanum impedimentum quod vitare non poteſt: At neceſſitas ex parte miniſtri eſt valde extrinſeca & accidentaria, quæ moraliter rariſſime poteſt accidere, ſuppoſita prouidentia, quam eccleſia habet, ſeruandi Euchariſtiam pro infirmis, & ideo non fuit expediens, vt propter ſimilem neceſſitatem daretur occaſio violandi hoc præceptum, vel male illud interpretandi.

Dices ſecundo: *Quæ propter charitatem introducta ſunt, non debent contra charitatem militare*, vt præclare dixit D. (a) Bernardus: Sed charitas obligat ad ſubueniendum proximo in neceſſitate, ergo non eſt veriſimile eccleſiaſtico præcepto impediri, ne id fiat. Confirmatur, quia propter ſimilem proximi neceſſitatem poteſt ſacerdos conficere ſine confeſſione præuia, quādo non habet ad manum confeſſorem: ergo multo magis poterit conficere non ſeruato ieiunio. Antecedens paſſim ab omnibus conceditur. Conſequentia probatur, quia obliga-

(a) *lib. de præcepto & diſpenſ. c. 4.*

tio

tio prẹmittendi confeſſionem oritur ex iure diuino, hæc vero de præmittendo ieiunio ex iure(a) humano.

a *de conſecr. diſt. 2. can. liquido.*

Ad Bernardum quidem, nihil hic militare contra charitatem, ſed potius illam, ſicut & reuerentiam ſacramenti promouere, quæ proculdubio ſenſim concideret, ſi cuilibet cæremonias ſacras, quibus honorari ſolet in eccleſia, tollere permitteretur. Ad confirmationem dico, maximam eſſe differẽtiam inter duo illa præcepta. Primo, quia neceſſitas conficiendi ſacramentum abſque confeſſione præmiſſa eſt moralis & quæ ſæpe accidit; neceſſitas autem conficiendi poſt cibum eſt rara, leges autem morales traduntur iuxta ea quæ frequentius accidunt. Secundo, quia confeſſio non propter ſe præcipitur, ſed vt medium ad iuſtificationem, quæ eſt diſpoſitio per ſe neceſſaria ad hoc ſacramẽtum: deficiente autem illo medio, poteſt aliud applicari, quo eadem diſpoſitio obtineatur, ſcilicet, contritio, & ideo poteſt illud præceptũ ſæpius non obligare, quia ſciliç. ſi deſit confeſſio non neceſſario deeſt gratia, quæ eſt diſpoſitio per ſe intenta: At vero in prẹſenti caſu tollitur ieiunium, quod eſt exterior diſpoſitio per ſe intenta per præceptum. Et licet interior diſpoſitio per ſe ſit maior; tamen quoad

quoad homines exterior reuerentia solet esse valde necessaria, & ideo ne hoc sacramentum indigne tractetur, aut tanquam vulgaris cibus conficiatur & distribuatur, voluit ecclesia, vt hæc præcepta de exteriori ritu, quoad fieri moraliter possit, inuiolabiliter seruentur.

Dices 3. Licet saltem ex dispensatione Episcopi?

R. Palacius (*a*) putat Episcopum in hoc posse dispensare: probabilius est contrariũ, quia est præceptum vniuersale totius ecclesiæ, & nulla authoritate vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo, *per se autem* (*b*) *non potest inferior in lege Superioris dispensare.*

a *In 4. dist. 9.*

b *c. Inferior, dist. 21.*

QVÆSTIO XXV.

Quid sit de illorum, qui à longe positi consecrant formulam panis, quam æger manibus tenet?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Vocatur pastor ad peste infectum pro viatico: Ille dicit se non posse consecrare, quia non habet formulas panis, nec posse propter nimiam distantiam vendentium facile comparare:

parare: Æger renunciat se habere vnam, quam petit consecrari: pastor propter periculum contagionis à longe positus consecrat illam in manibus ęgri existentem, quęritur an hic modus agendi aliquo modo probari possit?

Responsio.

NEque hic probari aut tolerari potest, peccat enim multipliciter. Primo, quia sacerdos cõsecrat extra missam, quod ante ostendimus esse graue sacrilegium. Secundo, quia sic consecrando exponit se periculo nihil faciendi, nimirum certum est posse consecrare panem qui ab alio tenetur manibus, maxime si ille viginti, triginta, aut quadraginta passus distet. Neque enim desunt, qui putent necessarium esse ad consecrationem, vt sacerdos ipse teneat manibus panem, quem vult consecrare, quia ita videtur Christus fecisse: Et qui dicant (inter quos est (a) Paludanus) materiam ita propinquam debere esse sacerdoti, vt ab eo facile tangi possit, vel vt verba formæ peruenire possint ad materiam, & illam contingere, vt dicit (b) Viguerius: vel solum Christum scire, qui hoc sacramentum instituit, quanta propinquitas materię requiratur, ad hoc, vt sacerdos super illam

(a) *in 4. dist. 11 q. 1. art. 3.*

(b) *in instruc. de sacr. Euchar.*

verba

verba sacramentalia proferre possit, vt aiunt (a) Durandus, (b) Paludanus & alii.

a *in 4. dist. 11. q. 6. n. 6.*

b *dist. 11. q. 1. art. 3.*

Dices: Ex vsu ecclesiæ etiam consecrantur formulæ reclusæ in pixide, quæ non videntur: ergo poterit consecrari hostia, quæ in manibus alterius videtur.

R. Non multum ad rem facere, quod hostia videatur vel non videatur, quia certum est apud omnes sacerdotem cæcum posse, si habeat panem præsentem, consecrare; sed difficultas est, an formula sit satis præsens ad illam consecrandam, siquidem pronomen (*hoc*) in forma consecrationis requirit moralem præsentiam secundum omnes, sed qualis & quanta esse debeat, non definiunt.

QVÆSTIO XXVI.

Quid de illorum, qui sine vestibus sacris, hoc est, superpelliceo & stola ministrant?

Quæstionis explicatio.

PLerique peste infecti, etiam Catholici, petunt secreto sibi afferri sacramentum sine superpelliceo & stola, tum ne à magistratu, si hac solemnitate, morb⁹ propaletur, in domo recludantur, vel ciuitate excedere iubeantur, tum ne à vicinis & amicis, quorum ope egent, contra charitatem

litatem Christianam deferantur: Pastor misertus secreto in vestitu communi defert sacramentum & ministrat; Quæritur, an hic modus agendi licitus sit & probandus?

Responsio.

NEque ille modus ministrandi ordinarie ferendus est. Primo, quia repugnat sacris (*a*) Canonibus & Pontificum Decretis, nec non dictamini rectæ rationis, quod vult vt actiones sacræ non nisi in vestibus sacris, & ad eas specialiter deputatis fiant, scilicet, vt ipso exteriori vestium apparatu indicetur, actiones illas non esse communes & vulgares, sed sacras: Nam & Gentiles solo lumine naturali ducti, sicut suo modo habuerunt templa, sacrificia & sacramenta; ita etiam ad actiones suas sacras, vestes peculiares, & suo modo sacras adhibuerunt, quod scite expressit (*b*) Virgilius, cum dixit:

Purâq; in veste Sacerdos.

Dixi, (*ordinarie*) quia vbi per aspera & periculosa loca Eucharistia deportanda est (quod ruri satis frequens est) ad periculi euitationem ab vsu stolæ & superpellicei sacerdos, sicut & custos à pulsu tintinnabuli & luminis gestatione, abstinere poterunt, dummodo parochus in munda pi-

xide

a *c. Vestimenta, de consec. dist. 1. Conc. Tribur. in Bucardo lib. 6. c. presbyteri.*

b *lib. 12. Æneid.*

xide & sacculo nitido sanctam Eucharistiam deportet, vt parochiale diœcesis (a) Leodien. & (b) vicinarum pastoribus omnibus, etiam extra casum pestis, concedunt.

a *Paroch. Leo pag. 119.*
b *Ruremūd. pag. 24.*

Dices: Quale peccatum est sine necessitate ministrare hoc sacramentum sine huiusmodi vestibus sacris?

R. Est suo genere mortale, quia est contra virtutem religionis, & proinde sacrilegium, quod suo genere mortale est. Neque facile est illud excusare à mortali propter paruitatem materiæ, quia videtur grauis, vtpote quę est vniuersalissima vsitatissimaque ecclesiæ cæremonia, vt patet ex antiquis ecclesiæ Patribus: Neque propter inaduertētiam aut quid simile, quia vix fingi potest inaduertentia, & in præsenti casu pręsupponitur petitio omissionis huius cęremoniæ, & super illam deliberatio & responsio pastoris.

c *c. Ecclesia, dist. 23. & ibi Ioannes de Turrecrem. Et de Graffis. decis. lib. 2. c. 40.*

QVÆSTIO XXVII.

Quid sit de illorum, qui vocati eodem tempore ad plures ægrotos, nec habentes nisi vnam hostiā, illam particulatim diuidunt & singulis etiam exiguam particulam dispensant?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Sunt octo vel plures peste infecti; hi omnes pastorem aduo-

cant pro sumendo viatico, qui non habet nisi vnam hostiam, quam partitur in octo particulas valde exiguas, quarum singulas singulis ægris distribuit; quid de hoc modo ministrandi dicendum?

Responsio.

TOlerari posse videtur vt hostia in duas, tres, quatuor partes diuidatur, quod vero in plures moraliter loquendo non videtur posse tolerari: Prior assertionis pars probatur, quia hoc pacto consulitur vtilitati fidelium, neque vlla fit iniuria sacramento. Primum patet, quia omnes etiam sub minutis illis particulis integrum & perfectum viaticum sumunt, sub singulis enim particulis, quantumuis exiguis totus & integer Christus continetur, vt constat ex communi doctrina (*a*) Theologorum, authoritate (*b*) Conciliorum & Patrum ecclesiæ, vsqueadeo vt contrarium asserere sit hæreticum. Altetum quoque patet, quia diuisio vel partitio hostiæ per se nullam irrogat sacramento irreuerentiam; Videmus enim quotidie in sacrificio missæ hostiam in tres partes diuidi, & in paschate quando populus pro communione sæpe maiori numero quam pastores expectent, confluit, videmus illos, etiam doctissimos & piissimos

a *In 4. dist. 10. & apud D. Thom. 3. p. q. 76.*

b *Conc. Triden. sess. 13. c. 3*

pissimos hostias diuidere, vt deuotioni populi, qui illo die vult satisfacere præcepto de communione paschali, sese accommodent: ergo magis id poterunt in tali articulo, vt populus satisfaciat præcepto diuino. Altera probatur, quia diuidendo hostiam non ita magnam in octo vel plures partes, deueniri posset ad tam exiguas, vt moraliter loquendo, contrectari non possent, nec distribui sine scandalo & irreuerentia sacramenti; Nihilominus tamen si de facto ita diuideretur, & particulæ quantumuis exiguæ distribuerentur, personæ, quæ illas sumerent, dicendæ essent sumpsisse viaticum etiam integrum: In quo grauiter impegit (a) Maior, cum dixit *posse ab hostia separari tam exiguam particulam specierum, vt sub illa non posset conseruari corpus Christi, vt v. g. si sit tam parua, vt nullo sensu percipi possit.* Sed hæc sententia est hæretica & falsa, vt bene notauit (b) Scotus: Nam cum secundum communnm & fidem totus panis conuertatur in corpus Christi, nulla potest esse particula, vbi non sit corpus, alias essent particulæ non solum vacuæ pane, sed etiam corpore Christi, quod notorie absurdum est & hæreticum.

a *In 4. dist. 11. q. 3.*

b *In 4. dist. 1. art. 3.*

Dices: Frustra ibi esset corpus; fortasse

ideo motus fuit Maior vt diceret, non esse ibi corpus Christi, quia particulæ illæ tam exiguæ non possent à ministris distribui & dispensari.

Rᵗ. Non frustra ibi esse; potest enim à ministro sumi, & frequenter contingit huiusmodi etiam minores particulas ab hostia excidere, quando in altari super patenam frangitur, &c. Sed (vt diximus) cauere debet pastor, ne cuiusquam importunitate ad huiusmodi diuisionem deueniat, vt particulas diuisas non possit reuerenter vel ipse sumere, vel aliis ministrare.

QVÆSTIO XXVIII.

Quid sit de illorum, qui non habentes nisi vnam hostiam quam consecrant, sumunt vnam partem in sacrificio, & alteram reseruant ægro pro viatico.

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis. Pastor post consecrationem panis & vini vocatur è missa ad peste infectum pro viatico: Ille existimat & recte, se non debere in eodem sacrificio bis consecrare panem, quapropter partem hostiæ consecratæ reseruat deferendam ad ægrotum pro viatico, & in altera perficit sacrificium: quid de hoc modo censendum est?

Responsio.

Responsio.

VIdetur quoque tolerari posse. Ita (a) Paludanus: Probatur primo, quia pastor hoc modo satisfacit subdito, neque vllam iniuriam irrogat sacramento. Secundo exemplo D. (b) Basilii, qui dicitur diuisisse panem sacram in tres partes, vnam sumpsisse, alteram imposuisse columnæ aureæ super altare, & postea moriturus tertiam partem accepisse, & Deo spiritum reddidisse. Postremo, quia videtur aliquãdo talis viguisse in ecclesia consuetudo, nam vt notat Paludanus, cum olim seruaretur tertia pars hostiæ vsque ad finem missæ, videtur seruata fuisse ad communicandum alios.

a *in 4. dist. 12 q. 1. artic. 5. concl. 2.*

b *apud Amphiloch. in eius vita.*

Dices: Gelasius (c) Papa scribens Maiorricco & Ioanni Episcopis, arguit quosdam, qui in sacrificio integra sacramenta non sumebant, & *mandat vt vel integra sacramenta percipiant, vel ab integris arceantur*: ergo non debet hic modus dispensandi tolerari.

c *de consecr. dist. 2. c comperimus.*

R. Pontificem ibi arguere quosdam, & merito, qui in sacrificio alteram tantum partem, videlicet corporis Christi accipiebant, & ab altera, videlicet cruoris sacri, abstinebant, qui longe diuersi sint ab illis, qui vtramque partem sub vtraque specie sumunt, sed vnam particulam alterius speciei

cici pro ægro reseruant, vt ex antedictis facile colligi potest.

QVÆSTIO XXIX.

Quid sit de illorum qui non habentes hostiam consecratam, porrigunt non consecratam?

Quæstionis explicatio.

SEcundum communem Theologorum multipliciter potest manducari corpus Christi; subinde enim manducatur spiritualiter tantum vel sacramentaliter tantum, vel sacramentaliter & spiritualiter simul, quæ vt nota præsupponimus. Euenit casus, pastorem non habere hostiam consecratam, rogari nihilominus vt ipse sacramentale viaticum peste correpto deferat, ipse, vt vitet scandalum, existimat se posse deferre hostiam non consecratam, & ægrum, si non sumat sacramentale viaticum, recepturum saltem per fidem & deuotionem spirituale, & sic illi hostiam non consecratam ministrat; quæritur quid censendum de hoc modo ministrandi?

Responsio.

EST reprobandus, neque vllo modo tolerãdus. Ita omnes (*a*) Theologi in Magistrum

(*a*) *dist. 13.*

gistrum sententiarum excepto vno Altisiodorensi, qui præsentem casum definiens dicit: *Si contingat hominem in articulo mortis, indigere viatico, & nullam esse reseruatam hostiam consecratam ex negligentia parochi, tunc ad euitandum scandalum licere dare hostiam non consecratam pro consecrata.* Probatur communis sententia, quia hoc modo ministrans secundum (b) Innocentium, *non solum Deo illudit, sed etiam populo se astringit.* Confirmatur, quia ex mente omnium hic modus agēdi dat manifestam occasionem idololatriæ; *nemo enim* (vt ante ex D. (c) Augustino diximus) *communicat, nisi prius adoret,* imo ipsa susceptio sacramenti est quidam religionis cultus. Nec refert quod sit materialis idololatria præter conscientiam & intentionem adorantis, quia etiam est per se malum, vt aliquis sciens & prudens proponat alteri adorandam creaturam cultu diuino, & mentiatur esse Deum, qui reuera non est, est enim mendacium pernicioſum & Deo valde iniurioſum. Neque obstat, quod (d) quidam putarunt posse hunc modum ministrandi tolerari, si æger dissimulet & sciat sibi tradi hostiā non consecratam, eo q̄ tunc poterit peccatum idololatriæ vitare, quia etsi vitari possit respectu hominis qui cōmunicat; non potest

a *lib. 2. summæ, tract. 5. c. 5. q. 4.*

b *De celebr. missarū, c. 7.*

c *In Psal. 98. ad illa verb.* Adorate scabellum pedum eius.

d *Bonauent. in 4. dist. 9. Alb. Magn. dist 13. ar. 20. Adr. quodl. 3. art. 3.*

simpliciter vitari; nam ipsamet sumptio tali modo facta est actus religionis & cultus Dei respectu aliorum, qui etiamsi oculis non videant, adorant tamen id quod alteri datur ad communicandum. Ita D. Thomas (a), Alensis, Paludanus apud Magistrum.

a *sup. dist. 13.*
b *lib. de irregul. c. 20. n. 1.*

Dices: Annales de initiis regnorum (vt refert (b) Maiolus) narrant religiosos viros Hugoni à sancto Victore, doctissimo & sanctissimo viro in extremis desideranti Eucharistiam obtulisse hostiam non consecratam, quod propter languorem stomachi timerent periculum vomitus: ergo in articulo mortis, si timeatur tale periculum, vel desit hostia, & timeatur scandalum, licebit hostiam non consecratam offerre.

℣. Religiosos illos fratres grauiter peccasse, quod duplici miraculo Deus patefecit, vt citati annales testantur: Primo enim Deus reuelauit dicto Hugoni non esse hostiam consecratam, qui idcirco religiosos corripuit: Secundo, cum religiosi facti pœnitentes, alteram consecratam attulissent, ille à sumptione, propter vomitus periculum, abstinuit, nec non statim exspirauit: Eucharistia vero, quasi animæ sancti hominis ex hoc mundo migrantis

grantis adhæsit, nec vsquam amplius apparuit.

QVÆSTIO XXX.

Quid sit de illorum, qui sacramentum hoc proponunt ægris ex mensa ad hoc composita sumendum?

Quæstionis explicatio.

QVidam Sacerdotes non audentes eucharistiam in os peste infectorum propriis manibus & digitis immittere, inuenerunt diuersos modos dispensandi illam ægrotis, non manibus, sed externis quibusdam instrumentis adhibitis, puta, vel ex mensa, vel ex scutella, in qua Eucharistia est per pastorem decenter in corporali benedicto vel aliter collocata, vel ex forcipe, vel ex spatula, quibus vel infixa est, vel retenta ipsa Eucharistia, & ori peste infectorum per pastorem admota: de quibus aliquid ex ordine dicendum est; & inprimis quid sit de modo ministrandi illorum, qui sacramentum hoc proponunt ægris ore sumendum ex mensa ad hoc composita.

Responsio.

NOn est licitus, quia est contra moderni

Ecclesiæ morem: nusq; enim hodie audim⁹ hostiam deponi à sacerdote in mensa vel catino, vt inde, qui communicare velint, ore vel manibus sumant; sed vbique pastores suis digitis Eucharistiam in ore sumẽtium mittunt, vt cuiq; notum est.

Dices. Plerique Doctores dicunt, probabile valde esse, Christum Dominum in prima dispensatione huius sacramenti, quę in mensa facta est, non applicuisse manu propria panem consecratum ad ora Apostolorum, sed obtulisse tantum catinum, in quo panes consecrati erant, vt inde singuli manibus propriis sumerent, quod indicare videntur hæc Christi verba: *Accipite & comedite*. Quod etiam de calice est euidentius, ex his eiusdem Christi verbis: *Accipite & diuidite inter vos*. Obtulit ergo illis calicẽ consecratum, qui deinde per manus Apostolorum fuit ab vno ad alium delat⁹: ergo prædictus modus eucharistiam offerendi ęgro sumendam ex mensa in corporali vel patena vel catino repositam est licitus, cum sit, vt apparet, ritui, quem ipse Christus Dominus in ministrando hoc sacramento obseruauit, conformis.

R. Non omnia, quæ fecit Christus in cæna proposita esse nobis ad imitandũ, (alioquin licitũ nobis esset, post cænam hoc sacra-

sacramẽtum sumere, quod est contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem) sed illa sola, quæ Ecclesia imitanda esse suo vsu ostendit. Cæterum, quia hoc modo ministrandi non multum receditur à communi more Ecclesiæ, nec facile scandalum inde oriri aut irreuerentia sacramento irrogari posset, si ad vitandum contagionis periculum grassante peste, & raris existẽtibus sacerdotibus aliquis modus ministrandi extraneus concedendus Superiorib videretur, ille inter alios maxime saluo Superiorum & cuiuscunque alterius melioris sentientis iudicio accommodus videretur.

QVÆSTIO XXXI.

Quid sit de illorum, qui proponunt ægris ex scutellis sumendum?

Quæstionis explicatio.

MEminit (a) Maior huius modi ministrandi his verbis: *Inter scutellas etiam porrigendo sacramentum Eucharistiæ, quam ore docebit patientem reuerenter tractare*: Quibus verbis videtur significare, suo tẽpore solere sacerdotes hoc modo peste infectis ministrare ad vitandum contagium. Huius occasio-

a *Dist. 23. q. 1. §. Quarto arguitur.*

casione quæritur, quid de hoc modo dispensandi censendum sit?

Responsio.

Neque hic est licitus saltem in his Prouinciis, quia hactenus non vidimus in iis sic ministrari hoc sacramentum, ne tempore quidem pestis: An tempore Maioris ille modus fuerit in Anglia vel Hibernia grassante pestilentia ab Episcopis permissus, ille non dicit, quamuis videtur morem talem ministrandi præsupponere.

Dices. Hic modus maxime consentaneus est illi, quo iuxta quosdam creduntur Apostoli sumpsisse panem consecratum ex catino, siquidem catinus & scutella significant vas, in quo cibi proponi solent in mẽsa ad comedendum, neque vlla est differentia, nisi quod catinus vas sit magnum, scutella paruum, quæ est differentia accidentaria: videtur ergo & ille modus ritui Christi conformis.

R. Iam statim diximus, morem eum nobis proponi ad imitandum, quem pro tempore vsurpandum Ecclesia iudicârit: Itaque si ad contagionis periculum, cum desunt Sacerdotes, id pastori aut alteri Sacerdoti à Superiore pro tempore permittatur, eo licebit vti, sicut & præcedenti.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXII.

Quid sit de illorum, qui ministrant hoc sacramentum vsuali & communi pani inuolutum?

Quæstionis explicatio.

NVnciatum est mihi, hunc morem in quibusdam locis Galliæ vigere, mitti scilicet ad ægros peste Eucharistiam, pani vsuali inuolutam, quam cum eo vel sine eo sumant: neque enim satis perspectam habeo rationem agendi illorum. Quocirca quæritur, quid de hoc modo ministrandi censendum sit?

Responsio.

EStillicitus, sicut & prior propter eandem causam: Accedit, quod qui commiscet panem consecratum pani non consecrato, non videtur sufficienter diiudicare nec distinguere hunc panem sacrũ, sed potius tanquam profanum tractare, quod non videtur hoc tempore fieri posse absque magno scandalo, & tanti mysterii irreuerentia.

Dices. Christus Dominus dedit Iudæ hoc sacramẽtum sub forma panis intincti: legi-

legimus enim apud Ioannem, quod cum Iesus turbatus spiritu dixisset, *Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me: & Ioannes rogasset, Domine quis est? Respondit Iesus, ille cui panẽ intinctum porrexero.* Et Ecclesia ipso die Parasceues neque consecrat vinum, neq; pridie consecratum & reseruatum sumit, sed solum hostiam consecratam cum ablutione, hoc est, cum aqua, qua os abluitur: Ergo eodem modo licebit sumere panem cõsecratum cum alio non consecrato, vt illi in Gallia dicuntur facere.

Ioan. 13.

Ad primum respondeo cum eruditissimo (*a*) Iansenio, intinctum istum panem non fuisse Eucharistiam, quia illam omnes Apostoli iam sumpserant ante sermonem de proditore, iuxta sententiam Diui Augustini, cuius tamen locum ille non citat. Ad alterum dicimus, esse propriam illius diei cæremoniam, de cuius initio non constat, quam Ecclesia iustissimis quibusdam de causis vsurpauit, vt videre licet apud probatos Auctores (*b*) Innocentium Primum (*c*) Rabanum, (*d*) Waldensem & Iuniores & propterea non posse in exemplum trahi, cum eædem causæ in hoc casu non militent.

a In Concor. Euangelica, c. 133. §. Respondit Iesus

b In Epist. ad Decent. Eugubin. Episc. cap. 4.

c lib 2. de instit Cler. c. 3.

d tom. 2. de sacr. c. 88. & 89.

Dices 2. Quotidie in ablutione calicis vinum non consecratum miscetur consecrato,

erato, quod in interiore calicis superficie post Dominici sanguinis sumptionem relinquitur, & si reperiantur quædam reliquiæ Dominici corporis, recte illæ cum vino ablutionis sumuntur: videtur ergo tolerari posse modus ille ministrādi, quo consecratum inuoluunt non consecrato.

℟. Aliud esse assumere voluntarie aliquid loco cæremoniæ, aliud permittere aliquid, quod vitari non potest: hoc enim posterius omni culpa caret, illud fieri non potest sine graui causa, eaque per Superiorem cognita.

QVÆSTIO XXXIII.

Quid sit de illorum, qui oblongiori forcipe vel aurea vel argentea, vel simili, Eucharistiam tenent, & sic ægro porrigunt?

Quæstionis explicatio.

ETsi exiguum admodum præsidium cōtra contagionis periculū sit, si quis ab ęgro distet ad vnam vlnam vel duas, cuius longitudinis ad summum forcipes solent esse, nihilominus dicuntur reperiri, qui ad huiusmodi remedia contra contagionem

nem recurrunt: Quæritur idcirco, quid de illo censendum sit?

Responsio.

Neque hic modus est licitus. Prohibet illum tacite Illustrissimus simul & Religiosissimus Cardinalis Borromæus: *Cauet enim ne sacerdos, etiam pestis vitandæ causa, quã minimum, qui nouus sit, in administratione sacramentorum, sed maxime Eucharistiæ ritum inducat, neue instrumentum, aliudue quid simile, pro digitis adhibeat.* Et probatur eodem quo supra argumento: quia est contra Ecclesiæ cõsuetudinem, quæ nunquam hunc morem in vsu habuit. Accedit, fieri irreuerentiam sacramento: nam sacerdos exponit illud periculo casus vel decussionis in terram, vel etiã iniuriosæ fractionis: neq; enim hostia tenuis potest moraliter loquẽdo teneri forcipe siue aurea siue argentea sine periculo fractionis, nec ita certo & tuto poni in ore ægrotantis, præsertim pestiferi; tum quia peste infectus fere inquietus est, nec caput absque tremore & motu retinere potest; tum quia ipse sacerdos, qui sine instrumento oblongiori non audet ministrare sacramentum, timore correptꝰ ministrat, neque satis est præsenti animo, qui tamen requiritur ad hoc, vt sacra hostia

a *Concil. 5. Mediolan p. 2. §. Cautio in sacerdote ministrante, v. At vero.*

stia in ore sumentis recte collocetur, maxime cum experientia doceat, etiam extra casum pestis in ordinaria sacramentorum administratione, quæ fit in Ecclesia, sanis aliquando contingere, vt Eucharistia non satis apte in ore sumentium collocetur: propter quæ pericula Ecclesia, vt videre licet apud antiquos Patres & Doctores relatos apud (*a*) Gratianum, grauissimas pœnas constituit contra eos, quorum negligentia aliquid de venerabili hoc sacramẽto frangeretur, vel in terram decideret. *Calicis aut panis nostri*, inquit (*b*) Tertullianus, *aliquid decuti in terrã anxie patimur.* Et (*c*) Origenes: *Nostis, qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo, cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo paruum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur, reos enim vos creditis, & recte creditis.*

a *De consecr. dist. 2. ca. Si per negligentiam.*

b *Lib. de corona militis, c. 3.*

c *Homil 13. in Exodum.*

Dices. Non est de sacramenti essentia, vt hoc sacramentum digitis sacerdotis ministretur: poterit ergo minister alio instrumento vti, ad illud porrigendum ægrotanti, maxime in periculo contagionis

℟. Si non est de essentia sacramenti, esse de necessitate præcepti, quod sufficienter conuincit irreuerentiam, quam sacramento in-

to inferri diximus,& scandalum proximorũ, q moraliter hoc pacto ministrando euenire necessum est. Et si peste grassante, & deficientibus Sacerdotibus, ad euitandum contagionis periculum,aliquis extraneus modus ministrandi concedi deberet, hic non videretur concedendus, propter rationes & pericula iam enumerata.

QVÆSTIO XXXIV.

Quid sit de illorum, qui spatulæ oblongiori Eucharistiam infigunt, & in os peste infecti immittunt?

Quæstionis explicatio.

ET hic modus ministrandi à quibusdam vsurpari dicitur, sed stulte simul & inepte. Stulte, quia (vt statim diximus) ex illo nihil, vel parum admodum præsidii contra contagionem expectari potest. Impie, quia manifestam infert iniuriam huic sacramento. Quæritur idcirco, quid de hac ratione ministrandi censendum sit?

Responsio.

Negone hic modus est licitus, sed reprobandus

bandus, propter causas superioribus quæstionibus enumeratas.

Primum enim sacerdos hoc pacto contra morem Ecclesiæ vsurpat extraneum instrumentum.

Deinde se exponit periculo sacrilegii.

Postremo scandalum spectantibus adfert, tum propter insuetudinem, tum quia prodit exiguum vel nullum erga suas oues amorem, vt qui ad vitandum corporale periculum ad tam extranea & sacramento iniurioſa remedia confugit.

Dices. Fieri potest, vt secreto & nemine conscio ministretur hoc sacramentum, neque vllum sit periculum casus vel excussionis sacramẽti de spatula, quia illi fixè inhæret: neque vlla fiat sacramento irreuerentia, quia ministrans & recipiens viri sunt prudentes & timorati: poterit ergo secreto saltem hic modus ministrari.

℟. Ista speculatiue considerando videri vera: verum practice loquendo, nullam habere veri similitudinem: certum enim est moraliter aliquod horum incommodorum, quę superius annotauimus, ordinarie superuenturum.

QVÆSTIO XXXV.

Quid sit de illorum, qui digitis chyrotheca, vel simili aliqua re tectis, hoc Sacramentum ministrant?

Quæstionis explicatio.

VIdetur & hic modus ministrandi in Italia à quibusdam sacerdotibus ad vitandum contagium vsurpatus: nam & illum (*a*) Illustrissimus Borromæus damnasse & prohibuisse videtur, cum dixit: *Neue instrumentum, aliudue quid simile ad ministrationem Eucharistiæ pro digitis, vel adeo in ipsis adhibeat*: Vetat enim (vt videtur) ne digiti, quibus sacramentum hoc contrectatur, vlla re, siue chyrotheca, siue alia simili sint cooperti: vult ergo digitis nudis teneri Eucharistiam, & sic in ore sumentis deponi. Huius occasione quæritur, quid de hoc modo ministrandi dicendum sit?

a *Borrom. de cura pest. ca. 15. numer. 2.*

Responsio.

NEque hic est licitus, propter rationes statim allegatas. Adde, quod stultum & parum cautum videtur, assumi

medium ad fugiẽdam contagionem: nam si contactus vel labiorum, vel linguæ, vel saliuæ peste infecti timeatur per digitos ministrantis discoopertos, potest & idem timeri per eosdem quocunque instrumento tectos, præsertim cum hoc modo ministrans non minus vicinus sit ægro ad cõcipiendam tum tactu tum aliis sensibus contagionem, quàm si ordinario modo ministraret.

Dices. Episcopus ornans se vestibus sacris ad diuinum officium peragẽdum, post indutam dalmaticam, iuxta ritum Apostolorum, vt dicit (*a*) Durandus, manus cooperit chirothecis: ergo poterunt & sacerdotes vti illis ad sacramenta ministranda.

a *Duran. de diuin. officiis lib. 3. cap. 12.*

℟. Episcopum ex antiquissimo Ecclesiæ more, propter significationem mysticam, quam ibi Durandus refert, obligare manus chyrothecis, dum legit vel cantat, vel progreditur vel populo benedicit; non autem dum confirmat, vel ordines confert, aut alia sacramenta conficit: vnde male illud ad iustificandum hunc modum ministrandi hoc sacramentum assumitur.

QVÆSTIO XXXVI.

Quid sit de illorum, qui dant sanis Eucharistiam asseruandam, vt, si peste corripiantur, illam sumant?

Quæstionis explicatio.

CAsvs est talis: Timent subditi, ne pastore peste infecto vel mortuo nō sit alius, qui Eucharistiam illis ministret; Itaque petunt à pastore aliquas hostias sibi dari, quas in necessitate sumant, vt dicuntur feciſſe Religioſæ in quodā claustro, quæ à Confessario peste correpto petierunt consecrari plures hostias, quas in sacra pixide seruarunt, & postmodum peste correptæ, inde sibi sumpserunt & ministrarunt: quid de hoc modo agendi censendum?

Responsio.

NEque hic modus est licitus, peccat enim multipliciter: Primo contra morem & consuetudinem præsentis Ecclesiæ, quæ non solet dare Eucharistiam, vt asseruetur in (*a*) priuatis & profanis ædibus. Deinde, quia committit laicis (*b*) & sæcula-

a *Conc. Tol. 1. c. 14.*

b *c. Peruenit de consecrat. dist. 3.*

sæcularibus asseruandam Eucharistiam, quibus vel ipsa (a) vasa sacra contingere prohibitum est. Postremo, quia iniuriam facit sacramento, exponit enim illud multis abusibus etiam sacrilegis, vt videre licet in Conciliis (b) Toletano, (c) Cæsarauguſtano: & præsertim si statum huius temporis consideremus, quo passim malefici & sagę abutuntur sacramentis, & præsertim Eucharistia, ad sua maleficia patranda, vt apud Paulum (d) Grillandum & alios videre est.

a *Con. Rom. 2. sub Sylues. can. 9.*

b *Tol. 1. c. 14*
c *Cæsar. c. 3.*

d *Tract. de sacril. q. 3. n. 9.*

Dices. In primitiua Ecclesia in more positum fuit, vt priuati acceptam à sacerdote in Ecclesia Eucharistiam secum domum deferrent & seruarent, qua pro oportunitate & necessitate communicarent: Cuius consuetudinis testes sunt D. (e) Basilius: *In Alexandria & Egypto* (inquit) *vnusquisq; de populo habet communionem in domo sua acceptam à Sacerdote sacrificante & distribuente.* Et (f) Tertullianus: *Nesciet* (inquit) *maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciuerit, panem non illum esse credet, qui dicitur.*

e *Epistol ad Cæs. Patrit.*

f *Lib. 2. ad vxorem.*

℟. Huiusmodi consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ, sicut & alias quasdam, (de quibus ante diximus) aliquot sæculis toleratam fuisse, propter paucitatem &

raritatem Ecclesiarum & sacerdotum, nec non insignem pietatem Christianorum, q̃ ea religiosissime & sanctissime vtebantur, vt videre est apud D. Augustinum (a) Bedam (b) & alios: verum progressu temporis, crescente numero sacerdotum, refrigescente etiam pietate & religione Christianorum, prohibitũ fuisse alibi asseruari Eucharistiam, quam in templis idcirco consecratis, vt videre licet in Conciliis Toletano & Cæsaraugustano ante citatis. Itaque non ad illam antiquam consuetudinem respicere debemus: facies enim Ecclesiæ ab illo tempore plane immutata est, sed ad præsentem sacris Canonibus & modernis fidelium moribus attemperatam.

a *Serm. 156. de Tempore*
b *Hist. Angl. lib. 4. ca. 24.*

QVÆSTIO XXXVII.

Quibus modis potissimum peccari solet in administratione sacramenti Eucharistiæ tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

COnsueta methodo mouetur hæc q̃stio, vt breuiter recenseam⁹ peccata, quæ frequentius accidere solent tempore pestis in consecratione & administratione sacra-

sacramenti Eucharistiæ, cui quæstioni satisfiet, si summatim attingamus quæ hoc capite fusius per quæstiones plures distinximus.

Responsio.

PEccat primo, qui tempore pestis regulariter non ministrat hoc sacramentum etiam cum periculo vitæ.

2. Sacerdos religiosus qui absente siue iuste siue iniuste pastore, rogatus ab ægro, non vult illi ministrare, & est mortale contra charitatem proximi.

3. Similiter Diaconus, qui absente pastore, vt ante dictum est, rogatus recusat ministrare.

4. Pastor qui non omnibus, sed tantum quibusdam ministrat, cum tamē morali diligentia adhibita, pluribus ministrare posset, & est mortale contra iustitiam & charitatem.

5. Qui non ministrat amentibus & in furorem actis, si alias sint bene dispositi, & nullum subest periculum irreuerentiæ sacramenti.

6. Qui non ministrat non valentibus petere præ magnitudine morbi, vel alias, si alioqui sint bene dispositi.

7. Qui non ministrant pueris peste in-

fectis, si ante conceptam pestem cœperant confiteri & communicare.

8. Qui non ministrant suspectis de peccato mortali, etiam violenter, si ægri peccatum negent, & sacramentum sibi dari petant.

9. Et qui publice negat iis, quos per cõfessionem scit in peccato mortali versari.

10. Et qui negat publicis vsurariis, meretricibus, concubinariis, si signa contritionis exhibeant.

11. Contra, qui ministrat iis, quos probabiliter scit passuros vomitũ, vel quos propter linguæ tumorem, vel ariditatem & siccitatem, vel difficiliorem respirationem, vel nimis frequentem sternutationem, tussim, singultum, vel cruoris excreationem, vel aliam similem passionem scit non posse species sacramentales dimittere in stomachum. Et qui huiusmodi ægris defert Eucharistiam ad deosculandum.

12. Et qui non ministrat de peste suspectis, rite dispositis.

13. Et qui sibi ipsi peste infecto non ministrat, si non est alius sacerdos, qui illi dispensat.

14. Qui vt ministret hoc sacramentum consecrat speciem panis extra sacrificium missæ.

15 Simi-

15. Similiter qui vt ministret non habens speciem panis consecrat tantum speciem vini.

16. Et qui in missa consecrat vtramque speciem, sed ministrat ægro speciem vini.

17. Sic & ille qui vtramq; speciem consecrat, sed alteram in pane fermentato.

18. Similiter ille qui celebrat non ieiunus, vt ægro sacramẽtum ministrare possit,

19. Qui à longe positus, non habens hostiam, consecrat illam, quam æger in manibus habet,

20. Qui in tam multas partes hostiam populo distribuendam diuidit, vt, moraliter loquendo, non possit distribui sine irreuerentia sacramenti, & scandalo populi.

21. Et ille qui non habens hostiam consecratam porrigit non consecratam.

22. Similiter qui non audens accedere peste infectum propter periculum contagionis à longe positus apponit ægris ex mẽsa ad hoc composita sumendam.

23. Et qui proponit ægris sumendam ex scutellis.

24. Nec non ille qui pani vsuali & communi inuolutum ministrat.

25. Et ille qui oblongiori forcipe Eucharistiam tenet, & sic ægro ministrat.

26. Et

26. Et ille qui spatulæ oblongiori Eucharistiam infigit, & sic in os peste infecti immittit.

27. Pariter & ille, qui dat sanis Eucharistiam domi asseruandam, vt si peste corripiantur illam sumant.

Dices: Quale peccatum non seruare ritus ecclesiæ consuetos in minstranda peste infectis vel de ea suspectis, Eucharistia?

℟. Est mortale contra virtutem religionis, vt ante ex Turrecremata, & Iacobo de Graffiis annotauimus.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

DE NECESSITATE ET MODO ministrandi sacramentum Extremæ Vnctionis tempore pestis.

QVÆSTIO I.

Vtrum teneantur pastores administrare sacramentum Extremæ Vnctionis tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

SI quidam (*a*) dubitarunt, an ministranda sint præcedentia sacramenta tempore pestis, nil mirum, si & de hoc dubitarint, cum non sit tantæ ac illa necessitatis: Quæritur ergo, vtrum pastores teneantur ministrare hoc sacramentum tempore pestis?

a *Armilla verb. Episcopus. num. 8. Abulen. q. 306. in c. 22. Matth.*

Responsio.

TEnentur, quia ex officio (*b*) obligantur procurare salutem populi sui mediis ordinariis à Christo institutis, idque non solum tempore salubri, sed & contagioso & pesti-

b *Gabr. Biel. serm. Dominicæ, 4. post Penthec. Io. 4. de fuga pest. concl. 2. color. 2. Eck. hom. vlt Domin. 2. post Pascha. Espenc. in Epist. Timoth. lib. 3. digress. c. 19. Zuar. tom. 4. in 3. D. Thom. disp.*

pestifero, vt ante ostendimus. Sed vnum ex his est Extrema Vnctio: sacramẽta enim secundum omnes sunt ordinaria media, quibus pastores, tum superiores, tum inferiores procurant salutem tum ipsius ecclesiæ simul, tum singulorum membrorum seorsim. Confirmatur primo, quia alias tempore pestis populus esset destitutus ministris, qui ex obligatione tenerentur hoc sacramentum ministrare, quod videtur absurdum, & contra communione bonum. Confirmatur secundo, quia frequens est, vt peste infecti propter amentiam & alia symptomata, in quæ vi morbi incidunt, non possint recipere aliud sacramentum, ergo tenebuntur pastores istud illis ministrare, cuius virtute de attritis fiant contriti & saluentur, vt notauit (*d*) Paludanus, & post illum recentiores.

a *Palud. in 4. dist. 23. q. 3. concl. 4. & Bellarm. lib. de extr. Vnc. c. 5. in fin. & Henriq. lib. 3 Summ. c. 10. n. 3. Litera f.*

Dices: Pastores non tenentur subditis ad ministrandum omnia, quę eis vtilia sunt ad salutem, sed tantum necessaria; alioquin intolerabile esset onus pastorum: Hoc autem sacramentum non est ad salutem necessarium.

℟. Falsum esse antecedens ita vniuersè sumptum: Esto enim, non teneri pastores ex præcepto & obligatione rigorosa omnia media vtilia ad subditorũ arbitrium ministrare,

strare, quod posset censeri onus graue & intolerabile, (a) tamen falsum est solum teneri ad necessaria ministranda; quia id cederet in magnum detrimẽtum fidelium, & esset contra debitũ pastorum munus: Quare tenentur eis ministrare remedia, si non omnia, certe ordinaria, quæ Christus omnibus fidelibus reliquit, & quæ sunt in ordinario vsu ecclesiæ, quando oportuno tempore, & secundum rectam rationem petuntur: Et bene notarunt parochiale (b) Leodiense & (c) Remense, non euadere peccatum mortale illos, qui negligentes sunt in huius sacramenti administratione. Adde nec illos, qui subditis illud sibi ministrari petentibus recusant, vt plures eruditi & pii viri moderni sentiunt.

a *Adrian. q. 5. de Confess. dub. 8. Soto dist. 18. q. 4. ar. 2. Nauar. c. consider. de pœnit. dist. 6. num. 152.*

b *Paroch. Leod. pa. 138. §. An sit hoc sacramentum necessitatis.*

c *f. 50. pag. 2.*

QVÆSTIO II.

An etiam cum periculo vitæ?

Quæstionis explicatio.

TEneri pastores ministrare sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, cum periculo vitæ, ante iuxta plurium Theologorum sententiam asseruimus: Modo quærimus, an idem dicendum veniat de sacramento Extremæ Vnctionis?

Responsio.

Responsio.

Dico primo: Si pastores in ministratione huius sacramenti timent periculũ contagionis, tenentur remedia moraliter possibilia adhibere, vt possint hoc sacramentum quantum fieri potest, tuto ministrare, vt colligitur ex Doctoribus priori quæstione citatis. Et probatur, quia hoc sacramentum tempore contagionis est maxime vtile fidelibus, & per se spectat ad ministerium & obligationem pastorum, igitur debent allaborare, ne cogãtur suos subditos illo priuare, remouendo omnia, quæ possint illius administrationem impedire, comparando res præseruatiuas & communia remedia contra contagionem. Et confirmatur, quia pastores tenentur pluris facere magnum bonum spirituale suorum subditorum, exiguâ pecuniâ, quam pro emendis huiusmodi præseruatiuis insumere deberent, vt patet ex debito & ordine charitatis.

Dico secundo: Si adhibitis huiusmodi remediis possint ministrare hoc sacramentum sine magno periculo, tenebũtur illud ministrare, & periculũ saltem paruum adire: quia superioribus quæstionibus ostendimus pastores teneri ministrare hoc sacramentum, sicut & reliqua, non tantum ex charita-

charitate, sed ex iustitia: Ergo hæc obligatio astringit pastores etiam cum periculo aliquo contagionis; & confirmatur, quia (vt ante diximus) Dux vel miles in temporali militia, sæpe obligatur exponere vitam suam corporalem maioribus periculis propter aliquam temporalem commoditatem, ergo & pastores eo tempore, quo spirituale bellum contra subditos suos exercetur, tenebuntur se exponere saltem aliquali periculo vitę corporalis, ministrando eis sacramentum extremę Vnctionis, quod oportunissimum est ad vincendas illius temporis tentationes, & ad perfecte disponendam animam ad beatitudinis consecutionem.

Dico postremo: Si adhibitis remediis iudicio Catholicorum, & proborum Medicorum restet adhuc morale, & quasi certum contagionis periculum, non tenentur pastores ordinarie illud ministrare, & periculo se exponere, quia hoc sacramentum non est medium necessarium ex diuino præcepto, sicut alia, quibus nisi obex ponatur, sufficienter subuenitur saluti subditorum.

Dixi (*ordinarie*) quia frequenter fit, vt subditi non possint alia sacramenta suscipere, vt obiter superiore quæstione dixi-

mus, quibus casibus tenebuntur pastores, etiam cũ certo periculo vitæ hoc ministrare, ne sine sacramento decedant, & pereant, qui alias saluarentur.

Dices: Quæ remedia ad vitandam contagionẽ in ministratione huius sacramenti imprimis sunt adhibenda.

℟. Præter communia, de quibus in superioribus diximus, imprimis (a) expediet anticipare collationem huius sacramenti, ministrando illud initio ægritudinis, antequam contagio vires acceperit, quia cum pestis sit per se læthalis, & alias adeo noxia, non oportet aliquẽ gradum eius expectare, sicuti fieri debet in aliis pluribus generibus morborum; sed statim à principio impendi potest. Deinde expediet vt peste infecti initio morbi constituantur in loco puro & libero sine vestibus, quoad fieri poterit & honestas permittet. Postremo vt pastor virgula aliqua, argentea vel alia oblongiori vtatur ad vngendum à distantiori loco, vt infra explicabimus.

(a) *Maior in 4. dist. 23. Gab. Biel. Breaert sup. Henric. lib. 3. sum. c. 11. n. 1. Petr. de Ledesm. in summa, c. 6. concluſ. 3. Borrom. sup.*

Dices: Quid si istis & similibus remediis adhibitis & tentatis, remanet aliquod periculum contagionis, tenebitur pastor se illi exponere, etiamsi ante ministrauerit sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ?

℟. Tenebitur, si iudicio medicorum & exper-

expertorum non sit morale (a) periculum, quia experientia teste, periculum illud frequentius ex nimio timore, quam ex re ipsa hascitur.

a *Gabr. Biel. sup. Borrom. de cura pestilentia, c. 13. n. 2. Zuar. sup.*

QVÆSTIO III.

An teneantur etiam ministrare tempore interdicti?

Quæstionis explicatio.

DE (b) iure non licet tempore interdicti generalis ministrare sacramentum Extremæ Vnctionis, ne ipsis quidem clericis & religiosis, qui habitant in loco interdicto, etiamsi nō sint interdicti, secundum (c) Canonistas: Huius occasione quæritur, an pastores excusentur tempore pestis, an vero possint & debeant illo non obstante hoc sacramentum ministrare?

b *c. Respōsio de sent. excō. & ibi Panor.*

c *Ioan. And. & Chalder.*

Responsio.

EXcusantur; nisi peste infecti non possint aliud sacramentum recipere. Primum patet ex verbis (d) Innocentii Tertii: *per generale interdictum* (inquit) *denegatur omnibus tam vnctio, quam Ecclesiastica sepultura.* Alterum probatur, quia ideo in articulo mortis conceditur (e) tempore interdicti ministratu sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ, quia

d *c. Quod in te. de senten. excom.*

e *alma Mater, §. Quia vero.*

quia sunt ad salutem necessaria, & in tali tempore præcepta: Sed in casu prædicto Extrema Vnctio secundum (a) Paludanum necessaria est necessitate præcepti; sicuti dicimus morientem, si nullũ aliud posset recipere sacramentũ, teneri confiteri per interpretem, vbi alias non teneretur, ne exponat animam suam periculo damnationis æternæ: Confirmatur, quia credendum est ecclesiam cõcedere id, quod quisque pius concederet eo casu, ne forte moriens damnaretur. Et hæc epikeia, qua vti licet, quando non est commodus recursus ad Superiorem, & probabiliter creditur, ita eum vel legem velle, licet sit aliqua formido de opposito, vt communiter docent (b) Theologi.

a *Palud. in 4. dist. 23. q. 1 ar. 3. concl. 3. n. 24. & alij supr. citati.*

b *Caiet. 1. 2. q. 76. art. 7. Soto lib. de iust. & iure, q. 6. art. 3. Ant. p. 1. tit. 17. §. 20. Sylvest. verb. Papa q. 16.*

Dices: Non poterit ministrari illo tempore absque scandalo: ergo præstabit abstinere.

℟. Satisfiet scandalo, si quod tempore illo generari possit, publice populum admonendo id licere propter necessitatem spiritualem ipsius ægroti, qui verisimiliter sine sacramentis decedens damnaretur.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An etiam teneantur sacrificium missæ cœptum deserere, vt peste infectis hoc sacramentum ministrent?

Quæstionis explicatio.

CLari (*a*) iuris est, sacerdotem ingressum ad celebranda missarum solemnia non debere recedere, nisi finierit, & eum qui præsumit aliter facere, suspēdi ab officio missæ: Huius occasione quæritur, an pastor vocatus ad peste infectum iam animam agentem, teneatur dimittere sacrificium missę, quod celebrare incœpit, vt illi hoc sacramentum ministret, an vero à ministratione excusetur.

a *c. nullus. De consecra. dist. 1.*

Responsio.

EXcusatur, si antea ægro sacramentum pœnitentiæ & Eucharistię ministrauit; secus si propter illius indispositionem, non potuit ministrare: Ratio prioris partis est, quia cum istud sacramentum in illo, qui confessus fuit, & viaticum digne sumpsit, non sit tantæ necessitatis, habenda est ratio SS. Missæ mysterii, quod dimitti non potest (vt Nauarrus (*b*) dicit) quin præbeatur interessentibus causa distractionis à debita illius attentione & imaginatione

b *de orat. & horis canon. c. 16. n. 55.*

rerum superfluarum & similium. Ratio alterius est, quia illo casu peste infectus est in extrema necessitate spirituali, quo casu secundum (a) Canonistas tenetur pastor dimittere sacrum etiam post cõsecrationem ad sacramentum Baptismi ministrandum, si infans sit in periculo vitæ: & secundum Theologos administranda sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ: ergo etiam Extremæ Vnctionis, in casu de quo nunc agimus, quia eadem ratio hic & ibi militat.

a Ad c. Nullus Episcop. de cons. dist. 1. & specialiter ibi gloss.

Dices: Quid si sacerdos vngens infirmum, pestem concipiat, nec possit sacrum cœptum perficere, quid illo casu agendum erit?

R. Si non peruenerit ad consecrationem, relinquetur sacrificium, quia tunc nullus est defectus substãtialis, qui debeat suppleri, nec manebit idcirco sacrificium imperfectum, quia necdum erat substantialiter inchoatum; omnia enim quæ consecrationem præcedunt, sunt accidentalia ad ipsum sacrificium: si vero ad illã peruenerit, & consecrarit, debet sacrificium per alium perfici, ne (b) maneat imperfectum.

b c. Nihil, 7. q. 1.

Dices 2. Si consecrauit tantum vnam speciem, quid faciet superueniẽs perfecturus sacrificium?

Respon-

Respondet (a) Innocentius debere vtrãque speciem adhuc consecrare, & postea simul consumere cum alia hostia per alium sacerdotem consecrata, qui in hoc fundari videtur, quod dubium esse existimat, an consecratio vnius speciei sine altera facta teneat: sed in hoc nulla est dubitandi ratio, vt superiore capite ostendimus. In eo igitur casu sufficit, vt alius sacerdos alteram tantum speciem consecret, & vtramque sumat: Quod apertè docet D. (b) Thomas, quamuis idem relinquat, opinionem Innocentii vti probabilem, sed hæc non sunt propriæ huius instituti.

a *Lib. 4. de mysteriis missæ.*

b *In 4. dist. 8. q. 4. art. 4.*

QVÆSTIO V.

An absente vel mortuo pastore teneantur & alij sacerdotes ministrare hoc sacramentum?

Quæstionis explicatio.

SVbinde (c) Deo iuste propter peccata populi irato pastores ante alios è medio pestilentia eripiuntur, vt in plerisque historiis legimus: Quæritur, an eo casu alii sacerdotes hoc sacramentum ministrare teneantur?

c *Annales Godefridi monachi. anno 1167. & aliorum.*

Responsio.

a *Gab. Biel. Zuares, Brewert. supr.*

TEnentur(*a*)plerisq; casibus,si non ex iustitia,certe ex charitate,quia frequentet vel huiusmodi peste infecti sunt in extrema necessitate, puta, si non sint capaces alterius sacramenti,vt iam diximus,vel sunt in graui,quia etiamsi ante confessi fuerint & communicarint, tamen instante morte vsqueadeo grauibus infidelitatis, desperationis, & similibus tentationibus oppressi sunt, vt nisi hoc sacramento confortentur & alleuientur timendum sit, ne infœliciter ex hac vita decedant: ergo illis saltem casibus,alii sacerdotes tenebuntur hoc sacramentum ministrare.

Dices: Tenebunturne illis casibus licentiam petere à Superioribus, vt hoc sacramentum ministrent? Ratio dubitandi est, quia ministratio sacramentorum proprie ad officium parochorum pertinet, quod nulli sacerdoti propria authoritate vsurpare licet.

℟. Non requiri expressam licentiam, sed sufficere interpretatiuam aut præsumptam, quamuis (*b*) Zuares amplius dicat, non esse tunc tam interpretatiuam licentiam,quam excusationem ab obligatione, vel necessitate talis licentiæ.

b *Zuar. tom. 4. in 3. p. D. Thom. disp. 44. sect. 2. §. Addendum.*

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

An etiam Religiosi teneantur hoc sacramentum ministrare?

Quæstionis explicatio.

SVperioribus capitibus diximus, Religiosos in casibus necessitatis teneri ministrare sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ & Eucharistiæ: modò quærimus, an iisdem casibus teneantur quoque ministrare sacramentum extremæ vnctionis?

Responsio.

TEnentur iisdem casibus, si non ex iustita, certe ex charitate.

Dices. In (a) Clementinis prohibetur Religiosis ministrare hoc sacramentum etiam sub pœna Excommunicationis, non-solum ergo non tenentur, sed nec poterũt licite id facere.

R. Quidam concedunt Consequentiam, vt (b) Sylvester & (c) Caietanus: Alii probabilius (d) negant, quia Pontifex ibi non intendit aliquid prohibere de nouo Religiosis, sed solum censuram adiungere priori obligationi, & ideo non vetat eis dare extremam vnctionem iis casibus, quib.

a *c. Religiosi, de priuil. in Clementinis*

b *Sylvester verb. Excõmunicatio, 7. n. 14.*

c *ver. Excõmunicat. 14.*

d *Zuar. tom. 4 in 3. D. Th disp. 44. sect. 2 §. Quæri hic potest.*

iure communi, vel quasi naturali tenentur, nec vult etiam sacramentorum administrationem concedere parochis in detrimentum infirmorum, sed solum ius eorum, & debitam subordinationem defendere, vt ex professo doceri solet in Tractatu de censuris ecclesiasticis.

QVÆSTIO VII.

An teneantur & ipsi Episcopi?

Quæstionis explicatio.

EPiscopos, Sacerdotes, deficientibus aliis teneri Pœnitentiam & Eucharistiam ministrare, iudubium est. Quæritur an similiter teneantur & istud?

Responsio.

TEnentur, quia & ipsi sunt pastores animarum, tenenturque proinde non solum ex charitate sed etiam ex iustitia earum curam habere per seipsos, si per alios sacerdotes inferiores, qui sunt eorum coadiutores, non possunt, quod plurimos sanctissimos Episcopos in simili casu fecisse legimus.

Borrom. de cur. pest. c. 13. num. 3.

Dices. D. Iacobus vult induci & vocari Presbyteros non Episcopos: non solum ergo non tenebuntur Episcopi, imo nec poterunt

terunt licite ministrare.

Respondet Innocentius Primus his verbis. *Superfluum est, vt de Episcopo ambigatur, quid Presbyteris licere indubium est: nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicare & vngere chrysmate sine cunctatioone potest, cuius est ipsum chrysma conficere.* Et nota, quod sub nomine chrysmatis oleum sanctum infirmorum comprehenditur, cuius benedictio ad Episcopum pertinet.

a *Inno. I. ep. 2. ad Decen. capit. 8.*

QVÆSTIO VIII.

An absente Episcopo & reliquis Sacerdotibus indigenis liceat peste infecto aduocare aliunde Sacerdotem aliquem excommunicatum vel suspensum?

Quæstionis explicatio.

SVperioribus capitib⁹ ostendimus, licere propter aliorum sacramentorum necessitatē: cum autem istud sacramentū non sit ordinarie tantæ necessitatis merito quęri potest, an absentibus Sacerdotibus & ministris indigenis licebit peste infectis aliun-

aliunde etiam excommunicatum vel suspensum aduocare, qui hoc sacramentum ministret?

Responsio.

Vide Zuar. in 3. D. Thō. de sacr. disp. 44. sect. 2 §. Dubitari enim.

ALiqui putant licere, quia non est verisimile, Ecclesiam hoc voluisse prohibere cum tanto periculo infirmorum. Alii putant non licere, quia videmus Ecclesiam non permittere ordinarie dare vel accipere hoc sacramentum tempore interdicti, verisimile ergo videri, non permittere administrationem excommunicato vel suspenso nominatim declarato, vel notorio Clerici percussore: Ratio eorum est, quia si excommunicatus sit, priuatus est omnibus actibus iurisdictionis & ordinis: si vero sit suspensus, saltem caret vsu iurisdictionis, & ideo non potest hoc ministerium exercere. Verum vtraque sententia conciliari posse videtur, distinctione iam aliquoties insinuata: iam enim peste laborans est in extrema necessitate, nec potest aliud sacramentum accipere, vel non est. Si primum, non solum æger poterit, sed etiam tenebitur aduocare, quia nō est verisimile, Ecclesiam ad talem casum extremæ necessitatis respicere quando aliquem excommunicat vel suspendit. Si alterum, non poterit, quia licet

licet ægroti sint semper in aliqua necessitate spirituali, non tamen tanta, vt propter illam cessare debeat vigor ecclesiasticæ disciplinæ.

Dices: Quid si ipse pastor sit excommunicatus, poteritnè ipse ministrare, vel tenebitur alium si possit substituere?

℟. Si alium potest substituere, tenetur; si non potest substituere, & propter instans mortis periculum Superiorem pro absolutione adire, ministrabit, vel non ministrabit iuxta distinctionem iam dictam.

Dices 2. Dare licentiam ministrandi sacramenta, est actus iurisdictionis secundū probabiliorem sententiam: ergo pastor excommunicatus non poterit alteri dare licentiam.

℟. Verum est per se loquendo, tamen ex accidenti propter necessitatem infirmi, ne sine hoc sacramento moriatur, probabile est, posse id facere, quia tunc dare licentiam, non est tam agere quàm permittere, vt alter ministret, quādo necessitas cogit, cum non sit alius habens potestatem sine legitimo impedimento.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

An liceat tandem aduocare Diaconum, Subdiaconum, Clericum vel etiam Laicum, si Sacerdos haberi non potest?

Quæstionis explicatio.

DVm pestis circumquaque longe & late grassatur, accidit subinde, vt nullus reperiatur sacerdos, qui sacramẽta ministrare velit, vt ante notauimus. Quæritur idcirco, an tali casu liceat aduocare aliquem sacerdote inferiorem, puta Diaconum, & sic consequenter?

Responsio.

NON licet, & est de fide: quia sacerdos est minister huius sacramẽti simpliciter necessarius, ita vt propter nullam causam vel defectum possit laicus, imo nec Subdiaconus aut Diaconus sacramentum hoc ministrare: Sic enim sine exceptione loquitur (*a*) D. Iacobus: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros.* Et confirmatur (*b*) Concilii Tridentini auctoritate, cum docet; *Episcopum vel Sacerdotem rite ordinatum, esse proprium minis trum huius sacramenti*: Et Concilii

a *Iacob. 5.*

b *Sess. 14. c. 3.*

Concilii Florentini, cum dicit simpliciter, ministrum huius sacramenti esse sacerdotem nulla adhibita exceptione. Tandē confirmatur & explicatur ratione: nam in rebus supernaturalibus, quæ ex institutione pendent, non licet nobis ad regulā generalem addere exceptionem sine authoritate vel euidenti ratione: hîc autem regula generalis Iacobi est, vt *ad vngendum infirmum inducatur Presbyter*. Et Concilia declarant, illum esse sacerdotem, quem simpliciter definiunt esse ministrum: nulla autem est auctoritas ad excipiēdum ab hac regulā aliquem casum, nec etiam probabilis ratio; quia sacramētum hoc non est necessitatis. Et per se loquendo, magis necessarium est sacramētum Pœnitentiæ, quod nihilominus propter nullam necessitatem potest ab alio quàm à sacerdote ministrari.

Dices. Innocentius (*a*) Pontifex videtur facere exceptionem his verbis: *Non solum sacerdotibus, sed omnibus Christianis licet vti oleo, in sua aut suorum ne essitate vngendo*. Loquitur autem de sacramento extremæ vnctionis. Deinde exceptionem videntur facere exēpla Sanctorum, etiam non sacerdotum: nā de discipulis S. Antonii, qui non erāt sacerdotes, scribit (*b*) Ruffinus, vnxisse infirmos. &c.

a *Epist. 11. ad Decenn. c. 9.*

b *Lib. 2. hist. c. 4.*

Ad. Inno-

Innocentium Pontificem loqui de vsu passiuo huius sacramenti, scilicet, licere omnibus fidelibus vti hoc oleo, vocando Presbyteros, qui se vel suos in necessitate vngant: Ita exposuit illum (*a*) Ruardus, & post illum (*b*) Iansenius. Ad exempla SS. dico primò: non esse certum, illos fuisse vsos oleo ab Episcopo consecrato. Secundò si vsi fuerunt, credendum est diuina inspiratione motos, assumpsisse materiam huius sacramenti, non ad conficiendum sacramentum, sed ad obtinendam curationem per preces & orationes, maxime cum id nō sit intrinsece malum, nec constet esse prohibitum.

a *art. 2. Lou.*
b *In 6. cap. Marci.*

QVÆSTIO X.

Vtrum Pastores teneantur omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrare?

Quæstionis explicatio.

HActenus diximus, qui tenentur hoc sacramentum ministrare: nunc ordo nobis propositus postulat, vt sicut in aliis sacramentis secundo loco quæsiuimus, an omnibus ministranda venirent, & postea in particulari: de quibus alicui videri poterat non

rat non esse ministranda: Ita & hic quæramus primo generatim an hoc sacramẽtum omnibus sit ministrandum: Deinde speciatim, an iis, de quibus videri posset, non posse nec debere ministrari?

Responsio.

TEnentur regulariter omnibus ad illud recipiendum dispositis: quia pro(a) omnibus infirmis sine vlla acceptione personarum institutum est: Deinde omnes fideles ius habent ad sacramenta, quia vt ante diximus, *in Christo Iesu non est masculus neque fœmina, neque Iudæus, neque Græcus.*

a *Iacob. 5.*

Dices: Receptis legitimè sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ peste infecti sunt in gratia: ergo saltem illis, qui hæc sacramenta ante receperunt, non est necessarium ministrare hoc sacramentum.

℟. Sicut alibi diximus, si articulus mortis superueniens excludat receptionem huius sacramenti, ita præsumi posse, sed si, vt communiter fieri solet, aliquod tempus interiaceat inter receptionem aliorum sacramentorum, secus longe esse: Quare & illis ministrari debebit hoc sacramentum, cum ea moderatione, quam ante præscripsimus.

QVÆSTIO XI.

An etiam illis, de quibus dubitatur, an sint peste infecti?

Quæstionis explicatio.

PEstis morbus est initio cognitu difficilis, *plures enim peste laborare deprehenduntur* (inquit (*a*) Valeriolus) *quibus neque pulsus exitialis, nec vrina, nec vix vlla aduersæ valetudinis signa apparent, sanique videntur*, & timor contagionis vsque adeo quorundam rectum iudicium euertit, vt sibi aliisque persuadeant, se peste infectos esse, cum plerumque tales non sint. Horum occasione, quid si dubitetur de aliquo, an sit peste infectus, poteritne illi ministrari hoc sacramentum?

a *lib. locorũ cõmunium.*

Responsio.

SI probabile est dubium, potest & debet ministrari sub conditione, si vere peste infectus est; quia communis est doctrina, in casibus dubiis sacramenta ministrari posse sub conditione, vt sæpius ante ostẽdimus, & speciatim de hoc sacramento affirmant plerique (*b*) Summistæ.

b *Armilla verb. vnctio. §. 7. Taberna eod verb §. 6. Sylvest. eod. §. 5.*

Dixi, (*si probabile dubium est*) quia tempore pestis reperiuntur quidam, quia nimio

contagionis timore perculsi, sine ratione existimãt se peste correptos, cum non sint: Itaque pastor vel per seipsum, vel per medicum studebit cognoscere, an probabile & morale dubium sit, an vero phantasticum ex timore vano, vel ex deprauata complexione, vel læsione cerebri exortum, quia hoc posteriore casu non potest sacramentum istud sine illius iniuria ministrari, cum pro solis infirmis sit institutum.

Dices: Quale peccatum est inungere illum, qui infirmus non est?

R. Natura sua mortale est, & ad sacrilegium pertinet: sani enim non sunt illius capaces, vt patet: quare qui illis ministrat non secus peccat, quam si quis mulierem ordinaret in sacerdotem, vel mortuum baptisaret, vel pomum verbis sacramentalibus consecraret: verumtamen, quia vt ante diximus, hic morbus cognitu est difficilis, vt etiam periti Medici interdum decipiantur, si quis sub conditione inungat illum, qui probabiliter iudicatur peste correptus, etiamsi non sit, nullum erit peccatum.

QVÆSTIO XII.

An etiam illis, qui peste infectis seruiunt?

Quæstionis explicatio.

QVæstionis huius occasionem præbet partim timor, partim cura & sollicitudo pastorum: Timor, ne sæpius ad eandē domum peste infectam pro ministratione huius sacramenti redire cogantur cum maximo contagionis periculo: Cura vero & sollicitudo, quia experientia cognoscunt vno peste mortuo in aliqua domo, reliquos domesticos quātumuis robustos frequenter infici, & quantocius absque sacramentis ad aliam vitam non sine salutis discrimine migrare. Quare nō immerito quæritur, an etiam debeant talibus hoc sacramentum ministrare, an vero excusentur?

Responsio.

NOn debent, imo non possunt licite ministrare: Est fidei, & colligitur clare ex verbis (*a*) Iacobi: *Infirmatur quis in vobis:* Igitur donec quis infirmetur, non est capax huius sacramenti. Accedit communis vsus, & sensus totius ecclesiæ: nusquam enim legimus nec audiuimus, aliquando sanis ministratum fuisse hoc sacramentum.

(*a*) *Iacob. 5.*

Præter-

Præterea oleum, quo hoc sacramentum perficitur, vocatur *oleum infirmorum*, vt constat ex pontificali Romano, non sunt ergo sani illo inungendi. Idem docent sacri (a) Canones, cum dicunt: *infirmum ita susceptiuum esse huius sacramenti, sicuti presbyterum illius esse ministrum*: at hoc posterius ponunt vt necessarium ad substantiam sacramenti: ergo & prius. Tandem idem constat ex fine huius sacramenti; primarius enim est alleuiatio & confortatio infirmi: secundarius, restitutio sanitatis, vterque autem præsupponit hominem actu infirmari.

(a) *c. vnico. de sacr. vnct.*

Dices: Quid si seruitores dolorem capitis, vomitum, & huiusmodi symptomata patiantur, quæ pestem vel præsentem, vel vicinam præsagire solent?

℟. Consulendi sunt medici; Si dubitent, fiet, vt superiore quæstione diximus.

QVÆSTIO XIII.

An etiam illis, qui recenter pestem contraxerunt?

Quæstionis explicatio.

HOc sacramentum vocatur communiter *sacramentum exeuntium*, vt bene

a *sess. 14. c. 3.* notauit Concil. (*a*) Trident. quare non debet conferri nisi illis, qui ita periculose decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur, quod etiam omnes Dd. vnanimiter docent. Huius occasione quæritur, an illis conferri possit, qui cum optima valetudine fruerentur, subito pestem conceperunt, etiam antequam pestis inualuerit, aut vlla signa exitus ex hac vita appareant?

Responsio.

b *Maior in 4. dist. 23.* QVando constat ægrum laborare peste, (*b*) non tenetur pastor expectare gradum aliquem ægritudinis illius, sed potest, imo debet statim à principio talis ægritudinis sacramentum hoc ministrare: Quia secundum communem medicorum sententiam, & experientiam, morbus est nō solum per se lethalis, *sed qui*, (vt eleganter expressit Alexander, (*c*) Benedictus medicus) *ita subito, vt plurimum mortales hinc euocat, vt sine febre inter domesticas, ac forenses, actiones, vel publica negotia, decem horarum spatio sine vrinæ, pulsusve venarum certo signo, in templo, in via, in publicis officiis, ex insperato, eripiat, ita vt homo interdum lætus, iucundus, leui temporis momento statim cadat.*

c *de febre pestelentiali, & alij.*

Dices: Vt sacramentum hoc alicui ægro ministretur, non tantum requiritur secundum

dum Doctorum sentẽtiam, vt morbus per se grauis sit, & lethalis, sed etiam vt status morbi talis sit, qui infirmum in graui periculo mortis constituat, & ita vsus ecclesiæ confirmat: ergo debet expectari aliquis status morbi, qui doceat infirmum existere in tali periculo.

R. Expectare illum statum non esse ita essentiale, vt si ille non expectetur, nullum futurum sit sacramentum, sed sufficit secundum communem, vt morbus iudicio Medicorum per se lethalis sit, & periculosus. Vnde plerique notant, & merito, peccari hac in parte à nonnullis, qui differunt ministrare hoc sacramentum, donec infirmus sensu & cognitione careat, manifeste enim faciunt tum contra reuerentiam sacramento debitam, tum contra proximi salutem.

QVÆSTIO XIV.

An etiam illis, qui existimantur mortui?

Quæstionis explicatio.

PEste infecti, vt ante dixi, morbi violentia agitati, frequẽter reperiunt in angu-

lis domorum, in antris, sub scamnis, instar mortuorum iacentes, vt merito pastores dubitent an sint mortui: Huius occasione quæritur, an huiusmodi sint inungendi?

Responsio.

IN huiusmodi dubio, si non potest veritas facile explorari, & timetur, ne dum medici & periti expectantur, æger forsan adhuc viuens statim moriatur, potest, imo debet pastor conferre hoc sacramentum sub conditione siue verbis expressa, siue mente cõcepta: (Si non est mortuus, &c.) Generale enim est, omnibus sacramentis, vt in dubiis casibus possint hoc modo ministrari, vt ante diximus.

Dices primo: Quid si dum incipit inungere, pastor deprehendit esse mortuum, vel iam mori?

℟. Si mortuus est, & de eo pastori constat, nullo modo perget, quia iniuriam faceret sacramento; neque illa vnctio quicquam animæ prodesset: vt ex antedictis constat. Si incipit mori, & modicum saltem temporis adhuc illi supereſt, conabitur breuiter subſtantialia ſola adhibendo ſe expedire, eo modo, quem infra deſcribemus.

Dices

Dices secundo: Dionysius (*a*) Areopagita facit mentionem vnctionis, quæ suo tempore fiebat, circa corpora fidelium etiam defunctorum.

a *lib. de eccl. hierar. in fin.*

℟. Illam vnctionem procul dubio non fuisse sacramentalem, de qua agimus, sed verius fuisse cæremoniam quandam, qua corpora fidelium ad sepulturam præparabantur ad imitationem, vt probabile est illius, quam circa corpus Christi Domini factam in (*b*) Euangeliis legimus.

b *Matth. 26 Marc. 14.*

QVÆSTIO XV.

An etiam illis, qui volunt sibi ministrari in ecclesia, in sylua, in publica platea.

Quæstionis explicatio.

TAngit obiter hanc quæstionem Gabriel (*c*) Biel, & post illum (*d*) Henriques, cuius occasio potest fuisse, quia tempore pestis multi propter cõtagionem non audentes consistere in ædibus suis, confugiunt ad ecclesias, agros, syluas, publicas plateas, in quibus subinde peste corripiuntur: quæritur ergo, an iis debeat ministrari hoc sacramentum, etiam in locis publicis, si ita petant vel res exigat?

c *In 4. d. 23. art. 3. dub. 2.*
d *lib. 3. summæ, c. 11.*

Responsio.

QVamuis ordinarie hoc sacramẽtum, ægris lecto decumbentibus ministretur, potest tamen & debet in casu proposito & similibus ministrari in loco, in quo æger deprehenditur, siue in ecclesia, siue alibi, dummodo sit vera infirmitas, nec aliunde fiat sacramento irreuerentia, neq; aliorum sacramentorum magis necessariorum ministratio impediatur.

Prior assertionis pars patet ex vsu & consuetudine ecclesiæ: solent enim ægri ad mortem iam inclinantes lecto decumbere & in eo inungi, quo pacto cæremoniæ & reuerentia sacramento debita facilius seruantur. Altera quoque probatur, quia non legitur prohibitum hoc pacto, & iis in locis ministrare.

Dixi, (*dummodo sit vera pestis & infirmitas*) propter melancholicos, maniacos, & similes, qui tempore pestis vagari solent, existimantes temere, & sine vllo fundamento se peste infectos, cum non sint, in quibus discernendis prudens, & circumspectus debet esse pastor, ne quis hoc sacramẽtum facile ministret.

Dixi secundo: (*nec aliunde fiat irreuerentia sacramento*) propter illos, & illas, qui præ morbo semiamentes inciuiliter, & inhoneste

honeste partes inungendas nudarent; in illo enim casu esset habenda ratio reuerentiæ sacramenti, & illud potius postponendum, quod ordinarie non est tantæ necessitatis.

Dixi tertio: (*neque aliorum sacramentorum magis necessariorũ ministratio impediatur*) quia bonum publicum præferri debet priuato, & ministratio sacramentorum magis necessariorum, minus necessariorum. Itaque si ratione peste infecti, qui in ecclesia vngi vellet, impedienda esset ministratio baptismi, Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, dimittendus esset potius sine sacramento.

Dices: Mos ecclesiæ habet, vt mysteria sacra non nisi in locis sacris ministrentur.

R. Hoc proprium & familiare esse huic sacramento, vt in lecto ministretur propter necessitatem, & impotentiam ipsius recipientis, & forte etiam propter partes corporis inungendas, quæ maiori cum reuerentia præsertim in fœminis, & ecclesiasticis personis, in lecto inunguntur.

QVÆ-

QVÆSTIO XVI.

An econtra & illis, qui volunt sibi ministrari in lecto, cum iis sint viribus, vt possint domo infecta egredi, & ad salubriorem locum migrare?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Intelligit pastor subditum de repente peste infectum, festinat ad illum, rogatque vt ex domo infecta egrediatur, & locum accedat salubriorem, in quo illi minori contagionis periculo sacramenta ministret: Ægrotus non vult suscipere hoc sacramentum nisi lecto decumbens. Quæritur, an pastor teneatur tantisper expectare, donec lecto decumbat, & ibi sacramentum illi ministret?

Responsio.

NOn tenetur expectare, sed contra æger iuxta vires suas tenetur ad locum, ministrationi huius sacramenti idoneum, siue ecclesiam, siue alium quemcunq; minori contagionis periculo obnoxium, accedere, nisi aliquid sit, quod eum legitime excuset, alias peccat contra charitatem, patrem spiritualem periculo mortis sine causa exponẽdo, vt ex dictis primo capite manifestum est.

Dices;

Dices: Quid si æger de hac obligatione sufficiéter instructus, nec vllam legitimam excusationem habens, nolit locum salubriorem accedere, tenebiturne pastor domum cum vitę periculo ingredi, & in lecto sacramentum ministrare?

℟. Non teneri, non propter vitæ periculum, quod pastor certis remediis adhibitis aliquo modo forte vitare posset, sed propter prauam ægri interiorem dispositionē: est enim in actuali peccato, volens pastorem adire periculum vitæ, sine necessitate, & consequenter non est capax sacramentalis gratiæ, nisi opinionem mutet, & sano pastoris iudicio acquiescat.

QVÆSTIO XVII.

An etiam pueris, qui capaces sunt sacramenti pœnitentiæ?

Quæstionis explicatio.

NOn est moris in diœcesi Leodien. vt Extrema Vnctio detur, nisi ætate iam grandioribus, neque vidi vnquam vlli ministrare ante annum ętatis vigesimum. Huius occasione quæritur, an pastores teneā-tur ministrare pueris peste infectis, qui capaces sunt sacramenti pœnitentiæ, an vero ex consuetudine Leodien. excusentur?

Responsio.

Responsio.

PRimo dico satis certum esse, hoc sacramentum posse dari pueris quãdo peccare incipiunt & sunt capaces sacraméti pœnitentiæ, Ita docent (a) Bonauétura, (b) Antoni⁹, (c) Richardus. Ratio eorum est, quia eiusmodi pueri sicut sunt capaces effectus sacraméti pœnitentiæ, ita etiã sunt capaces effectus extremæ vnctionis, possunt enim habere peccata, & peccatorum reliquias, & alleuiari, & confirmari, vt labores morbi leuius ferant & tentationibus dæmonis facilius resistant & sanitatem corporis, si illis expedierit consequantur, qui sunt effectus sacramenti extremæ vnctionis secundum (d) Concilium Trident. Neque obstare potest minor dispositio nec minor reuerentia propter minorem ætatem, quia non requiritur maior dispositio, nec maior reuerentia ad extremam vnctionem, quam ad pœnitentiam, imo minor, quia pœnitétia requirit maiorem cognitionẽ & discretionẽ ad iustum conscientiæ examen instituendum vt patet.

Secundo dico parochialia vicinarũ diœcesum præscribere, vt sacramentum hoc detur pueris communicare incipientibus. Ita (e) Mechlinense, & (f) Ruremundense, (g) Leodiense aliquid plus indicat, dũ dicit:

Datur

a *Bonauent. in 4. dist. 23. quæst. 2.*
b *Anton. 3. part. 14. c. 8. §. 3.*
c *Richard. in 4. dist. 23. quæst. 4.*
d *sess. 14. de doctr. extr. vnct. c. 2.*
e *Pagin. 65.*
f *Pag. 87. in fin.*
g *Pag. 134.*

Datur adultis non pueris, qui necdū per visum, auditum, tactum &c. deliquerūt: ergo à contrario sensu indicat dandū pueris, qui per visum, auditum, tactum deliquerunt, siue ante communicarint, siue non.

Tertio dico, pastores ordinarie excusari, qui nō inungunt pueros peste infectos, qui iam vno, vel duobus, vel tribus annis confessi fuerunt & communicarunt, propter consuetudinē non inungendi in huiusmodi ætate Leodii receptam, sicuti excusantur parentes, qui prohibēt pueris suis, ne communicent etiam post duodecimū annum, secundum (*a*) Za, & alios.

Postremo dico non (*b*) excusari pastores, qui pueros peste infectos capaces, sacramēti Pœnitentiæ, etiamsi nunquam communicarint, nō inungunt, quando nullū aliud sacramentum possunt recipere, quia alias tales pueri periculo æternæ dānationis exponerentur. Nec credo in hoc casu quemq̄ hanc assertionē negaturū, quia hæc pars est tutior, & in dubiis pertinētib. ad salutē, ētsi varię sint opiniones, tutior pars est eligēda.

Dices: Quid si dubium sit, an pueri peste infecti nec valentes aliud sacramentum recipere sint capaces pœnitentiæ, quid illo casu facient pastores?

R. cum (*c*) Zambrano dandam esse Extremam

a *verb. Eucharistia, n. 12.*

b *Zambr. in aurèis decis. c. 5. dub. 1. num. 6.*

c *sup.*

mam Vnctionem sub conditione: Licet (inquit) in casu dubii, vsus rationis videatur esse tutius non dare vnctionem, quando dicti pueri possent recipere sacramentum pœnitentiæ sub conditione, quamquam non sit omnino improbabile, etiam tunc posse dari vnctionem sub conditione, scilicet, si es capax, propter maximam eius vtilitatem, & fructum in tali articulo mortis, quem summopere refert fœliciter concludere.

QVÆSTIO XVIII.

An etiam adultis, qui sacramentum Eucharistiæ, necdum receperunt?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis; Pastor inungens peste infectum, offendit & alios peste infectos morti propinquos, nec habet secum sacramentum Eucharistiæ, habet vero Extremę Vnctionis: quæritur, an illis teneatur sacramentum Extremæ Vnctionis conferre antequam ministrarit sacramentum Eucharistiæ?

Responsio.

TEnetur, quia quicqd vulgus sentiat, neq; ex sacra Scriptura, neq; ex Conciliis, & decretis Pontificum, neq; ex communi Patrum,

trum, vel Scholasticorum Doctorum sententia habetur, esse ordinem necessarium inter Eucharistiam & Extremam Vnctionem; ita vt Extrema Vnctio recipi non possit, si prius non sit recepta Eucharistia: Imo olim solere aliquando dari Vnctionem ante viaticum, docent pleriq; (a) Doctores.

a *Durand. lib. 1. de rit. b. eccles. c. 20. n. 23. Petr. Venerab. lib. 3. epist. 4.*

Dices: Vnde fit ergo vt contrarius ordo seruetur, hoc est, vt communiter præmittatur Eucharistia Extremæ Vnctioni?

R. Primo, quia ordinarie ægri recipiunt Eucharistiam antequam sit adhuc necessaria Extrema Vnctio, ex quo non videntur adhuc tendere ad mortem: deinde, quia Eucharistia existimatur, sicut reuera est, magis necessaria.

Dices secundo: Catechismus Romanus de hac quæstione loquens, vult præmitti Eucharistiam Extremæ Vnctioni, sic enim habet: *Quoniam omni studio curare oportet, ne quid sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis aduersatur, quam alicuius peccati mortiferi conscientia, seruanda est Ecclesiæ Catholicæ perpetua consuetudo, vt ante Extremam Vnctionem, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentum administretur*: ergo non debet adultis ministrari, qui necdum Eucharistiam receperunt.

b *c. 6. post med. §. Quoniam vero.*

Ad. Id quod de perpetua consuetudine à catechismo dicitur, vel referendum esse ad solum sacramentum Pœnitentiæ, quia ratio in principio verborum posita non aliud probat, nam conscientia peccati mortalis non tollitur per Eucharistiam, sed per Pœnitentiam, vel certe intelligi potest de Eucharistia, vt absolute cibus est animæ, non vt viaticum, vel denique catechismum loqui de communi consuetudine ecclesiæ Romanæ aut Catholicæ maiori ex parte, non vero de omnibus eius prouinciis & regionibus: Ita (a) Zuares.

(a) *tom. 4. in 3. D. Thom. disput. 44. sect. 1.*

Ad. 2. Catechismum loqui de more, qui seruari solet in ordinaria ministratione sacramentorũ, non autem loqui de casu nostro, quando non potest ministrari Eucharistia, potest vero Extrema Vnctio.

QVÆSTIO XIX.

An etiam in amentiam & furorem actis?

Quæstionis explicatio.

FOrsitan ex amentia & furore peste infectorum quispiam captabit occasionem excusandi se à ministratione huius sacramenti, præsertim q̃ hoc sacramentũ non sit ita necessarium, & quia non potest huiusmodi

modi hominibus sine aliqua, vt apparet, ir- reuerentia ministrari: Horum occasione q̃- ritur, an iis minist randũ sit hoc sacramẽtũ?

Responsio.

EST ministrandum, si antequã in amen- tiam inciderint, piam erga hoc sacra- mentũ mentem gesserint, nec amisisse sen- sum in complacẽtia peccati mortalis. Pro- batur iure (a) Canonico, *quia amentibus quæ- cunq; pietatis officia conferenda sunt*: loquitur autem de amentib. qui aliquando habue- runt iudicium rationis: Deinde Eucharistia requirit maiorẽ reuerẽtiam, & deuotionẽ, q̃ Extrema Vnctio, sed huiusmodi amentia non impedit receptionem Eucharistiæ, vt superiore capite ostendimus: ergo nec im- pedit receptionẽ Extremæ Vnctionis. Nec obstat Extremã Vnctionẽ non esse necessa- riam, quia satis est esse valde vtilẽ, vt bene ponderat Concil. (b) Trident. & aliquando posse esse necessarium ex defectu receptio- nis aliorum sacramentorum, & veræ con- tritionis, vt per illam fiat quis de attrito cõ- tritus. Neque etiam obstat, quod vix pos- sit ministrari sine aliqua indecentia, quia in articulo necessitatis, in quo semp versamur toleratur aliqua minor dispositio & reuerẽ- tia, quę tñ non impediat gratiam habitualẽ, quæ non toleraretur extra necessitatem.

a *c. Qui vecc- dunt, 26. q. 6.*

b *sess. 14. do- ctrina de sa- cramẽto ex- tremæ Vnctio- nis initio.*

Quare bene notauit (a) Sotus non dari amentibus sacramẽta extra articulum mortis propter illorum reuerentiam.

Dices primo: Quid si amens resistit, nec velit admittere vngentem?

Respondent (b) Doctores, amentes & phreneticos, vel furiosos, si resistant, esse ligandos, & fortiter tenendos, vt Extremam Vnctionem recipere possint.

Dices 2. Potestne constare, quando amens amiserit sensum in complacẽtia peccati mortalis?

R. Vix (c) posse constare, vt patet ex vsu ecclesiæ quæ fere omnibus fidelibus in articulo mortis dispensat sacramenta: *vnusquisq; enim præsumitur* (d) *bonus donec probetur oppositum*, cuius in hoc casu est difficillima, vel impossibilis probatio.

a *in 4. d. 12. quæst. 1. ar. 9. §. Aliter tamen.*

b *Palud. in 4. dist. 23 q. 3. ar. 2. concl. 11 Anton. 2. p. tit. 14. c. 16. §. 6. prope fin. de Graffiis, 1. p. decis. lib. 1. c 86. n. 28.*

c *Sotus in 4. dist. 15. art. 1. col. 4 ante finem.*

d *c. final. de præsumptionibus.*

QVÆSTIO XX.

An etiam non petentibus?

Quæstionis explicatio.

DIximus superioribus capitibus frequenter accidere, vt peste infecti variis de causis non petant sibi conferri sacramenta, quod tamen frequentius accidit in sacramento Extremæ Vnctionis, tum propter spem longioris vitæ, qua frequẽtissime decipiun-

piuntur mortales, tum propter impotentiam seu debilitatem memoriæ ægrotantium, tum propter indulgentiam parētum & amicorum nolentium ægrum contristare, & plures alias. Horum occasione quæritur, an pastor etiam teneatur hoc sacramentum illis ministrare?

Responsio.

TEnetur, si debitis temporibus tales vti solent sacramentis: Est communis Scholasticorum (a) sententia, quam speciatim probant Petrus de Ledesma, & Henriques, & vsu ecclesiæ quotidiano confirmatur: Quia sic dispositi in tali articulo censeri debent interpretatiue petere, vt ante explicauimus, imo omnis fidelis, qui non est notorius peccator, nec notorius excommunicatus, & de quo non constat in complacentia peccati mortalis amisisse vsum rationis, potest & debet inungi in articulo mortis, vt statim diximus.

(a) *Petrus de Ledesma, 1. p. c. 6. conc. 6. Henriq. lib. 3. summæ, c. 10. num. 1.*

Dices: Peccat pastor non ministrando hoc sacramentum non petentibus?

R. Peccare; qualē vero peccatum sit huiusmodi negligentia, pro varietate circumstantiarum iudicandum erit.

QVÆSTIO XXI.

An etiam illis, quorum omnia corporis membra pestifero sudore madent vel quorum anhelitus præter solitum immodice fœtet?

Quæstionis explicatio.

DOctores Medici inter alia symptomata, quæ peste infecti patiuntur, & ista duo enumerant: Anhelitum ipsorum, quando morbus inualuit, supra modum grauem esse, & omnia corporis membra sudore lethali, & contagioso madere, quæ non paruum adferunt ministraturis hoc sacramentum periculum. Horum occasione quæritur, an & illis teneantur pastores ministrare hoc sacramentum.

Responsio.

QVando peste infecti dictis symptomatibus & similibus laborant, non tenentur pastores hoc sacrum ministrare, dummodo alia duo sacramenta, puta, Pœnitentiæ & Eucharistiæ vel alterū illorum receperint. Prior pars probatur ex iis, quæ breuiter ante diximus, & explicatur apertius, quia circa huiusmodi peste infectos, iudicio medicorum non valent ordinaria remedia, quæ adhiberi solent ad vitandum contagio-

contagionis periculum: nam & anhelitus illorum circumquaque diffusus instar cadaueris graue olens, & ipse sudor cõtagione corruptus aërem ambientem ita infecerunt, vt certam quasi accedentibus contagionem minentur, quod Lucanus de peste infectis loquens, scite expressit, his verbis;

Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem,
Raucida, quo perolent proiecta cadauera ritu.

Dixi, (*dummodo ægri alia duo sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ vel alterum illorum receperint*) quia si non receperunt, tenebitur pastor etiam in hoc casu istud ministrare, siquidem fideles minus exercitati in rebus, spiritualibus, salutem suam concernentib. non solent fidere conscientiæ suæ sine sacramento, & fere magis sint attriti, quam contriti, vt merito pastor dubitare debeat de illorum salute, nisi hoc saltẽ sacramentum illis ministret, per quod de attritis fiant contriti, & sic fœliciter ex hac vita emigrent.

Dices: Tenetur ergo pastor certo periculo vitam exponere, vt Extremam Vnctionem ministret?

R. Non simpliciter; secus in casu quo nullum aliud potest ministrari sacramentum, vt aliquoties ante diximus.

QVÆSTIO XXII.

Quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc sacramentum tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

EXpediuimus duas partes huius capitis: diximus enim primo, qui teneantur hoc sacramentum ministrare: secundo, quibus illud ministrari debeat, vel non debeat. Restat postrema, vt despiciamus quibus modis tempore pestis ministrari possit, vel non possit. Et imprimis quæritur, quis sit modus optimus & maxime probandus ministrandi hoc sacramentum?

Responsio.

ILle est, quod substantialia maxime certa, hoc est, oleum oliuarum ab Episcopo benedictum, & verba quæ proferre debet sacerdos inungendo: *Per istam vnctionem*: quæ habes in (*a*) parochiali. Et cæremonię Ecclesiæ, vt sunt orationes, & Psalmi, obseruantur, quantum periculum tum ægroti, tum ministrantis patitur. Singula fere ex præcedentibus satis, & certa, & clara sunt.

a *pag. 132.*

Dixi, (*cæremoniæ obseruantur*) quia per se hoc postulat reuerentia sacramenti.

Dixi, (*quantum periculum tum ægroti, tum ministrantis patitur,*) quia ex vtroque capite tempo-

tempore pestis euenire solet, vt sola substãtialia ministrari debeant, ne si accidentalia substantialibus vnctionibus præmittantur, interim æger sine sacramento decedat, vel ipse ministrans peste corripiatur.

Dices: Quale peccatum est in administratione huius sacramenti peste infectis præmittere accidentalia substantalibus?

℟. Ordinarie est mortale, quia communiter propter cæremoniarũ multitudinem & prolixitatem periculum est, ne peste infecti moriãtur, antequam ad substantialia deueniatur: poterit tamen per inaduertentiam esse veniale: vel nullum, quando scilicet pastor vel non aduertit esse pestem, vel per ignorantiam & inexperientiã non aduertit symptomata pestis, & instantem articulum mortis.

QVÆSTIO XXIII.

Quid sit censendum de modo ministrandi illorum, qui inungunt peste infectos oleo rosaceo, aut ex aliis floribus vel herbis expresso?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Occurrunt in agris, & syluis peste infecti petentes sibi ministrari

nistrari extremam vnctionem, nec habet pastor oleum infirmorum, neque ppter instãtem ægrorum mortem videtur posse ex ecclesia adferri: est vero ruri ad manum oleum rosaceum vel simile ex floribus vel herbis expressum: Quæritur an pastor poterit cum huiusmodi oleo sacramentum hoc ministrare?

Responsio.

MOdus ministrãdi in alio oleo quàm ex oliuis expresso, est illicitus & omnino reprobandus, quia peccat contra essentialia sacramenti: Nam solum oleum oliuarum est apta materia illius, secundum definitionem Concilii (a) Florentini, & ex verbis Iacobi satis clare colligi potest, cum dicit, *vngentes eum oleo*: Nam oleum simpliciter dictum liquorem illum, qui ex olearum baccis exprimitur, non solum in Latinorum vsu, sed etiam in Sacra Scriptura, & in communi modo loquendi significat.

a *In decreto Eugenii.*

Dices. Poterit saltem tolerari in casu extremæ necessitatis, puta, quia inungendus est aliquis, qui non potest recipere aliud sacramentum?

℟. Minime, quia vt iam diximus deficit in substantialibus, nec substantialia sacramen-

men-

mẽtorum per aliquod aliud simile suppleri vllo modo possunt. Quare caute legenda est (a) Summa de sacramẽtis à Victoria, quæ his in locis multorum manibus terit, cum dicit, ad hoc sacramentum conficiendum sufficere oleum rosaceum, modo non sit multum corruptum, quia siue illud sit corruptum, siue integrum, perinde est ineptum ad hoc sacramentum: & dicere contrarium est erroneum contra determinationem Concilii generalis Florentini.

a *De ext. vnct. q. 216.*

QVÆSTIO XXIV.

Quid sit de illorum, qui ministrant in oleo oliuarum non benedicto?

Quæstionis explicatio.

INdubie in ordinaria administratione huius sacramenti vtendum est oleo benedicto; alioquin aliter ministrans peccaret, an vero conficeret vel non conficeret sacramentum, non est vsquequaq; certum apud Doctores. Communior sententia est non conficere, quæ est (b) D. Thomæ, (c) Bonauenturæ, (d) Paludani, & (e) Soti, qui asserit, certo ita tenendum esse, nullam vero aliam affert rationem, nisi quia Ecclesia Romana ita sẽtit, q; tamẽ non ꝓbat. Quare nõ desunt alii q putent, cõfici & ministrari, si de

b *In 4. dist. 23. q. 1. ar. 2.*
c *Ibid. art. 3.*
d *q. 2.*
e *q. 21.*

si de facto sic conficiatur & ministretur: cuius sententiæ sunt (a) Victoria in summa de sacramentis, & Emanuel Za (b) in Aphorismis. Fundamentum sumi potest ex verbis D. (c) Iacobi, dicit enim: *Vngentes oleo*, non dicit, benedicto, sed simpliciter *oleo*. Occasione huius controuersiæ quæritur, quid dicendum de modo ministrandi illorum, qui non habentes ad manum oleum infirmorum benedictum, vtuntur oleo non benedicto, ne interim dum oleum benedictum affertur, peste infectus moriatur sine hoc sacramento.

a *quæst. 216.*
b *verb Extr. vnct. n. 6.*
c *Iacobi 5:*

Responsio.

TOlerari potest, si conditio addatur, vel subintelligatur, quatenus videlicet oleum nõ benedictum sit apta materia, quia in similibus casibus dubiis ostendimus sacramenta hoc modo ministrari posse, quando periculum est in mora & agitur de salute animarum, hoc enim modo ministrando simul saluatur reuerẽtia sacramento debita per adiectam vel subintellectam conditionem, & succurritur periculo salutis animæ proximi.

Dices: Quid si pastor persuasus sit ex sententia D. Thomæ oleum non benedictum non esse aptam materiam huius sacramenti

poterit

potetit nihilominus in simili necessitate vti huiusmodi materia adiecta vel subintellecta (vt dictum est) conditione?

℟. Poterit deposita persuasione, & assumpta dubitatione, si forsan oleum simplex esset apta materia; alias enim peccaret agendo contra conscientiam, quamuis male informatam, vt doceri solet in materia de conscientia.

QVÆSTIO XXIII.

Quid sit de illorum, qui inungunt oleo oliuarum cui admixtus est alius liquor?

Quæstionis explicatio.

OLeum oliuarum simplex, hoc est nulli alteri liquori permixtum, est materia huius sacramenti: sic enim Scriptura sacra, Concilia, & omnes Scholastici Doctores clare definiunt: verum quia fieri potest, vt mixtio aliqua fiat siue casu, quia forte incidit in ampullam olei infirmorum, alius liquor, puta, vini vel aquæ; siue ex proposito premente necessitate, puta quia exiguum quid est olei, & plurimi peste infecti inungendi veniunt: Quæritur idcirco, quid de modo ministrandi cum huiusmodi oleo mixto sit censendum?

Responsio.

Responsio.

POtest tolerari, si mixtio alterius liquoris non sit tanta, vt substantiam olei in suam conuertat: Quia nihil habet contra substantiam sacramenti, manet enim oleū oliuarum, imò, cum liquor admixtus sit in minori quantitate, censetur conuersus in olei substantiam, ita quod totum illud mixtum censeri debeat oleum oliuarum: hoc enim generale est in omnib. mixtionibus, vt maior quantitas conuertat in se minorē, & communicet dictæ minori suas qualitates: Ita fere omnes nostri Scholastici Doctores & Summistæ.

Dices. Quid si bis miscuit alium liquorem in ea quantitate, vt si iungantur duæ partes externi liquoris admixti, fere superent, vel sint æquales cum vera quantitate olei oliuarum, potestnè quoq; modus ministrandi in oleo sic mixto tolerari?

R. Posse deficiente altero certiori oleo, quia si forma externa, hoc est, externa species olei maneat, & suas qualitates adhuc seruet, merito dubitari potest, an sit adhuc oleum, ideoq; poterit pastor in dubio illō oleo deficiente certiori, addita vel subintellecta conditione, vti.

Dices

Dices 2. Poterit quoque tolerari, si ratione multitudinis inungẽdorum, ter quater vel sæpius huiusmodi mixtio fiat?

℟. Videri quod non, quia, vt ante diximus, cum in mixtione maior quantitas cõuertat in se minorem, & communicet illi suas qualitates, certum satis erit, non iam amplius esse oleum, sed alium liquorem, qui oleum in sui substantiam conuertat, in quo sacramentum ministrare sacrilegium esset.

QVÆSTIO XXVI.

Quid sit de illorum, qui non habentes oleum infirmorum, vngunt peste infectos chrysmate?

Quæstionis explicatio.

CHrisma interdum significat omne oleum benedictum etiam sine balsamo: qua significatione vtunt diuersa Concilia & Sancti Patres. Interdum & magis proprie significat oleum, cui miscetur parũ quid balsami, quod est materia propria Confirmationis, ratione huius æquiuocationis: & quia verum est (vt statim diximus) non annullari materiam huius sacramẽti, si aliquid extranei liquoris illi admiscea-

ſceatur, quæri poteſt, quid cenſendum ſit de modo miniſtrandi illorum, qui deficiente oleo infirmorum vtuntur chriſmate proprie dicto, in vngendis infirmis tempore peſtis?

Reſponſio.

TOlerari quoq; poteſt hic modus miniſtrandi, quando aliud oleum haberi non poteſt; Ratio huius habetur ex antedictis, quia chriſma compoſitum eſt ex oleo oliuarum, cui exiguum quid balſami admiſcetur, remanet ergo verum oleum oliuarum, ſicut principale, quod ſufficit, vt hoc ſacramentum vere confici & miniſtrari poſſit. Huius ſententiæ eſt (a) Zuares, qui etiam exiſtimat fortaſſe aliquando in eccleſia fuiſſe in vſu, vt hoc ſacramentum cum chriſmate proprie dicto conferretur, quod tamen ipſe non plane aſſerit, nec mihi videtur multum veriſimile, quia inconueniens eſt dicere vnius ſacramenti in eccleſia varias fuiſſe materias, vt (b) Bellarminus de Confirmatione diſputans in ſimili arguit.

a *Tom. 4. in 3. p. D. Tho. diſp. 40. ſect. 2. c. vlt.*

b *Tom. 2. de confirm. c. 9. argum. 1. in 2 ſolut.*

Dices: (c) Innocentius Primus poſt allatum D. Iacobi teſtimonium: *Infirmatur quis in vobis*, &c. hoc modo loquitur: *Non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus, accipi vel intelligi debere, qui oleo ſancto chriſmatis pr-*

c *Innoc. 1. Epiſt. 1.*

ungi

lungi possunt in sua aut suorum necessitate. Eodē quoque modo loquitur Concilium Wormatiense, Aquēnse, & alia.

Rō. Glossatorem (*a*) Innocentii propterea dixisse ex quorundam sentētia, Episcopos, de quibus ibi loquitur Innocentius, propter dignitatem solitos fuisse in huius sacramenti administratione vti etiam balsamo, licet non vt de essentia sacramenti: Sed hoc non constat, nec probatur, & ideo sicut voluntarie asseritur, ita voluntarie negari potest, præsertim cum locus Innocentii propter æquiuocationem ante dictam secundum (*b*) Sotum possit de simplici oleo consecrato (q̄ etiam interdum chrisma appellatur) intelligi.

a In c. Illud superfluum dist. 95.

b in 4. dist. 23. q. 1. art. 3.

QVÆSTIO XXVII.

Quid sit de illorum, qui ministrant, peruertendo ordinem vnctionum?

Quæstionis explicatio.

IN communi ministratione huius Sacramenti ordo seruandus est per diœcesim Leodien. qui à Parochiali p̄scribitur, vt inprimis vngantur oculi: deinde aures: tertio na-

De ext. vnct. pag. 164.

tio nares, quarto os, quinto pectus, sexto pedes, quia hic ordo rebus ipsis est consentaneus, & omnes ecclesiæ nostrates hunc ordinem seruant. Huius occasione quæritur, quid dicendum sit de modo ministrãdi illorum, qui, vt citius & minori periculo ministrent, vngunt primo loco organum, quod est illis magis obuium?

Responsio.

POtest tolerari, quia ordo ille non spectat ad substantiam sacramenti: materia enim illius non est relatio aut ordo, sed vnctio: Quamuis igitur hic mutetur, seruatur nihilominus vnctio essentialis, & consequenter si pastor festinans primo loco aures, deinde oculos, & sic in aliis, prout organum vnius sensus vel aliud se offert vel non offert, verum erit sacramentum, & qualiscunque ordinis inuersio excusatur propter periculum & necessitatem, quę carent lege, vt sæpius diximus.

Dices. Poterit quoq; tolerari, vt vnica tantum vnctio fiat ad nares?

R. Poterit non solum in casu pestis, sed & in ordinaria ministratione, imo vero iuxta præscriptum (a) Parochialis Leodiēsis, monetur pastor vt vnam vnctionem faciat super

a *Paroch. Leodiēs. p. 166.*

super ipsius nasi extremitatem: quod quidam non aduertentes, sicut ad manus, pedes, aures, oculos, duas ordinarie faciunt vnctiones, duas etiam faciunt ad nares, cõtra ecclesiæ nostræ consuetudinem.

QVÆSTIO XXVIII.

Quid sit de illorum, qui omittunt vnctionem pedum & renum?

Quæstionis explicatio.

QVædam Ecclesiæ vtuntur bis duabus vnctionibus. Ecclesia Leodiensis nõ vtitur vnctione renum, ne in viris quidem, nec etiã Parochiale illius meminit, & plures Doctores conuenientius iudicant illam omittere. Occasione huius diuersitatis q̃ritur, quid dicendum de modo ministrandi illorum, qui vtramque omittunt?

Responsio.

POterit quoque tolerari, quia secundum communem non peccat contra substantialia sacramenti, & si quid accidentarium forte omittitur, necessitas illud excusat.

Dices. Concilũ Florentinũ has duas vnctiones aliis quinq; annumerat, vult enim

hoc sacramentum perfici his vnctionibus *in oculis*, scilicet, *propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem*: ergo & illæ duæ pertinent ad substantiam, & consequenter modus sine illis ministrandi nullo casu excusari potest.

℟. Concilium enumerare septem vnctiones, non quasi omnes sint de substantia, sed quia saltem in quibusdam locis etiam illę duę solent adhiberi. Quod verba Concilii sic accipienda sint, patet ex vniuersalis Ecclesiæ consuetudine, quæ contentatur adhibere quinq; vnctiones ad organa quinque sensuum, vt plerique Doctores testantur: Imo nonnulli dicunt, duas illas non esse de præcepto, & posse etiam sine causa omitti, præsertim in mulieribus propter pudorem, propter quem & quidam (*a*) illorũ censent vnctionem renum in mulieribus conuenientius omitti quàm adhiberi, vt ante diximus.

(*a*) *Suppl. Gabriel. in 4. di. 23. q. 2. art. 2. Soto q 2. art. 2. Victor in Summa, qu. 223.*

Dices. Illæ duæ vnctiones sunt in vsu Ecclesiæ Romanæ.

℟. Posse esse in vsu vt particularis est ecclesia, non autẽ vt est vniuersalis, quia multæ sunt ecclesiæ, quæ illis non vtuntur, vt

præfati

præfati Doctores aperte testantur, & de diœcesi Leodiensi nobis manifestum est.

QVÆSTIO XXIX.

Quid sit de illorum, qui vngunt tantum vnum oculum, vnam aurem, & sic de reliquis sensuum organis?

Quæstionis explicatio.

PAROchialia nostratia monent pastores vt in vnctionibus faciendis primo dextrum oculum, deinde sinistrum inungant, & sic in reliquis organis sensuum. Et ordinarie ita consueuit fieri. Huius occasione quæritur, an in casu pestis hic etiam modus & ritus ministrandi obseruari debeat, an v. tolerari possit, vt tantum vnum cuiuslibet sensus organum inungatur?

Responsio.

TOlerari potest: Quamuis enim comuniter inungatur vtrumq;, ac secluſa necessitate ita faciendum sit propter (a) consuetudinem Ecclesiæ, tamen non est de essentia sacramenti: in vna enim parte organi (licet virtus eius in pluribus vigeat) sufficienter significatur vnctio talis sensus.

(a) *Parochial. omnia nostr.*

Dices. Erit perinde, quam partem inungat?

R. Erit, tum propter rationem iam dictam, quia saluatur ratio vnctionis, etiamsi qualiscunque fiat, dummodo veram rationem vnctionis seruet, iuxta communem loquendi morem; tum quia ordo non est de essentia, vt ante dixim⁹, sed sola vnctio. Sufficit ergo illam ad vnum qualecunque organum ob necessitatem adhibere, maxime quãdo peste infectus non potest commode in alteram partem corporis conuerti, nisi tum illius tum ministrantis periculo.

QVÆSTIO XXX.

Quid sit de illorum, qui vngunt tantum organum magis ad vnctionem expositum, hoc pacto formã recitando: Per istam sanctam vnctionem, & suam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum?

Quæstionis explicatio.

FRequens est, vt peste infecti non possint recipere nisi vnam vel duas vnctiones, vel quia nimis sunt proximi mor-

vel

vel quia nimis magnum contagionis periculum administrāti imminet, vel quia multi sunt peste infecti, & pastor solus est, timetque idcirco, ne, si velit omnes sigillatim vnctiones adhibere singulis, interim plerique sine hoc sacramento decedant. Occasione horum quæritur, quid sit censendum de modo ministrandi illorum, qui præscripto ritu inungunt?

Responsio.

HIc modus dubius est, & consequenter reprobandus, nisi in casu, quo aliter ministrari non possit. Ratio prioris partis est, quia non est certum an ad valorem sacramenti sufficiat vna vnctio: plerique enim omnes videntur requirere quinque. Ratio posterioris est, quia in illo casu præstat ministrare dubium sacramentum sub conditione expressa vel subintellecta, quā nullum, vt patet.

Dices: Non poterit ergo ad vitandum contagionis periculum vsitari?

R. Non poterit, quia dans incertum sacramentum, cum possit certum, periculo sacrilegii se exponit.

Dices 2. Hic modus ab aliquot Parochialibus & ritualibus libris vicinarum diœcesium probatur, & præsertim (a) Mechlinien

a *Mechli. de anno 1588.*

nienſe, ſic enim habet. *In morbis contagioſis, & peſte graſſante, vt periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum magis ad vnctionem expoſitum aut detectum, dicēdo, per iſtam ſanctam vnctionem & piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum.* Et Ruremundenſe (*a*) totidem pene verbis: Deinde hactenus probarunt illum quidā Theologi Louanienſes, & nominatim (*b*) Molanus in ſuo compendio Theologiæ practicæ. Præterea Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Dominus Octauius Frangipanus, Epiſcopus (*c*) Tricaritēſis, pridem his in partibus Nuncius Apoſtolicus, bene de Eccleſia Leodienſi meritus, in directorio Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, non ſolum hunc probat, ſed etiam per diœceſim Colonienſem graſſante peſte (quod ibi frequens eſt) ad euitandum contagionis periculum viſitandum concedit. Idipſum probari quoque videtur ratione: Primo enim hoc modo miniſtrandi nihil omittitur, quod ad illius ſubſtantiam pertinet: ſi enim aliquid eſſet, illud videretur, quod non ſint quinque vnctiones; ſed hoc non eſt neceſſariū, quia vnica vnctione ſatisfit verbis D. Iacobi: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & vngāt eum oleo*: ad cōplemētum n. veritā;

a *Rurem. de anno 1589.*

b *Molanus tract. de extr. vnct. nu. 12.*

c *Direct. Colon. edit. anno 1598.*

veritatis horum verborum non est necessaria multiplex vnctio, sed vna sufficit, sicut ad veritatem verborum Christi (*baptisantes eos*) vna aspersio, vel ablutio: Deinde hic modus pius est, & nullum habet inconueniens: Pius quidem, quia hoc modo plures inunguntur in extremis, & saluabuntur, qui alias defectu vnctionis damnarentur: nullum quoque habet inconueniens, quia si quod esset, illud videri posset, quod in vnctione aliquid substantiale deesset, quod iam falsum esse ostendimus. *Matth. 25.*

R. Propter tantorum virorum auctoritatem, & rationes iam dictas hucusque existimaui ad vitandū contagionis periculum posse ministrari istud sacramentū hoc modo: verum re propius examinata, & cum pluribus communicata, videtur non posse, liquidem fatēdum est ad minus sacramentum hoc pacto ministratum dubium esse propter omniū pene (*a*) Doctorum Scholasticorum auctoritatem. Ad rationes vero dictas respondetur: Ad primam, hoc ipsum esse dubiū, an nihil substantiale omittatur, quandoquidē (vt iam diximus) omnes fere Scholastici tenent vnicam vnctionem non sufficere ad essentiam huius sacramēti, hoc autem sufficit vt sacramentum debeat haberi incertum, ac proinde sacrilegium vi-

a *supr. in 4. dist. 23.*

deri possit ob solum contagii periculum dare sacramentum incertum, cum certum dari possit, sed & hic agendi modus coniunctus videtur cum graui iniuria proximi, qui si solum attritus sit, æternæ damnationis periculo ab animæ suæ curatore exponi videtur. Ad D. Iacobum dico, eum non fuisse sollicitum, vt essentialia sacramenti exprimeret, sed præsupposuisse ministros scire quid illis faciẽdum incumberet, & eo minus de hoc debuisse esse sollicitũ, q; populo scriberet, ad quem non pertinet scire, quot vnctiones requirãtur. Nec est simile, q; adfertur de Christo, quia Christ⁹ Dominus, qui baptismum instituit ad ipsos eius sacramenti ministros sermonem instituit, dicens: *Baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Addo, quod vt certissimũ esset, atq; adeo fide tenendum, plures vnctiones requiri: adhuc veriſſime D. Iacobus dicere potuisset, & vngant eum oleo. Deinde quod non minus generaliter dicat D. Iacobus: *Oratio fidei saluabit infirmum*, & tamen non quæuis oratio sufficit, sed ea requiritur, in qua vt minimum quinque sensuum expressa mentio fiat, etiam eorum iudicio, qui vnicam vnctionẽ sufficere contendunt. Ad secundam rationem respondeo iam declaratum esse hunc modum ve-

Matth. 28.

Iacob. 5.

supr. 55.

rius

rius videri sacrilegium & proximo iniuriosum, præterquam in illo extremæ necessitatis casu, quo præstaret habere sacramentum incertum, quam nullum.

Dices tertio: In sacramento Pœnitentiæ valida est confessio, etiamsi propter instantem mortem, vel magnum cõtagionis periculum non possit integra fieri, ergo & validum erit Extremæ Vnctionis sacramentum, etiamsi propter similia pericula non possint omnes vnctiones adhiberi. Ita quidam (a) argumentantur.

a Silua conf. lib. 3. tit. 34. q. 140.

℟. Exemplum de confessione non esse simile, aut probare oppositum: nam si dum confitetur pœnitens ante acceptam absolutionem moriatur, non recipit sacramentum, nec gratiam sacramenti: Si vero priusquam moriatur, integre absoluatur, tunc sacramentum recipit & effectum eius; Hic ergo posterior casus non est similis, quia ibi essentialiter perficitur sacramentum Pœnitentiæ: nam etsi tunc non sit materialiter integra cõfessio, est tñ formaliter, accedenteq; integra absolutione, essentialiter perficitur sacramentum: in præsenti autem casu nec forma, nec materia essentialis applicatur, vnde nec sacramentum essentialiter perficitur.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXI.

Quid ſit de illorum, qui vnico breuiſſimo motu attingunt quinque organa ſenſuum, liniendo vnum oculum, vnam aurem, vnam manum, nares, & os, & ſuper hanc totam vnctionem vnicam breuiſſimam formam proferendo, videlicet per hæc ſacras vnctiones remittat tibi Deus quicquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum vel tactum peccaſti?

Quæſtionis explicatio.

a *Tom. 4 diſput. 41 ſect. 3. §. oppoſitam ſententiam.*

SVares (a) inuenit hunc modum miniſtrandi pro caſu peſtis, & aliis ſimilibus, veluti præcedente probabiliorem, quia vt apparet in hoc ſeruãtur quinq; vnctiones, quę ſecundum communem fere opinionẽ Scholaſticorum videntur de eſſentia huius ſacramenti: Quæritur modò, quid de illo cenſendum?

Reſponſio.

VIdetur probandus tempore neceſſitatis, & maxime tempore morbi contagioſi; quia in eo ſeruantur omnia eſſentialia, videlicet, vnctiones quinq; ſenſuum, quę tenent locum materiæ & breuiſſime & celerrime perfici poſſunt, cũ vnctiones nõ habeant determinatam quantitatem: deinde forma, quæ æquiualet, aliis quinque partia-

partialibus, quia dum expresse nominãtur quinque sensus, reliqua omnia verba super singulos aperte cadunt: Quod enim cætera verba quinquies quasi materialiter non repetantur, videtur parum aut nihil referre ad substantiam sacramenti.

Dices: Ecclesia non consueuit vti hoc modo.

R. Hoc solum probare hunc modũ non esse vsurpandum, nisi vrgente necessitate, quia consuetudo solum habet vim cuiusdã legis, & ideo propter necessitatem licite ab illa discedi potest, & probari, q̃ alias probari non deberet, (a) *cum necessitas careat lege.*

(a) *c. sicut, de consec. dist. 1.*

Dices 2. Hoc modo non subleuãtur pastores in casu pestis, periculum enim, quod illis imminet, prouenit ex eo quod organa inungenda non sint obuia, nec illa aptari possint ad vnctionem sine periculo contagionis.

R. Subleuari ex parte, quia forma tantum semel profertur, quod breuiori mora fieri potest, quam si quinies proferenda esset: quod tamen parum proderit, si interim mora trahenda est apud peste infestum, dũ organa sensim disponuntur ad vnctiones quinque applicandas: Itaq; si mora protrahẽda esset cum magno periculo, ne interim æger sine sacramento decedat, posset tunc

quis

quis vti Illustriss. Domini Octauii, & Molani forma, quam præcedente quæstione proposuimus, subintellecta saltem conditione, per regulã aliquoties repetitam, quia eo casu, præstat ministrare sacramentum dubium quam nullum.

QVÆSTIO XXXII.

Quid sit de illorum, qui ad vitandam contagionem inungunt sine oratione, dicendo tantum hæc duo verba, vngo te, & statim abcedunt?

Quæstionis explicatio.

QVibusdam Theologis visum est, oratione nõ esse de essentia formæ huius sacramenti: Istius opinionis fuerunt (a) Albertus, (b) Richardus, (c) Paludanus, quos videtur sequi (d) Nauarr. in Manuali. Quin etiam (e) Durandus audet vocare in dubiũ, an forma deprecatiua sit sufficiens: Occasione huius quæritur, an modus ministrandi per verbum indicatiuum (vngo te) postposita oratione possit tolerari?

a *In 4. di. 23. art. 3.*
b *art. 1. q. 4. ad 2.*
c *q. 1. art. 2.*
d *c. 22. n. 15.*
e *in 4. dist. 23. q. 3. num. 7.*

Responsio.

NOn potest tolerari, quia deficit in essentialibus, siquidem forma secundũ Concil. (f) Florentin. nec non vsum Romanæ, & vniuersalis ecclesiæ debet esse deprecatiua, & proferri per modũ orationis, vt dicta

f *supr.*

Concilia

Concilia ex verbis illis D.(a) Iacobi, (*vngant* a *Iacob.5*
& orent super eum) bene colligunt.

Dices: D. Ambrosius dicitur vsus verbo indicatiuo, *vngo te.*

R. cum D.(a) Thoma, verba illa modi b *in 4. d. 23.*
indicatiui, quæ sunt in vsu aliquarũ eccle- *q. 1. ar. 4. ad 3*
siarum non esse formam huius sacramenti, sed esse cæremoniam quandam seu dispositionem ad formam. Existimat enim nullam ecclesiam vti solis illis verbis modi indicatiui, sed præmittere illa ad explicandam actionem ministri, postea vero subiungere deprecationem.

QVÆSTIO XXXIII.

Quid sit de illorum, qui loco vnctionis distillans guttam olei in corpus peste infecti?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis, offendit pastor peste infectum, præter expectationem suam, graueolentem, & pestifero sudore vndéquaque madentem, quæ duo symptomata iustum illi timorem periculi contagionis iniiciunt: Cum ergo neque manu corpori admota, ausit contingere, neque virgam, aut aliud honestum instrumentum habeat, quo corpus vngere possit, ipse effundit vel stillat in corpus

ægri olei vnam guttam, reliqua essentialia, hoc est, formam à longe recitando: Quæritur, quid de hoc modo ministrãdi censendum sit.

Responsio.

HIc modus ad minus dubius est, & cõsequenter reprobandus, neq; vsitandus nisi in casu quo sacramẽtum aliter ministrari non posset. Ratio prioris partis est, quia non est certum, an plures vnctiones sint de necessitate sacramenti, an vero sufficiat vna, vt ante obiter notauimus. Ratio posterioris, quia præstat, vt aliquoties diximus ministrare sacramẽtum incertum sub conditione, quam nullum.

Dices: stillare vel fundere nõ est vngere, siquidẽ proprie loquendo vngere dicimus, cum oleo linimus aliquantũ diffundendo, ergo non est dubius modus ministrãdi, sed simpliciter & in omni casu reprobandus.

Re. Stillare vel fundere (quicquid sit de grammatica significatione) iuxta morem loquendi sacræ Scripturæ, idem significare, quod vngere. Sic enim Dominus ad Samuelem loquens ait: *Hac ipsa hora cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israel.* Et tamen Samuel Dei præceptũ executioni mandans

1 1. Reg 10. solũ legitur (b) *effudisse oleum super caput Saulis.*

Idem

Idem patet ex verbis Domini ad (a) Iacob: *Ego* (inquit) *sum Dominus in Bethel vbi vnxisti lapidem*, & tamen solum dicitur Iacob *fudisse oleum desuper*: ergo secundum scripturas ad vnctionem non requiritur linitio, sed sufficit distillatio vel effusio. a *Genes. 28.*

QVÆSTIO XXXIX.

Quid sit de illorum, qui non manu immediate, sed spatula oblongiore ad vitandum contagionis periculum peste infectum inungunt?

Quæstionis explicatio.

MEminit huiusmodi (a) Maior, dum b *In 4. d. 23.* ait: *& ex consequenti sumitur color, quod Extrema Vnctio sit danda pestilenti in extremitate virgæ, quia sic à contagione plerumq; cauebitur*: meminit quoque illius parochiale Ruremundense. Huius occasione quæritur, quid censendum sit de huiusmodi modo ministrandi? c *Ruremun. pag. 88.*

Responsio.

TOlerari & practicari potest, si tamen cautio adhibeatur, vt virga sit vere oleo tincta, & vere sequatur vnctio eodem, vel quasi eodem tempore, quo forma profertur: quia hoc pacto ministrando nihil

ſubſtantiale ſacramenti deeſt aut vitiatur, non ex parte miniſtri, quia adeſt ſacerdos: nec vitiatur quod virga vngat, quia vere vngit, quod ad rationem ſacramenti ſufficit, ſicuti qui calamo ſcribit, vere dicitur ſcribere: neque ex parte materiæ, quia ponimus virgam oleo vere inunctam, & veram vnctionem: neq; ex parte formæ, quia illam quoque præſupponimus, ſicut & intentionem miniſtri.

Dices: Debetne virga huiuſmodi eſſe argẽtea, vel aurea, vt videntur quędam (a) parochialia requirere?

a *ſupr.*

R. Non eſt neceſſum, ſed videntur ſolũ requirere virgam argenteam vel auream, propter reuerentiam ſacramenti.

Dices 2. Poterit ergo paſtor quouis alio extraneo inſtrumento peſte infectum inungere ad vitandum contagionis periculum?

R. Poterit: eſt enim idem iudicium modo honeſtum ſit, vt ſeruetur reuerentia ſacramento debita.

Dices 3. Quid peracta vnctione fiet de huiuſmodi inſtrumento vel virga, oleo infirmorum inuncta?

R. Vel reſeruabitur ad ſimilem vſum, vel comburetur, vt vult (b) parochiale Ruremundenſe.

b *ſupr.*

QVÆ-

QVÆSTIO XXXV.

Quid sit de illorum, qui ministrant hoc sacramentum sine Clerico subseruiente?

Quæstionis explicatio.

CONtigit subinde peste corripi & mori clericum, quem matricularium vocamus, qui in ministratione sacramentorum pastori subseruire obligatus est, nec prece, nec pretio alium reperiri posse, propter periculum contagionis: Huius occasione quęritur, quid censendum sit de modo ministrandi illorum, qui nullo comitati clerico sacramentum hoc dispensant?

Responsio.

POtest tolerari, vt patet ex responsione (a) Alexandri III. Pontificis, qui interrogatus hac de re dixit: *Nos tibi duximus respondendum, quod sacerdos vno præsente Clerico, & etiam solus potest infirmum vngere:* Quę verba Glossa bene interpretatur de casu necessitatis, hoc est, quando minister haberi non potest; (a) *Necessitas enim legem non habet,* & (c) *quod alias illicitum est, necessitas licitum facit.*

a *de verb. signif. c. 14.*

b *c. 4. de Consuetudin.*

c *c. 4. de reg. iuris.*

Ratio potest reddi inspecta natura huius sacramenti, siue vnctio fiat per ver-

bum indicatiui modi, dicendo (vngo) vel per verbum deprecatiui dicendo (vngat te Deus) quocunque enim istorum modorũ loqui debeat sacerdos, potest solus nullo comite assistente illa vere proferre, quia nullius alterius in hoc eget ministerio. Et confirmatur, quia (vt in nostris parochialibus videre est) nullum requiritur à Clerico subseruiente ministerium, nisi circa ritus quosdam accidentales, quos in casu pestis communiter omittimus, postea coram omnibus in ecclesia recitandos.

Dices: Quid si mulier parata sit sacerdoti seruire, præstabitne mulieris opera vti, quam sine clerico ministrare?

Rr. Præstat sine mulieris opera. Hoc indicare videtur Pontifex cum dicit: *sacerdotem solum si clericus haberi non potest, ægros inungere posse.* Et clarius colligitur ex Concilio (a) Nametensi, vbi dicit, *prohibendum esse, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare?*

a c. 3.

Neq; obstat, quod videatur loqui de ministerio altaris, quia eadem ratio in hoc casu militat, per se enim indecens est, & contra reuerentiam sacramentis debitam, vt fœminæ circa illa ministerium exhibeant, quæ iubentur ab (b) Apostolo, *in ecclesia tacere, & capita sua velare.*

b 1. Cor. 11.

QVÆ-

QVÆSTIO VLTIMA.

Quibus modis frequentius peccari solet in administratione Extremæ Vnctionis tempore pestis.

Quæstionis explicatio.

BReuiter & summatim recẽsentur peccata, quæ committi solent circa administrationem Extremæ Vnctionis occasione capta vel ex parte ipsorum ministrantium, vel suscipientium, vel modorum, quibus illa male ministrari solet.

Responsio.

PRimo peccant pastores, qui putant se non teneri ministrare sacramentum Extremæ Vnctionis tempore pestis, & idcirco illud non ministrant.

Secundo: Et illi, qui propter leue aliquod periculum contagionis omittunt illud ministrare, cum possint facile communibus quibusdam præseruatiuis, periculum illud vitare.

Tertio: Peccant & alii simplices sacerdotes, qui absente, siue iuste, siue iniuste pastore nolunt ministrare hoc sacramentum.

Quarto: Etiam religiosi sacerdotes.

Quinto: Etiam Episcopi sacerdotes.

Sexto: Peccant, & nullum sacramẽtum ministrant Diaconi, Subdiaconi, & alii inferiores, siue clerici, siue laici, cuiuscunque conditionis & sanctitatis, qui Extremam Vnctionem in quacunq; necessitate ministrant.

Vt supra hoc eod. quæst. 4.

Septimo: Et alii qui vocati ex sacrificio, quod celebrare cœperant, nolunt accedere cum Extrema Vnctione peste infectum, qui nullum aliud sacramentum recipere potest.

Octauo: Et qui tempore interdicti huiusmodi peste infectum nolunt inungere.

Nono: Et qui nolunt ministrare illis, de quibus probabiliter dubitatur, an sint peste infecti.

Decimo: Similiter & illi, qui recens peste infectis nolunt ministrare.

Vndecimo: Et illi qui nolunt ministrare illis, de quibus dubitant, an sint mortui.

Duodecimo: Et illi, qui nolunt ministrare in loco publico, ecclesia, vel platea, si necessitas hoc postulet.

Decimotertio: Et illi contra peste infecti, qui volunt sibi ministrari in lecto, cum iis adhuc sint virib. vt ad locum salubriorẽ possint accedere.

Decimoquarto: Et illi sacerdotes, qui nolunt

nolunt ministrare pueris capacibus sacramenti pœnitentiæ.

Decimoquinto: Et qui nolunt ministrare amentibus, & in furiã actis, quando non constat clare amisisse sensum in complacentia peccati mortalis.

Decimosexto: Et qui nolunt ministrare peste infectis non petẽtibus, si solent temporibus consuetis vti sacramentis.

Decimo septimo: Et qui nolunt excommunicatis, qui signa mutatæ voluntatis & pœnitentiæ ediderunt.

Decimo octauo: Et qui nolunt ministrare illis, qui per morbum sacramentum Pœnitentiæ non susceperunt.

Decimonono: Et qui nolunt illis, quorum corpora pestifero sudore madent, vel quorũ anhelitus præter solitum immodice fœtet, si nullum aliud sacr̃tum receperint.

20. Similiter peccant, qui ministrant in oleo rosaceo, vel aliis floribus vel herbis expresso.

21. Et qui ministrãt in oleo oliuarũ non benedicto, cũ aliud cõmode haberi possit.

22. Et qui ministrant in oleo oliuarum, cui est alius liquor admixtus, si aliud haberi possit.

23. Et qui vngunt peste infectum chrismate, nisi necessitas excuset.

Vigesimoquarto, Et qui inungēdo peruertunt ordinem Vnctionum, cum possint illum seruare.

Vigesimoquinto, Et qui vngunt virga oblongiore non adhibita sufficienti cautela, an vera fiat vnctio, vel non.

Vigesimo sexto, Et qui loco vnctionis distillant guttam olei in infirmum nisi grauis excuset necessitas.

Dices: Quale peccatum est non ministrare sacramentum Extremæ Vnctionis tempore pestis?

℟. Nolle ordinarie ministrare, aut negligentem se habere hac in parte, peccatum est mortale, vt ex antedictis patet.

CAPVT

CAPVT SEXTVM ET VLTIMVM

DE NECESSITATE ET MODO *ministrandi sacramentum Matrimonij tempore pestis.*

QVÆSTIO I.

Vtrum teneantur pastores præsentiam suam exhibere celebrationi Matrimonij tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

ANTE Promulgationem Concilii Tridentini, & speciatim Decreti irritantis & annullãtis matrimonia clandestina, non fuisset nobis opus, quæstiones de necessitate præsentiæ pastoris ad celebrãda matrimonia peste infectorum, puta, concubinariorum & aliorum, qui sponsalia cum virginibus inierunt vel etiam eas defloratunt, vel ex eis proles suscitarunt, mouere, quia clandestine contrahendo potuissent & suæ conscientiæ fideique promissæ & legitimationi prolium satisfacere: Verum quia in hac diœcesi & vicinis Decretum matrimonia clandestina

irritans, hoc est, quæ fiunt sine parochi vel alterius sacerdotis de eius vel ordinarii licentia, & duorum vel trium testium præsentia non solum est promulgatum, sed etiam vsu receptum: Iudicaui vtile fore, si in postrema huius Tractatus parte, consueta methodo, quanta possem brevitate etiam quæstiones, quæ tempore pestis de hisce rebus à pastoribus & aliis moueri possent, proponerem, illisque pro exiguitate ingenii mei, sacro Concilio Tridentino, sacrisque canonibus, & Doctorum Theologorum & Canonistarum sententiis inhærendo, satisfacerem. Neque, vt confidimus, labor hic noster videbit superfluus iis, qui animas concubinariorum & aliorum vitiis carnis deditorum, in articulo mortis curandas susceperunt: Multa enim eo tempore accidere solent, quæ vel lectio eos iam docuit, vel experientia docebit, multas parochis parere solere difficultates: Quid enim si amorem carnalem, quem pluribus annis erga suas concubinas gesserunt, ex animo deponere non possint? Quid si iureiurando præstito, arrhisque matrimonii datis, fidem futuri matrimonii concubinæ dederint? Quid si cum virginibus honestis sponsalia contraxerunt, importunisque precibus

bus & promissis interpositis copulam extorserunt, & ples ex eis suscitarunt? Quid si illæ, vt fidei satisfaciant, prolesque legitiment, expostulent? Quid si ex aduerso aduertat prudens parochus ex sua præsentia magna inter parentes huiusmodi concubinariorum exoritura dissidia & scandala, puta, dissoluendam inter cognatos & consanguineos amicitiam, exorituras lites propter familiarium disparitatem, perpetua quoque odia propter morum dissonantiam, infamiamque etiam non exiguam patri & matri incurrēdam propter concubinæ prodigalitatem, & huiusmodi? Quid quæso hisce casibus emergentibus faciet vel non faciet parochus?

De his igitur, quia quæstiones morales sunt, & facile illo tempore incidere possunt, imposterum aliquid breuiter dicturi sumus, vt & in hac parte sicut in aliis hactenus fecimus, simplicibus parochis consulere possimus.

Quod antequam fiat, notandum in hac prima quæstione & sequentibus, non quærere nos, vt ante fecimus, an pastores teneantur ministrare hoc sacramentum: sed an teneantur exhibere suam præsentiam, dum partes contrahunt, quia pastores nunquam fuerunt ministri huius Sacramenti

2 *Auctori Enchir. Cóc. Colon §. de ministro. Petro de Ledes. de matrim. q. 42. art. 1. dub. 4. cóc. 4.*

menti, (sicut (a) quibusdam visum fuit) sed ipsi contrahentes: Siquidem omnes fatentur ante Concilium Tridentinum, matrimonium clandestinum, quod in absentia pastoris celebratum erat, fuisse matrimonium: quod vero post Concilium Tridentinum tale matrimonium non sit vetum, non ideo est, quia illi desit minister, verum quia Concilium Tridentinum irritauit cõtractum, super quo fundatur ipsum matrimonii sacramentum, si aliter celebretur, quàm in præsentia parochi & duorum vel triũ testium, vt patet disertis Concilii Tridentini (b) verbis: *Qui aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Quocirca, vt statim diximus, mutato stylo quærimus, non an pastores tempore pestis teneantur ministrare hoc sacramentum, posset enim statim responderi, quod non: sed an celebrationi matrimonii illorum præsentia sit ita necessaria, vt sine illa matrimonium non subsistat, & consequẽter illam negare non possint, sed necessario exhibere teneantur?

b *Sess. 24. c. 2. de Matr.*

Responsio

Responsio

TEnentur pastores per se vel per alium sacerdotem præsentiam suam, subditis illam rationabiliter petentibus, ad celebrandum matrimonium exhibere, quia ad pastorale officium illud inprimis pertinet, curare, vt sacramenta suis subditis non desint: Non potest autem sacramentum matrimonii valide celebrari, nisi adsit paroch⁹ vel alius sacerdos ab eo vel ordinario deputatus, vt statim diximus.

Dixi, (*rationabiliter petentibus*) q̃ regulariter istud sacramẽtum non est necessarium, & subinde expediat, pastorem suam denegare præsentiam, vt suo loco ostendemus.

Dices: Concilium Trident. sic intelligi debet, vt non aduersetur legi charitatis, sed si tempore pestis matrimonia contracta in absentia parochorum dicant nulla, Concilium aduersaretur charitati: Siquidem p̃pter absentiam parochorum periclitaretur salus multorum concubinariorum, qui peste infecti non valẽtes deponere affectũ inordinatum, quem adhuc gerunt erga suas concubinas, volunt ante mortẽ cum eisdẽ contrahere, quo suæ saluti consulant, non amplius inordinate, sed maritaliter illas a...ãdo, fieret quoq; iniuria multis puellis, quæ fide accepta de matrimonio contrahendo

deflora-

defloratæ fuerunt, si defloratores peste infecti, cum velint, non possint fidei datæ satisfacere; fieret quoque iniuria prolib. extra matrimonium per huiusmodi personas susceptis, si propter absentiam pastorũ non possint à parentibus per matrimonium legitimari: Ergo sic interpretandum est concilium Tridẽtinum, vt matrimonia saltem in casu pestis quando absunt pastores sint valida, & consequenter non teneantur pastores cum periculo contagionis illis præsentiam suam exhibere.

2. Non aliter esse interpretãdum Concil. Trident. quàm sonat: dicit vero disertis verbis, matrimoniũ aliter quàm in præsentia parochi vel alterius sacerdotis contractum esse nullum: Neque hoc aduersatur charitati, quia valde expediebat bono cõi, Concilium talem legẽ & eo rigore edere, quæ personas aliter contrahentes omnino inhabiles redderet, vt patet ex procem. de matrim. Neque inconueniens est subinde fieri, vt propter absentiam parochorum puellæ defloratæ maneant innuptæ, & proles illegitimę, quia leges non possunt respicere omnes casus particulares: Nam vt (a) quidam bene dixit: *quæ raro eueniunt, à Legislatoribus non considerantur.*

(a) *L. quæ rationem, §. 1. ff. de acq. rer. dom. n. 94. tit. 6. vt sine prohibitione, c. 2. quia vero.*

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Absentibus siue iuste siue iniuste pastoribus, quis teneatur prouidere de Sacerdote, qui celebrationi matrimonij interfit?

Quæstionis explicatio.

QVia ostẽdimus, absq; prẽsentia parochi vel alteri⁹ sacerdotis de ei⁹ vel ordinarii licentia, nullũ posse matrimonium subsistere: & tamen tẽpore pestis sepe casus occurrit, quo matrimonia celebranda veniunt in absentia parochorũ, non inmerito quẽritur, quis in absentia pastorũ teneat ꝓuidere de sacerdote q̃ matrimoniis interfit?

Responsio.

TEnetur 1. & immediate Parochus. 2. Negligente Parocho, ad ipsum Ordinariũ onus illud deuolui, tanquam ad immediatum Superiorem.

Dices 1. Quid si parochus reliquit vicarium, & ille obiit?

℟. Tenetur alium substituere, vel ipse officium præstare.

Dices. Quid si vicari⁹ timore cõtagionis nõ audet interesse, & vult aliũ subdelegare.

℟. Posse subdelegare, quicquid dicat (a) Sotus: quia talis vicarius in absentia parochi delegatur ad omnes casus parochialis officii: tales a. delegati secundũ communẽ

(a) In 4. dist. 16. q. 4. art. 3.

The-

Theologorum (a) & Canoniſtarũ (b) poſſunt vnam vel alteram cauſam ſubdelegare; imo in his partibus conſuetudo eſt, vt vicepaſtor, ſi aliquãdiu velit abeſſe à parochia, ſubdeleget alium ad omnia paſtoralia officia & ſpecialiter omnia ſacramenta: Quam conſuetudinem plerique Theologi & Canoniſtæ (c) probant, imo dicunt, vbiq́ue ſeruari, vt vicecurati ad tempus abſentes delegent alicui ſacerdoti ſacramentorum miniſterium.

a *Adriã. q. 5. de confeſ. dubio 2. Antõ. 3. p. tit. 24. q. 64. Medina tract. 2. de cõfeſſion.*

b *Gloſ. clem. 1. de priuil. verb. Presbyteri. Immola n. 14. Bonif. n. 34. Card. q. 19.*

c *Syluã. ver. vicarius q. 5, Nauarrus c. Placuit. n. 71 de pœnit. diſt 6.*

Dices 3. Quid ſi parochus ſit preſens, ſed habet Capellaniam, cuius operam conduxit, vt aſſiſtat matrimoniis huiuſmodi infirmorum: poteritnè & ille Capellanus alium ſubſtituere?

Rſ. Non poterit: Doctores enim cum dicunt, Vicarium ſeu Capellanum parochi poſſe delegare, loquuntur de vicario abſente parocho, vt bene notauit (d) Nauarrus.

d *c. Placuit, de pœn. diſt. 5 numer. 69.*

Dices 4. Quid ſi hic ſubdelegatus non auſit intereſſe matrimonio, poteritne vlterius alterum delegare, qui matrimonio interſit?

Rſ. Non poſſe, quia ſubdelegati nõ poſſunt ſubdelegare cum poteſtate ſubdelegandi; in hoc enim differunt ab ordinario ſecundum (e) omnes.

e *Gloſ. c. Super q. §. porro verb. tranſfert, de offic. deleg. & ibi Doctores.*

QVÆ-

QVÆSTIO III.

An Pastor non habens quem substituat præter sacerdotem excommunicatum, possit illum, vt matrimonij celebrationi interfit, substituere?

Quæstionis explicatio.

LOquimur hîc de excomunicato, quocunque etiam denunciato & publico Clericorum percussore, quem iubemur etiam per Concilium Constantiense vitare, de aliis enim non est difficultas.

Responsio.

POTEST Pastor, si nec ipse interesse, nec alium idoneum reperire possit, substituere sacerdotem excommunicatum, etiã denunciatum, vel publicum Clerici percussorem, qui suo loco matrimonii celebrationi interfit, quia si quid obstaret, id esset, & assistere celebrationi matrimonii in parocho sit actus iurisdictionis: Hoc autem falsum est secundum (a) Nauarrum et alios. Et ostenditur hoc signo, quia nullus actus siue iurisdictionis siue ordinis validè potest fieri ab omnino inuito, & contrariam habente intentionem: *Actus enim agentium non operatur vltra eorum intentionem*: sed

(a) *lib. 4. con. sil. de sponsa consil 52.*

præsentia parochi omnino inuiti contrariamque intentionem habentis, sufficit ad valorem matrimonii, vt in sequentibus ostendemus: ergo illa presentia non est actus iurisdictionis, & consequenter ex eo capite non poterit excludi à celebratione matrimonii talis excommunicatus.

Dices. Sacerdos matrimonio assistit tãquam testis, sed (a) testimonium testis excommunicati non tolerati non valet: ergo ex illo saltem capite non poterit substitui sacerdos excommunicatus non toleratus?

a c. *deserni-mus, de sent. excom. in 5.*

Rſ. Quod quamuis excommunicatus regulariter repellatur à testimonio ferẽdo, admitti tamen in casibus, quibus admittũtur infames, qui in matrimonio admittuntur, vt postea suo loco patefiet.

QVÆSTIO IV.

An possit quoq; substituere non approbatum ab Episcopo, suspensum, irregularem?

Quæstionis explicatio.

DIctum est supra, q; hi omnes communiter non possunt immiscere se ministrationi sacramentorum propter prohibitionẽ Ecclesiæ. Huius occasione quæritur, an huiusmodi possint substitui, vt matrimonii cele-

celebrationi interſint, p̃ſertim tẽpore peſt.

Reſponſio.

PRimo ſacerdos non approbatus poteſt à parocho ſubſtitui, quia approbationẽ Epi ſolum requirit Conc. Trid. p confeſſionibus audiẽdis, propter ſcientiam, prudentiam & vitæ probitatem, quæ in miniſtro Pœnitentiæ requiruntur, cum ſit iudex & medicus animæ.

Secundo poteſt quoque ſubſtitui ſacerdos ſuſpenſus eadem ratione, qua ſuperiori quæſtione diximus, ſubſtitui poſſe excõmunicatum & nominatim denunciatum: ſubſtitutio enim illa, ſicut & aſſiſtẽtia non eſt actus iuriſdictionis.

Tertio poteſt ſubſtitui & ille, cui interdixit Eps, ne aſſiſtat, ex quacunq; cauſa id fiat, ſiue quia eſt illiteratus, ſiue criminoſus, ſiue ex aliqua alia ſpeciali cauſa, vt (a) Enriquez notauit, quia quomodocunq; ſit interdictus, tñ manet vel parochus vel ab eo ſubſtitutus: Quare etſi poterit peccare extra neceſſitatem aſſiſtendo, tamen vere aſſiſtit, & propter eius præſentiam matrimonium erit validum: In neceſſitate vero, de qua agimus non ſolum matrimonium erit validum, ſed nec aſſiſtendo peccabit.

Poſtremo & irregularis ſubſtitui poterit eadem ſemper ratione.

(a) *lib. 11. de matr. c. 3 n. 6*

Dices. Assistere celebrationi matrimonii est actus parochi, vt parochus est: Parochi autem officio non possunt huiusmodi sacerdotes fungi: Ergo.

R. Negando quod assumitur, videlicet assistere celebrationi matrimonii esse actū parochi inquantum est parochus, quasi inibi iurisdictionem aliquam exercens, sed inquantum testis est matrimonii, vt statim diximus.

QVÆSTIO V.

An Ordinarius deficientibus Parocho & aliis sacerdotibus, possit substituere parochum necdum ordinatum?

Quæstionis explicatio.

PRæsupponit quæstio quod verum est, aliquem parochm fieri posse, qui necdum sit sacerdos, vt si necdum sit elapsus annus ab assecutione parochialis beneficii, quo tempore non teneri promoueri ad ordinem sacerdotalem de iure (*a*) certum est: vel si ratione studii dispensset Episcopus, ne intra certum tempus ad sacerdotium promoueatur, quod etiam de iure (*b*) conceditur. Huius occasione quæritur, an nullo alio

a *de elect. c. licet canon. & c. cum ex eo, lib. 6.*
b *locis supra citatis.*

alio assistente celebrationi matrimoniorũ tempore pestis ordinarius poterit substituere pastorem necdum sacerdotem?

Responsio.

PRobabile est (*a*) posse: Primo, quia Cõcilium Tridentinum disiunctiue postulat præsentiam parochi, aut alterius qui sacerdos sit: ad veritatem autem disiunctiue sufficit alteram partem verificari; ergo satisfit Concilio, si parochus non sacerdos, vel alius sacerdos de eius licentia interfit. Secundo, quia mens Concilii fuit, vt adesset matrimonio præter alios testes persona ecclesiastica fidedigna: Itaque adesse voluit illam, quæ vel parochiali vel sacerdotali dignitate polleret. Confirmatur, quia cum res hæc grauissima sit, & ad matrimonii valorem necessaria, verisimile est, si Concilium voluisset qualitatem sacerdotalem parochi inesse, quod eam expressisset, sicut in assistente ex parochi licentia expressit. Cõfirmatur 2. Quia cum Concilium vndecies mentionem faciat parochi in eadem materia, nunquam sacerdotii meminit, nisi cũ assistere matrimonio permittitur alteri quã proprio parocho: Ergo signum manifestum est non exigere hanc qualitatem in parocho.

(*a*) *Nau. li. 4. Con. tit. de spons. cons 9. Henr. lib. 1. de matr. c. 3. num. 5.*

Confirmatur 3. quia licet (*a*) iure canonico dicatur neminem posse confiteri alieno sine licentia proprii sacerdotis: nec licere, religiosos (*b*) ministrare Eucharistiã absque licetia Pbri parochialis, & absolutionẽ (*c*) excommunicationis non reseruate posse impendi à proprio sacerdote. Nihilominus hæc omnia (*d*) Doctores dicunt posse intelligi de parocho, qui necdum sit sacerdos, nimirum vt ille possit dare licentiam conficiendi & ministrandi Eucharistiã, & ipsemet absoluere ab excommunicatione: Si ergo, cum textus iuris canonici expresse qualitatis sacerdotii meminerint, declarãtur pie non exigi in parocho eam qualitatem, vt ipse prædictas licentias concedat à fortiori, cum Tridentinum eius qualitatis non meminerit, dicẽdum est, eam hic non desiderari.

a *c. Omnis, de pœnit. & remiss.*
b *Clement. de priuileg*
c *Nuper, de sent. excom.*
d *Palud. in 4. dist. 17 q 3. Zuar. dis. 72. sect. 3. & alij*

Dices. Concilium dicit, *qui aliter quàm præsente parocho vel alio sacerdote*: ergo & parochus debet esse sacerdos; dictio enim (*alius*) secundum Iurisperitos (*e*) est relatiua, & repetit præcedentem qualitatem illius, cuius est persona expressa.

e *apud Menoch. li 1. de arbitrariis, q. 80. n. 122.*

R. Dictionem (*alius*) sæpe improprie poni, nec semper referre eandem qualitatem, sed quandoque significare dissimilitudinẽ, prout ratio subiectæ materiæ suadet, & pro-

probatur ex illo Matthæi & Marci, vbi de Christo Saluatore aiunt: *Cum eo crucifixi sunt alij duo latrones*, quod & hic contingit, quia parochus non sacerdos potest exercere omnia parochi munia, quæ potestate ordinis non indigent: ergo etiam præsentiam exhibere. *Matt. c. 28. Marc. c. 15.*

Dices 2. Parochus non sacerdos assistens matrimonio exponit periculo veritatem sacramenti, quod est mortale, non secus ac vti forma aut materia incerta in sacramentis, iuxta opinionem probabilem, relictis certis sine necessitate: ergo, &c.

Respondetur, nos versari hic in casu necessitatis, quo alius sacerdos qui assistat haberi nequit, quo casu licet vti materia vel forma probabili, quando alia haberi non potest, vt superioribus capitibus ostendimus.

QVÆSTIO VI.

An Parochus non Sacerdos possit substituere Sacerdotem?

Quæstionis explicatio.

QVia diximus probabilem esse opinionem, Episcopum posse substituere parochum necdum sacerdotem, vt assistat matrimonio, non immerito quæritur, an parochus non sacerdos possit vel etiam teneatur substituere sacerdotem, si eum reperire possit?

Responsio.

REtenta opinione non exigi sacerdotium in parocho manifestum est, sicut ipse potest assistere matrimonio, posse cõcedere licentiam sacerdoti assistendi. Si sustineatur contraria sententia, parochum debere esse sacerdotem, dubium videtur, an tunc parochus non sacerdos possit substituere sacerdotem propter verba (a) Concilii Tridentini: *Qui aliter quàm præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi vel ordinarij licentia*: cum enim illa particula (*ipsius*) sit relatiua idẽtitatis refert parochũ cum eadẽ ipsa sacerdotii qualitate, cũ qua antecessit in

(a) *sess. 24. c. 1.*

sit in priori parte illud alternatiue, *qui aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote.*

Cæterum multo probabilius est, eam licentiam posse concedere parochum non sacerdotem, etiamsi ipse assistere minime possit. Primo, quia durissimum esset intelligere Concil. Trident. velle parocho, qui omnia iurisdictionis munia nõdum sacerdos exercere potest hoc vnicũ negare. Deinde, quia qualitatem sacerdotii iuxta illam sententiam postulat Concilium in assistẽte matrimonio, vt conuenientius & fide dignius fit testimonium, quod intentum omnino seruatur, qñ alius sacerdos de licentia parochi non sacerdotis assisteret: Vnde non mirum esse debet si postulauit sacerdotium in parocho assistente, non autem assistendi licentiam concedente.

Dices: Plures (*a*) Doctores iuris canonici docent parochum non sacerdotem minime posse concedere licẽtiam religiosis ministrandi Eucharistiam, eo quod per semetipsum ministrare non potest, probantq; ex illo textu: (*b*) *Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet*: ergo similiter si quis parochus non sacerdos nequit assistere matrimonio, nequibit etiam dare licentiam alteri vt assistat.

a *Stephanus Immola cle. 1. de priuil. n. 14. & ibid. alij.*

b *c. fin. 46. d.*

2. Doctrinam Canonistarum in ea par-

a *Enriq. lib. 11. de matri. c. 3. Nauarr. 4. conſt. tit. de ſponſ. cõſ. 44*

te non probari, & ad textum reſpondetur diuerſam ibi eſſe rationem, loquitur enim de peccato vſuræ, quod ſicut nec poteſt clericus ſuo, ita nec alieno nomine exercere, rationemq; ſubdit textus, *indecẽs eſt enim crimen ſuum commodis alienis impendere.*

QVÆSTIO VII.

An ordinarius vel parochus poſſint ſubſtituere Diaconum, Subdiaconum, vel alterum clericum?

Quæſtionis explicatio.

APparentiam aliquã facit, quia quamuis in Decreto Concilii (*a*) Tridentini ſolum de ſacerdote mentio fiat, ibi, *vel alio ſacerdote, de licentia parochi*, tamen ſæpe apud Canoniſtas nomine ſacerdotis comprehenduntur, etiam Diaconus & Subdiaconus: Huius occaſione quæritur, an neceſſitate premente, cum alius haberi nequit, poterit ſubſtitui Diaconus, Subdiaconus, vel quiuis alius clericus, qui aſſiſtat celebrationi matrimonii?

b *ſeſſ. 24. c. 3.*

c *arg. c. 1. 15. q. 5.*

Reſponſio.

NOn poterit, ſed aliquo illorum aſſiſtente matrimonium erit nullũ, quia verba Concilii ſecundum (*c*) communem intelli-

d *c. ex literis, de ſponſal.*

intelligentiam accipienda sunt, & secundũ communem vsum loquendi nomine sacerdotis intelligitur verus presbyter: ergo dum Concilium dicit: *vel alio sacerdote de licentia ipsius parochi vel ordinarij*, verũ presbyterum intelligit, Confirmatur ex modo loquendi ipsius Concilii Tridentini, semper enim distinguit sacerdotes à Diaconis & aliis altaris ministris, vt patet in multis Concilii (*a*) locis, ergo eodem modo sumitur sacerdos in præsenti decreto. Tandem probatur: Quia hoc decretum semper ita intellectum est vsuque receptum, vt docent Nauarrus (*b*) & (*c*) Enriques, qui dicunt oẽs, Theologos & Iurisperitos ita interpretari.

a *sess. 23. c. 2. & can. 2. & alib.*

b *lib. 4. conf. de clandest. spõsal. con. 6.*

c *lib. 11. de matr. c. 3. n. 5.*

Dices: Nos versamur in materia fauorabili, multa siquidem in matrimonio conceduntur, quæ in aliis contractibus negantur, teste (*d*) Felino, qui viginti quatuor in fauorem matrimonii congerit: at in materia fauorabili nomine sacerdotũ veniunt omnes clerici, præsertim sacris initiati, vt Diaconi, Subdiaconi, &c.

d *verb. sacerdos, num. 1.*

℟. Doctrinam illam veram esse dum de clericorũ absolutione & punitione agitur, vt videre est apud Syluestr. & alios: Secus vbi agitur de necessariis ad sacramentũ, tunc enim verba secundum propriã & vsitatam significationem sunt accipienda.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Si contrahere volentes dicant Ordinarium vel parochum substituisse aliquem alium sacerdotem, qui illorum matrimonio interfit: An possit vel etiam teneatur sacerdos ille credere, & matrimonio assistere?

Quæstionis explicatio.

COmmuniter dicunt Doctores parochos debere credere subditis dicentibus se confessos fuisse sacerdoti habenti legitimam facultatem ipsos absoluēdi, & ita debere illis Eucharistiam ministrare, similiter & religiosos, si aliqui dicant se habere facultatem à suo parocho recipiendæ Eucharistiæ & Extremæ Vnctionis sacramenta, & ratio videtur: Quia hic tantum agitur de salute animæ ista asserentium: *Nemo autem præsumitur salutis suæ immemor.* Horum occasione quæritur, an similiter in sacrāmēto matrimonii credi debeat contrahere volentibus, si asserant se habere facultatem contrahendi coram aliquo alio sacerdote.

Responsio.

ALius sacerdos regulariter non tenetur credere dicentib. se habere licentiam, vt illorum matrimonio interfit: Ita (a) Abbas, (b) Bonifacius & alii Canonistæ, quia

a *Clem. 1. de priuil. n. 5.*
b *ibid. n. 28.*

quia licet in foro pœnitentiali, ad quod pertinet Confessio, Eucharistia, Extrema Vnctio, credatur dicenti se habere licentiam illa percipiendi, in foro tamen externo & spectantibus ad illud non creditur: matrimonium autem pertinet ad fôrum externum, & externam ecclesiæ gubernationem, & ratio peculiaris videtur esse, quia minus præsumenda est deceptio in Pœnitentia & Eucharistia, ad quæ sacramenta tm̃ accedit pro remedio animæ, & vt saluti spirituali consulatur, quã in matrimonio, in quo ordinarie commoda temporalia, maxime tempore pestis quæruntur.

Dixi, (*Regulariter*) quia si contrahere volentes sint personę graues & fide dignæ, potèrit imo tenebitur eis quicunque sacerdos fidem adhibere, & matrimonio illorum interesse, & suadetur à simili; quia quamuis (*a*) communiter dicatur, non esse credendum excommunicato dicenti se esse absolutum, nisi id legitime ostendat, tamen (*b*) Doctores nostri dicunt credendum esse excommunicato hoc asserenti, si persona sit fide digna.

a *c. sicut, de sentent. excõis & D. Thom. quodl. 1. ar. 2.*
b. *Palud. in 4. dist. 18. q 6. ar. 2. Sylvest. ver. excõ. 1. §. 26. vers. decimum ſõptimum.*

Dices: Quid si postmodum matrimonio contracto aliquis opponat & dicat, sacerdotem qui interfuit, caruisse licentia, cui incumbit probatio?

R. Si oppositio fiat à tertio illi incumbet probatio: si vero à proprio parocho, transfertur onus probandi in ipsos contrahentes & externum sacerdotem.

a Mastar. de probationib. conclus. 3.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Pastores teneantur omnibus peste infectis contrahere volentibus præsentiam suam exhibere?

Quæstionis explicatio.

DIximus, qui tenentur assistere matrimoniis peste infectorum: Sequitur ordine, vt dicamus, quorum matrimoniis pastores aut eorum substituti teneantur assistere, an omnium, an aliquorum tantum. Non enim desunt, quæ ex hac parte videntur subinde pastorem ab huiusmodi assistentia, tempore pestis excusare.

Responsio.

TEnentur omnibus præsentiã adhibere per se vel substitutum, nisi contrahere volentes impedimentum aliquod habeant, quod pastorem excuset. Probatur iis rationibus, quibus ostendimus reliqua sacramenta ministrari debere omnibus illa rite & legitime petentibus, pro omnibus enim æqualiter à Christo sunt instituta, & fideles ad illa ius habent, quo sine legitima causa priuari non possunt. Neque obstat, quod

quod pastoris non sit ministrare hoc sacramentum, quod sufficit præsentiam illius vsque adeo necessariam esse, vt sine illa matrimonium celebrari non possit. Addimus, (*nisi contrahere volentes habeant impedimentum*) quia si pastor sciat impedimetum subesse, puta ordinis, voti, religionis, consanguinitatis, vel alterius, quod matrimonium non solum impedit, sed etam annullat, excusatur, imo vero præsentiam adhibendo, iniuriam infert sacramento, vt patet.

Dices: Quid si subsit impedimentum, quod vocant, temporis clausi, puta aduentus vel quadragesimæ, quibus ecclesia vetat matrimonium contrahere, excusaturne pastor ab assistentia matrimonio exhibenda pro illo saltem tempore?

R. Si periculum est in mora, nec possit adiri commode superior, quia timetur, ne peste infectus moriatur, & è salute illius est, matrimonium cum cõcubina quam amat, contrahi, non excusabitur, imo vero tenebitur suam præsentiam exhibere, quo saluti sui subditi in ea spirituali necessitate constituti, consulat, vt ex superiorib. facile colligi potest.

QVÆ.

QVÆSTIO X.

An pastor teneatur exhibere præsentiam suam peste infectis amentibus, & furiosis contrahere volentibus?

Quæstionis explicatio.

COnsensum ad matrimonium requisitum liberum esse oportere, hoc est, à ratione deliberata profectũ, in confesso est apud Doctores. Alias enim non induceret obligationẽ, quæ est effectus quidam deliberatæ rationis ipsorum contrahentium: Huius occasione quæritur, an peste infectis contrahere volẽtibus, si in amentiam vel furorem inciderint, pastor teneatur adesse, & suam præsentiam illis exhibere.

Responsio.

DIstinguendum est, vel enim mente captus & furiosus continuo talis est, vel habet lucida interualla, quibus de rebus & statu deliberare & disponere solet. Si primum non tenetur, imo nec potest ad adesse sine iniuria sacramenti, cum consensum liberũ præsupponat tanquam fundamentum, vt iam diximus. Si secundum potest & tenetur tempore dilucidorum eiusmodi interuallorum adesse, alioquin iniuriam faciet ipsis contrahere volentibus negando

negando illis sacramentum, præsertim quando illis ad salutem necessarium est, vt frequenter in articulo mortis vsuuenit.

Dices: Quid si amens & furiosus tempore sanæ mentis habuerunt voluntatem contrahendi matrimonium, eamque tempore amentiæ exequi velint, poteritne vel etiam debebit pastor huiusmodi contrahere volentibus tuam præsentiam exhibere? & videtur quod sic, quia baptismus eo casu collatus validus esset propter voluntatem præcedentem: Confirmatur, quia in illis non deficit deliberatio requisita ad peccatum mortale, & homicidium in amentia commissum, si tempore quo sui compotes erant præuisum & præmolitum fuit, culpa est lethalis, ergo?

Respondeo: Nihilominus non sufficere eam voluntatem: nec esse simile de baptismo: Nam in matrimonio ipsi contrahentes sunt ministri, vt ante obiter diximus, & actus ministrorum necessario debent esse humani: sicut si aliquis sui compos audiuisset confessionem & factus insanus absolueret, nulla esset absolutio, & similiter si tunc baptisaret, quamuis antea id in animo habuisset, irritus & nullus esset baptismus: Neque obstat, mala præuisa extra amentiam imputari ad culpam si tem-

pore amentiæ perpetrentur, (a) *quia bonum ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus spectatur.* Quocirca matrimonium cum bonum quoddam sit, exigit plenam libertatem; at peccatum cum malum sit, satis est in sua causa esse volitum.

a *Diony. c. 4. de diuin. nominib.*

QVÆSTIO XI.

An etiam illis, qui secundo contrahere volunt, ea quod primum matrimonium fuerit nualidum ob occultum impedimentum?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis; Concubinarius nuper contraxit matrimonium coram parocho & testibus cum sua concubina, cuius sororem antea cognouerat, modo peste correptus vt suæ saluti consulat, obtinet secreto dispensationem, vultque iterum matrimonium contrahere. Quæritur, an pastor teneatur iteratæ matrimonii celebrationi suam præsentiam exhibere?

Responsio.

NOn tenetur exhibere, sed sufficit vt contrahentes inter se ipsos renouent consensus hactenus coram parocho & testibus præstitos, quia causa finalis Concilii Tridentini statuentis, vt matrimonium coram

parocho

parocho & testibus celebretur, ea fuit, vt vitentur grauia peccata ex clandestinis nuptiis consurgentia, maxime eorum qui clam cum vna contrahunt, eaque relicta aliud publicum matrimonium ineunt: Cui malo non poterat ecclesia mederi, cum ipsi de priori matrimonio minime constaret: Sed hæc ratio non se extendit ad hunc casum, cum prius matrimonium inualidum, in foro ecclesiæ validum & publicum fuerit, & si aliud matrimonium inire vellent, impedirentur ab ecclesia, credente matrimonium illud publicum validum fuisse: Ergo decretum Concilii Tridentini hunc casum non comprehendit. Confirmatur, (a) *quia ex proœmio colligitur animus & intentio Legislatorum, & intellectus legis limitatur.* Sed illud Concilii Tridentini decretum loquitur in proœmio de clandestinis matrimoniis, quæ semper ecclesia prohibuit detestataque est, matrimonium autem semel publice contractum, licet inualide propter occultum impedimentum, & postmodum clam ablato impedimento celebratum nunquam fuit clãdestinum, nec ab ecclesia prohibitum, ad illud enim præcessit publicitas, vt sic loquar, quam ecclesia requirit, vt docet Catharinus (b) contra Caietanum: ergo nec

a *Puteus lib. 3. præt. quæst. 17. n. 90. & 91.*

b *lib. 5. contra Caiet.*

matrimonium de quo agimus, reputat clandestinum, & consequenter illud permittit, nec irritat.

Dices: Concilium Tridentinum exigit pro forma præsentiam parochi & testium, ergo ea requiritur, quando iterum celebratur matrimonium, cum tunc vere contrahitur: Et confirmatur, quia solemnitas illa parochi & testium adhibita est ad legitimandum consensum prioris matrimonii tunc expressum, non autem postea exprimendum: Sed prior consensus cum nullus fuerit, non constituit matrimonium, sed posterior qui validus est: Ergo cum in posteriori desideretur solemnitas necessaria, non erit matrimonium.

℟. Negando prius matrimonium fuisse omnino nullum, fuit enim validum quoad præsumptionem ecclesiæ ignorantis impedimentum, in cuius facie contractum est, & ita iudicandum non est de illo, ac si omnino contractum non fuisset, quoad repetendam parochi & testium solennitatem, sed tantum quoad necessitatem renouandi consensus.

QVÆ-

QVÆSTIO XII.

An etiam illis, inter quos Pastor scit per confessionem esse impedimentum annullans?

Quæstionis explicatio.

GRauissima est disputatio apud Doctores, an liceat parocho vti scientia, quam habet ex confessionibus ad extremam gubernationem, hoc est, vt faciat vel omittat aliqua, quæ alias non esset facturus vel omissurus: aliis dicentibus id licere, quando fieri potest absque periculo detectionis ipsius confessionis: aliis contra negantibus, sed debere parochum se habere in suis externis actionibus, ac si nihil penitus in confessione sciret aut audiuisset: Occasione illius quæritur, an si pastor sciat per confessionem inter contrahere volentes esse impedimentum dirimens, teneatur suam præsentiam matrimonio exhibere.

Responsio.

TEnetur exhibere: quia omnes Doctores in hoc conueniunt, pastorem non posse iuuari ex confessionis scientia ad actus suos externos dirigendos, quando confes-

sio redderetur odiosa, & homines ab ipsa retraherentur, quod proculdubio eueniret, si homines scirent se ob peccatum in confessione auditum posse repelli à matrimonio ineundo, aut alio aliquo sacramento percipiendo, puta, quia Concubinarius volens concubinam ducere, confessus fuit se illius sororem ante cognouisse, &c.

Dices: Quid si Concubinarius occulte petat, pastorem adesse matrimonio cum solis duobus testibus, tenebitur nihilominus pastor suam præsentiam illi exhibere: an vero monere illum impedimenti, quod ex incœstu præfato natum est, & matrimonium nullum reddit?

R. Teneri præsentiam suam exhibere, posse interim illum monere in confessione, si velit confiteri, vel illum ad confessionem faciendam allicere, si id cum bonae ius gratia fieri possit. Et si enim occulte monere illum, qui tibi confessus fuit, non sit proprie sigillum confessionis frangere, offenditur tamen, quando extra confessionem sermo habetur de auditis in illa, cum ipsomet pœnitente nisi cum illius gratia & licentia fiat.

QVÆ-

QVÆSTIO XIII.

An etiam illis, inter quos pastor scit aliunde extra confessionem esse impedimentum?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis, factæ fuerunt denunciationes futuri matrimonii inter N. & N. concubinos peste infectos, nullum impedimentum oppositum fuit, scit tamen pastor aliunde impedimentum dirimens subesse: Quæritur, an teneatur huiusmodi matrimonio suam præsentiam exhibere.

Responsio.

NOn tenetur, (*a*) quinimo debet, etiamsi nullus impedimẽtum opposuerit, ipsemet impedimentum opponere coram Ordinario, sicut quilibet alius teneretur, imo magis, cum ipsi incumbat ex officio impedimenta salutis spiritualis ouium suarũ remouere, & eius testimonio sufficienter & plene impedimentum probetur.

a *Maiol. lib. 3. de irregul. c. 25. n. 13. §. affinitas.*

Dices 1. petenti publice matrũm, cuius occultum crimen etiã mortale pastor nouit, non potest negare suam præsentiã, licet ille lethaliter delinquat sic petendo sacramentum: ergo similiter non poterit pastor negare suam præsentiam illi, qui habet occultum impedimẽtum dirimens, cum tan-

tum agatur de vitãdo peccato lethali quod admittit sic petendo & contrahendo.

℟. Negando conseq. Est enim longe dispar ratio de aliis peccatis occultis, quæ non impediunt receptionem matrimonii, quia ecclesia non habet ius in foro exteriori ad impediendum ob illa matrimonium, cum non iudicet de occultis, sed solius correctionis fraternæ lege, tenetur occulte petenti negare: quando autem sunt impedimenta iure ipso matrimonium dirimentia, habet ius in vtroque foro impediendi, si vnius testimonio ꝓbari possit, vt hic ponitur: potest n. parochi testimonio probari impedimentum: Nec perdit illo laborans ius suum, iure enim impeditur contrahere, nec parochus negando publice infamat, quia tenetur prius secreto monere, & si monitus nolit desistere, sibi imputet.

Dices 2. Laborans occulto impedimento, vt irregularitate, si publice ordines petat à proprio Episcopo, qñ tenetur eos conferre, non potest repelli (*a*) iure Canonico: ergo similiter nequit proprius parochus negare matrimonium publice petenti ob impedimentum occultum.

(*a*) *c. ex tenor. de tempore ordin.*

℟. Argumentum concludere, ordinarium qui Iudex est non posse publice denegare matrimonium ob impedimẽtum sibi soli

soli notum, quia cum iudex sit, nequit esse testis, vnde impedimentum nullo modo probari potest. Secus autem de parocho, qui cum non sit iudex, potest de impedimento testimonium perhibere.

QVÆSTIO XIV.

An etiam Vagabundis?

Quæstionis explicatio.

VEtat Concilium Tridentinum, ne pastores matrimoniis vagantium interfint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, num canonicum subsit impedimentum, & inprimis, an priore vxore relicta aliam & forte plures illa viuente in diuersis locis duxerint. Huius occasione q̃ritur, si vagabundi concubinarii in parochia peste corripiantur, an tenebitur parochus illorum matrimoniis interesse, & solemnitates à Concilio pro huiusmodi hominibus præscriptas, obseruare?

Responsio.

TEnebitur interesse, & si tempus permittat dictas solemnitates obseruare. Prior pars probatur, quia is tenetur vagabundorum matrimoniis interesse, qui te-

netur alia sacramenta ministrare, vt Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Vnctionis, præsertim cum credantur esse ad salutē necessaria. Altera probatur, quia ita præcipit Concilium Tridentinum, estque res grauissima & maxime necessaria.

Addo (*si tempus permittat*) quia si alter concubinariorum peste infectus putetur iam moriturus, & asserit se matrimonium salutis suæ spiritualis causa contrahere velle, poterit parochus facta per se diligentia, quantum tempus patitur, illos matrimonio coniungere, quia in huiusmodi casu, sufficit adhibere substantialia: diligens autem inquisitio & licentia Ordinarii, non sunt de substantia matrimonii.

Dices: Valetnè ergo matrimonium vagorum sic contractum extra necessitatem, non præmissa dicta diligentia, nec ordinarii licentia petita?

℟. Valet, quia ad matrimonii essentiam tantum desideratur præsentia parochi & duorum testium: siquidem ad eundem finem exigitur hæc diligentia pro vagabūdis, ad quem in eodem Concilio Tridentino petuntur denunciationes pro indigenis: sed his omissis valet matrimonium, vt patet ex ipso Concilio; ergo & omissa illa diligentia.

Deinde

Deinde Concilium non prohibet absolute matrimonium absque dicta licentia, sed præcipit parochis, vt diligentiam præmittant, licentiamque petant: Ergo eius omissio culpa erit, graui quidem pœna digna: suspenditur enim parochus ob illam ab officio suo ad triennium, non tamen vitiabit matrimonium.

QVÆSTIO XV.

An etiam illis, qui ad contagionem vitandam ex parochia, in qua est promulgatum decretum Concilij Tridentini, matrimonia clandestina irritans, fugerunt in externam parochiam, in qua illud non est promulgatum?

Quæstionis explicatio.

MAtrimonia clandestina valida sunt in iis locis, in quibus Decretum Cõcilii Tridentini illa annullans non est promulgatum, vt patet ex ipso (a) Concilio: Imo valida sunt, si illud quidem promulgatum fuit, sed non receptum, vel practicatum, & lapsi sunt decem anni, secundum communem (b) Theologorum. Quinimo

a *Sess. 24. de matrim. c. 1. in fine.*

b *c. 1. de treuga & pace.*

Quinimo valida sunt etiam in illis oppidis & parochiis, vbi hactenus promulgatum & practicatum fuit: sed modo expulsis pastoribus Catholicis, fideles, qui adhuc in eis hærent, carent proprio parocho: Sic enim rescripsit Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Bellarminus, Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Octauio, Episcopo Tricaricensi his in partibus, Nuncio Apostolico, anno 1600. die 30. Decembris. *De matrimoniis contractis, vbi nulli iam sunt proprij pastores, iam olim actum fuit cum S. D. N. & cum congregatione Concilij Tridentini, ac sententia communis fuit illa, esse rata, nec ad ea pertinere Decretum Concilij, cum in eiusmodi locis obseruari non possit. Non video ergo, cur ea matrimonia non debeant tolerari, cum satis constet, Concilij Decretum, quod iubet matrimonium fieri coram parocho, non se extendere ad ea loca, vbi nulli sunt parochi.* Horum occasione quæritur, quid si aliqui peste infecti ex parochia, in qua est promulgatum illud decretum irritans, fugiant in parochiam, in qua non est promulgatum vel receptum, & velint ibi ex causis antedictis matrimonium contrahere, tenebitur illis pastor suam præsentiam exhibere?

Responsio.

Responsio.

NON tenebitur: Quia, quicquid aliqui dicāt, probabilius putamus, peregrinos à domicilio absentes, non teneri legibus sui domicilii, si contrariæ vigeant in loco vbi reperiuntur.

Deinde vt detur illos obligari legibus domicilii, tamen quoad solemnitatem adhibendam in contractibus solæ leges loci, in quo contractus celebrantur, inspiciuntur: Locus autem, vbi hoc matrimonium initur, non petit eam parochi & testium solemnitatem ad matrimonii valorem, cum ibi decretum Concilii Tridētini non obliget, vt statim diximus: Ergo, &c.

Dices. Decretum annullans semel publicatum in aliqua parochia, afficit parochianos quocunque migrent, quia aduenientes ex locis, vbi Concilium obligat, iam contraxerunt obligationem seruandi id decretum: ergo quocunque eant saltem per modum transitus tenentur illud seruare.

Et confirmatur. Quia Concilium irritat clandestina matrimonia, redditq; ipsas personas inhabiles ad sic contrahendum, sed inhabilitas personam afficiens, cum sit quid

quid personale, comitatur personam quocunque euntem: ergo semel propter legitimam Concilii publicationem redditus inhabilis ad clam contrahendum nullibi terrarum poterit ita contrahere.

Respondeo: Aduenas contraxisse obligationem seruandi id Concilii decretum, quamdiu sunt in iis partibus, in quibus obligat, secus dum ad alia loca perueniunt vbi non obligat. Ad confirmationem dico, quando inhabilitas est constituta absolute, & simpliciter sequi personam quocunque euntem, secus quando constituta est per modum legis: Sicut enim lex illa non obligat in illis locis, ita inhabilitas & annullatio actus non obligat ibi, nec sequitur personam, nisi dum est in locis, in quibus ea lex vim obligandi habet.

QVÆ-

QVÆSTIO XVI.

An etiam illis, qui econtra fugerunt ex parochia in qua non est promulgatum dictum Concil. Trident. decretum, in parochiam in qua est promulgatum.

Quæstionis explicatio.

VIceuersa accidere potest, vt ad vitandam contagionem quidam fugiant ex parochia in qua non est promulgatum, in parochiam in qua est promulgatum dictum decretum Concilii: Occasione huius nascitur quæstio, an parochus loci, in quem fugerunt teneatur illis suam præsentiam exhibere.

Responsio.

TEnetur: Quia vt superiore quæstione diximus, quoad solemnitatem adhibendam in contractibus, oportet seruare leges loci in quo contractus fiunt. Cum ergo locus, vbi celebratur matrimonium, exigat solemnitatem Concilii Tridentini, debebit interesse parochus cum testibus.

Dices primo: Peregrini & forenses non

non astringuntur legibus & consuetudinibus loci, per quem transeunt, vel in quo per modum hospitii recipiuntur; præsertim quando illę non obligant in suo domicilio, quia qui (a) transit aut breui tempore diuertit ad locum, non dicitur moraliter in eo esse: Ergo non tenentur leges illius loci obseruare, cum solos in eo existentes obligent.

a *Palud. in 4 dist. 19. q. 4. art. 3. nu 24. Ant. 2. p. tit. 6. c. 2. §. 2.*

℟. Regulam illam pati exceptionem, quoad contractuum solemnitatem: nam quicunque forenses & peregrini tenentur seruare solennitates in contractibus requisitas à legibus & consuetudinibus oppidi, in quo contrahunt: ratione enim (b) contractus quilibet forum sortitur in loco cõtractus.

b *c. final. de foro compet.*

Dices secundo. Fideles in quorum parochiis ꝓmulgatum est hoc decretum obligatione illius ligantur apud infideles, si ibi captiui detineantur, etiamsi hoc decretum non sit ibi promulgatum, & ꝓbatur, quia aliâs nullus ibi Ecclesiæ legibus teneretur, cum non sint ibi publicatæ.

℟. Negando antecedens, & ad probationem dico, non esse simile de aliis Ecclesiæ legibus: Illæ enim contentæ sunt publicatione in qualibet fideliũ diœcesi, vel in Curia Romana, vt vbique obligent: he

hoc autem decretum ſpecialem in qualibet parochia publicationem poſtulat, vt patet ex ipſo Concilio.

QVÆSTIO XVII.

An etiam illis, qui virginem defloraruntdata fide de matrimonio, ſi antea votum de ſuſcipiendo ordine ſacro ſeu caſtitate ſeruanda emiſerunt?

Quæſtionis explicatio.

CErtum eſt, votum Ordinis Sacri non obſtante fide data virgini vires obligandi habere; dubitatur modò, an huiuſmodi votum habentes, ſi peſte corripiantur, prius voto ſatisfacere teneantur, an vero puellã defloratam ducere: & conſequẽter obligetur paſtor, huiuſmodi matrimoniis intereſſe?

Reſponſio.

PRobabilius videtur, prius teneri puellam defloratam ducere, & conſequenter paſtorem teneri, illorum matrimoniis intereſſe, quia votum non obligat rebus mutatis, vt tradũt omnes in materia de voto: hic autem notabiliſſima eſt mutatio,

tum vinculum fortissimum superuenerit, & grauissimum proximi damnum, si votum impleatur. Deinde vinculum iustitiæ fortius est, quam charitatis: sed ob charitatis vinculum superueniens, tenetur quis religionis votum præcedens suspendere, puta ratione indigentiæ parentum, secundum communem: ergo à fortiori propter vinculum iustitiæ, quale hic reperitur.

Dices. Si defloratur in hoc casu teneretur defloratam ducere, hoc esset vel ratione promissionis, vel ratione damni virgini illati: sed non tenetur ratione promissionis, quia nulla fuit tanquam rei illicitæ cõtra votum: neque ratione damni, quia violans virginem nuptiis non promissis, non tenetur eam ducere, sed potest aliter satisfacere.

R. Defloratorem teneri ducere ratione vtriusque simul; nec est perinde, nullam intercessisse promissionem, & intercessisse illicitam, quia quando nulla adfuit promissio, defforata nullum habet ius ad matrimonium; (a) *quoniam scienti & consentienti non fit iniuria*: quando autem promissio adfuit, licet inualida, propter causam ipsi defloratæ occultam, tunc ipsa ratione deceptionis & damni sibi à defloratore illati, habet ius petendi, & consequenter iusta

(a) *Nauar. c. 19. num. 16.*

iusta causa oritur ad priorem obligationem.

QVÆSTIO XVIII.

An etiam illis, qui prius fidem alicui virgini de matrimonio dederunt, & postmodum similem dederunt alteri virgini, copula consequuta?

Quæstionis explicatio.

PRoponuntur hoc loco tacite duæ quæstiones.

Prima, an semper teneatur pastor vni vel alteri matrimonio interesse, ita vt nullus exoriri possit, quo neutri teneatur, hoc est, neq; matrimonio, quod vult inire cum prima virgine, cui simplicem matrimonii fidem dedit, neque alteri, quod vult inire cum virgine, quam defloravit, fide etiam de matrimonio contrahendo data.

Secunda, casu quo teneatur alteri interesse, vtri magis teneatur interesse, priorinè, hoc est, cum virgine simplicem fidem habente, an posteriori, hoc est, cum defforata, habente quoque fidem de matrimonio.

Responsio.

Ad primam quæstionem dicimus posse dari casum, quo neutri matrimonio teneatur pastor interesse, vt si sponsalia posteriora & copula fuerint cum consanguinea in primo gradu prioris sponsæ, tunc enim cum priori non poterit contrahi ratione affinitatis cum cõsanguinea consurgentis; non etiam cum posteriori, ratione publicæ honestatis, quæ ex priorib. sponsalibus validis orta est.

Ad secundam dicimus, ordinarie teneri interesse matrimonio priori: ratio est clara, quia iniuria illata posteriori, non aufert ius suum priori.

Dicimus (*ordinarie*) quia quando virgo defloratа grande damnum pateretur, magnamque honoris iacturam, prior vero leuiter læderetur, teneretur interesse posteriori: Nam prior teneretur modicum illud damnum sustinere, ad vitandum damnum proximi grauissimum.

Dices. Superius dictum est, pastorem debere interesse matrimonio virginis defloratæ, non obstãte sacri ordinis seu castitatis voto antea emisso: ergo similiter tenebit interesse matrimonio posteriori virginis defloratæ, non obstãte priori fide data alteri virgini.

℟. Non

R. Non esse simile in voto, quia Deus (a) non ita exacte promissionem sibi factã impleri petit, sicut homines: non enim cum damno & iniuria tertii impleri vult, homines autem propter iniuriam alteri illatam iure suo priuari nolunt.

a *Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. dub. 3.*

QVÆSTIO XIX.

An etiam illis, ex quorum matrimonio Pastor timet probabiliter magnum scandalum?

Quæstionis explicatio.

FRequenter ex concubinariorum matrimoniis magna nascuntur inter parẽtes dissidia, dissoluitur parentum pietas, & cognatorum amicitia, vel propter familiarium disparitatem, vel dissonãtiam morum, vel propter concubinæ prodigalitatem, infamiam, & similia. Horum occasione quæritur, quid si tale quid futurum parochus probabiliter timeat, tenebiturnè huiusmodi matrimoniis præsentiam suam exhibere?

Responsio.

NOn tenebitur: quia virtus iustitiæ obligare nequit ad actũ, qui sine paccato

impleri non potest, sed cooperari & adesse huiusmodi contrahentibus cum magno illo scandalo, est aperte lethalis culpa, cum notabiliter charitas proximi lędatur, vt patet. Huic assertioni fauent (a) Canonistæ, cum dicunt, iudicem debere interdicere matrimonium, quando vehementer timetur scandalum ex matrimonii contractu inter contrahẽtium consanguineos: quod verum (b) est, etiamsi secuta sit virginis defloratio propter rationem dictam: immo (c) etiamsi nulla sit inter contrahentes disparitas.

a *Ad c. cum tua, de spon. ibi de fama vel scandalo Panormit. c. requisiuit de sponsalibus.*
b *Nauarrus c. 16. n. 18.*
c *Lud. Lopes 1. p. instruct. c. 72.*

Dices. Quid si prudentes viri sperent primo impetu sopito amicorum animos pacandos, tenebiturnè pastor officio fungi & præsentiam suam exhibere?

R. Tenebitur, non enim qualecunque scandalum sufficit, sæpe enim variæ minæ iactantur, terroresque opponuntur, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamẽ experientia teste, vbi primus ille impetus deferbuit, & matrimonium celebratur, in nihilum recidunt, facileque animi conciliantur & sedatur omnis tempestas.

QVÆ-

QVÆSTIO XX.

Quis est optimus & maxime probandus modus celebrandi hoc sacramentum tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

ABsoluimus duas partes huius capitis: restat tertia & postrema, qua quæritur de modis, quibus tempore pestis ministrari vel nō ministrari potest & debet matrimonii sacramentum. Quocirca quæritur consueta methodo, quis sit censendus optimus modus tunc celebrādi hoc sacramentum?

Responsio.

ILle est, in quo essentialia certa adhibentur, puta personæ, nullum habentes legitimum impedimentum dirimens, & præsentia pastoris vel alterius sacerdotis ab eo vel ordinario deputati: denique reliqui accidentarii ritus & cæremoniæ, puta, denūciationes, vna vel plures, benedictio sacerdotis, & quædam aliæ, prout ratio temporis & periculi siue sacerdotis & testium, siue ipsorum contrahētium postulabit. Hęc sufficienter ꝓbantur per ea, quæ in similib. quæstionibus ante diximus.

Dices: Debebitnè saltem vna denunciatio fieri?

℟. Pastorem debere aduertere circumstãtias temporis, loci & periculi, in quo versantur, præsertim ipsi contrahere volentes, vel saltem alter ipsorum: Itaque pro ratione istorum, vel plures, vel vnam, vel nullam faciet, dummodo pro qualitate casus & dictarum circumstantiarum adhibet diligentiam, quam potest, ad deprehendendum, si quod subsit impedimentum.

Dices 2. Petetne ante omnia pastor ab Episcopo seu eius vicario rubrum sigillum (vt vocant) hoc est, remissionem bannorũ, siue denunciationũ, de quib. iam diximus.

℟. Petet, si vt diximus ratio tempotis & reliquæ circumstantiæ id permittant, puta, quia contrahere volens, non est in tanto vitæ periculo, & probabiliter videtur, ad aliquot dies superuicturus, sed quia hoc genꝰ morbi fallax est, & plurimos contra opinionem eripit ex hac vita, poterit in hoc casu testis sine remissione bannorum ad matrimoniũ celebrandũ procedere, maxime si sciat, nullũ subesse canonicũ impedimentũ.

Dices. Quid si tẽpus sit clausum, h. e. q si ab Ecclesia sit vetitum, eo tempore matrimonia celebrari?

℟. quod alias sæpe, *necessitatem carere lege*, præsertim cum Ecclesia non vetet sacramẽtũ matrimonii, sed quasdã illius solẽnitates

vt tradu-

vt traductionem sponsæ, & alias eiusce generis, quæ in matrimoniis tempore pestis celebrandis non reperiuntur. *Musica enim in luctu*, (vt loquitur (a) Sapiens) *importuna narratio*.

a *Eccles. 22.*

QVÆSTIO XXI.

Quid sit censendum de modo ministrandi illorum, qui volunt peste infectum contrahere per procuratorem?

Quæstionis explicatio.

CErtum (b) est matrimoniũ contractũ per procuratorẽ valuisse ante Concil. Triden. quatuor conditionib. positis, 1. vt procurator habeat speciale mandatum ad matrimonium contrahendũ. 2. vt sit mandatum ad contrahendũ cum certa persona, 3. vt procurator per se ipsum exequatur. 4. & vlt. vt tempore, quo procurator cõtrahit non sit reuocata potestas: Hodie (c) quidã dubitãt, an etiam post Concil. Trid. valeat, si in præsentia parochi & testium procurator contrahat: Occasione huius quæritur, quid si pastor timore contagionis non audeat accedere contrahere volentes, quia illorum alter est peste infectus, nec lecto se mouere potest, velit autem illos per procuratorẽ contrahere, poteritne hic modus celebrandi mtrum hoc tempore probari & tolerari?

b *a. fin. de procurat. in 6. & l. sufficit, ff. de sponsal.*

c *Barthol. de Ledesm. dub. 18. de matr.*

Responsio.

POterit etiam post Concil. Trident. quia in eo omnia essentialia ad matrimoniũ saluantur, puta, consensus mutuus partium contrahere volẽtium aliquo signo expressus, & præsentia parochi & testium coram procuratore, cætera enim accidẽtalia sunt, quę propter periculum contagionis omitti possunt. Neq; obstat, quod pastor non exhibet suam præsentiam contrahendi, sed eius procuratori, quia hoc sufficit etiam post Concil. Trident. vt patet ex praxi totius ecclesiæ, nostro enim tempore à Concil. Tridentino promulgato, vidimus publice plura matrimonia per procuratores celebrari, esset autem error intolerabilis in ecclesia matrimonia irrita tolerare: Deinde finis Concilii irritantis clãdestina est, vt notum sit ecclesiæ matrimonium, próbariq; possit, ne aliud publice, aliud vero occulte celebretur: Sed cum celebratur per procuratorem coram parocho & testibus, satisfit huic fini, iam enim constat ecclesię, & probari potest, sicut quilibet alius contractus gestus per procuratorem sufficienter probatur, ita vt contrahens cogatur in foro exteriori illi stare.

Sess. 24. c. 1. in proœmio.

Dices: Concilium exigit, vt parochus & testes intelligant contrahentium consen-

sum,

sum, vt eius testes esse possint: at illum intelligere nequeunt, cum solum procurator adest.

℟. Exigi præsentiam realem per se vel procuratorem, & vere parochum & testes intelligere consensum absentium medio procuratore ad id specialiter destinato, cũ omnino absentis personam agat.

Dices 2. Concilium Tridentinum pro forma petit, vt parochus præsens sit consensui contrahentium, cum alter matrimoniũ irritet: quoties autem requiritur præsentia pro forma (*a*) in iure non impletur per procuratorem. Sic quia presentia tutoris exigit pro forma ad minorum cõtractus, non est satis tutorem per procuratorem adesse, & Canonici alicuius ecclesię non possunt cõsentire alienationi rerũ ecclesiæ per epistolam, quia ius (*b*) eorum præsentiam exigit.

a *l. obligari, §. tutor statim ff. de author. & consensu tacito.*

c *c. in Genes. de elect.*

℟. Negando, quod cum requiratur presentia pro forma, non satis sit per procuratorem adesse. Nec est simile in tutore; eligitur enim industria personæ, & confidunt leges, fore, vt ille melius pupilli rebus consulat. Similiter eligit ius industriam Canonicorum, confidẽs ipsos bene ecclesiæ suæ consulturos, & ideo vult vt congregentur, & rationes conferant, & clarius intelligant quid facere expediat.

Dices

Dices postremo: Pastor potest præsentiam suam exhibere absq; contagionis periculo à longe prospiciendo & audiendo mutuum consensum contrahentium, ita vt iudicio peritorum nullum propemodum sit periculum.

℟. Illo posito pastorem teneri exhibere suam præsentiam propter reuerentiam sacramenti, quem alias periculum contagionis excusabat.

QVÆSTIO XXII.

Quid sit de illorum, qui volunt peste infectum contrahere per epistolam?

Quæstionis explicatio.

IVre (a) antiquo constat matrimonium per epistolam celebratũ validum fuisse, ℣ etiam probant tum nostri Dd. tum Canonistæ. Dubitatur vero hodie, an etiã valeat post promulgatum Conc. Trident & speciatim decretum matrimonia clãdestina irritans: Huius occasione quęritur, quid dicendum sit de modo ministrãdi illorum qui vt vitent periculum contagii, volunt vt peste infectus si contrahere velit, contrahat per scriptum & epistolam.

a *ex l mulierem, ff. de rit. nuptia. l fin. sufficit, ff. de sponsal.*

Responsio.

VIdetur posse tolerari: pleriq; (b) enim putant probabilius valere matrimonium

b *Enriq. lib. 11. de matr. c. 2. n. 6. Lud. Lopez, 2. p.*

nium sic contractum etiã post Conc. Trid. promulgatum: & ratio eorũ est, quia omnia per Conc. Trid. requisita in eo reperiri possunt, & probatur recensendo duos modos, quibus matrimonium ſm illos per epistolam cõtrahi potest: Primus (a) vt epistolam mittens, scribat se nõ solum facere sui corporis traditionem, sed extunc traditionem per alterum sibi faciendam acceptare: tunc enim si epistola lecta coram parocho & testibus alter consentiat iam vtriusq; traditio & acceptatio sint coram eodem parocho & testibus facta, nihil autem aliud singulare requirit Concilium: Alter, vt recipiens epistolam rescribat mittenti se accepisse literas, in quibus vult ipsum in coniugem, & similiter se velle, tunc enim si hac Epistola lecta coram parocho & testibus recipiens coram illis consentiat, iam mutua acceptatio & traditio constat coram parocho & testibus, quia illa epistola continet traditionem rescribentis & acceptationem traditionis factæ à priori mittente, & prior mittens se tradit & acceptat coram parocho & testibus: Nihil autem aliud requirit Concilium Tridentinum.

Dices: Esto, possit matrimonium vt est quidam contractus celebrari per Epistolam vel procuratorem vt ante dictum est; poterit-

instr. de mãt. c. 35. Nauar. lib. 4. consil. tit. de cogna. spirituali, & alij perplures qui post Concil. scripserũt a *Enriq. sup.*

b *Zanches lib. 2. de S. matr. dis. 22.*

poteritne etiam huiusmodi matrimonium vocari sacramentum?

(a) Durand. in 4. dist. 28. q. 3. n. 11. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 12. de contract. mat.

R. Poterit, (a) quicquid aliqui contradicant, quia matrimonium vt contractus, & vt sacramẽtum est idem numero, & tantum differt iuxta diuersos respectus, quia vt respicit vinculum contrahentium dicitur contractus, vt autem eleuatur à Deo ad repræsentandam vnionem Christi cum ecclesia dicitur sacramentum: Ergo vtroque modo debet habere eandem materiam & eandem formam, & causas agentes, ac proinde si potest vt contractus celebrari per epistolam poterit, etiam vt sacramentum.

Dices secundo: Cum in hac re sint contrariæ Doctorum sententiæ, vt vtraq; probabilis, expedietne si peste infectus conualescat suadere, vt iterum matrimonium personaliter, & per se immediate contrahat ad tollendos scrupulos.

R. Expediet: Neque obstabit, quod cætera sacramẽta repeti nequeant eadem manente materia, quia hoc est in matrimonio speciale, vt sæpius stante eadem materia repeti possit, cum enim sit contractus, eiusq; naturam & conditiones retineat, potest ea parte qua contractus est, cæterorum contractuum more sæpius iterari.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIII.

Quid sit de illorum, qui contrahunt coram parochо casu ante illorum fores prætereunte?

Quæstionis explicatio.

COnstat necessariam esse præsentiã parochi ad valorem matrimonii sicut & testium, eamq; non tñ physicã, hoc est, corporalem, sed & moralem & humanã, quæ vltra physicam addit, vt vsum rationis habeãt, & vtriusq; partis cõsensum intelligãt: Disputatur vero à quibusdam, an hæc præsentia parochi & testium præter aduertentiam intellectus requirat etiam voluntatis consensum, ita vt si præter voluntatem, vel casu adsint contrahentib. & aduertant illos contrahere, non sit matrimonium: huius occasione quęritur, quid si pastor nolit, vel non ausit præsentiam suam exhibere peste infectis contrahere volentibus, illi vero contrahant in præsentia parochi ante fores illorum præter intentionem prætereuntis, eritne hic modus cõtrahẽdi validus & tolerandus? *Responsio.*

ERit validus, quia hodie fere omnes docent ad prędsentiam humanam parochi & testium sufficere aduertentiã intellectus: siquidem secundũ (*a*) iura dr aliquid coram aliquo

(*a*) *l. corã Titio ff. de ver. obl.*

aliquo fieri, quãuis is inuitus adsit, si aduertat: Cum ergo Cõcilium solum exigat matrimonium celebrari coram parocho & testib. satisfit, si ipsis præsentib quamuis inuitis celebretur. Præterea saluatur finis illius decreti (a) Tridẽtini ex eius præfatione collectus, cũ iam matrũm tãlium cõstet ecclesiæ, nec publice possint aliud inire, quod principaliter quæsiuit Concilium. Et hæc doctrina vr certa, cum dicantur Cardinales ad interpretationem Concilii deputati ita præsentiam de qua agitur, explicasse.

a Sess. 24. initio.

Dices, quando in iure aliquid fieri præcipitur coram aliquo, debet is interesse moraliter secundum suum modum & officiũ, vt si sit aliquid faciẽdum coram notario & testibus, non satis est notarium interesse, vt testem, sed exercentem suum officium, ergo cum Concilium præcipiat matrimoniũ fieri coram parocho & testibus; non petit assistentiam parochi solum vt testis, sed vt illius qui intersit munus suum obeundo, at parochi munus est non puri testis, sed assistentis nomine ecclesiæ approbando matrimonium, & præbendo sacramento authoritatẽ, quæ non præstatur ab eo qui inuitus aut casu ad aliud vocatus interest: Et confirmatur, quia Concilium vult vt parochus viro & mulierẽ interrogatis, & eorum mutuo

mutuo consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vel alia verba proferat iuxta præceptum vniuscuiusq; prouinciæ ritum, ergo non sufficit ad præsentiam parochi qualiscumque aduertentia, sed requiritur etiam voluntaria.

℟. Concilium vtramq; præsentiam postulare, sed diuersimode; petit n. illius præsentiam vt testis qualificati, id est, habentis parochi dignitatem tanq̃ de essentia, & rursus tanq̃ præstantis auctoritatem nomine ecclesiæ, solum ex illius præcepto: Et consequenter ad confirmationem dicimus, si propter periculũ contagii vel similem iustã causam, parochus præsens non proferat illa vel similia verba, nihilominus ad valorem matrimonii sufficere illam præsentiam.

QVÆSTIO XXIV.

Quid sit de illorum, qui contrahunt coram testibus primo occurrentibus, puta mendicis, excommunicatis, infamibus, seruis, ancillis?

Quæstionis explicatio.

CErtum est ad valorem matrimonii requiri adesse duos testes cum parocho: certum quoq; est exigi vt testes vsum rationis habeant, præsentesq; sint moraliter, vt

ante diximus de parocho, eiusq; præsentia. Dubitatur vero à quibusdam, an sufficiant qualescunque testes, vel exigãtur omni exceptione maiores, hoc est, tales vt nullum patiantur vitium ex iis, ob quæ iure repellantur à testimonio dicẽdo: huius occasione quæritur, vtrum tempore pestis, cũ non possint facile reperiri testes, quales desiderantur, sufficeret contrahere corã testibus, quibuscũq; hoc est, qui primo occurrerint, siue sint fœminæ, siue viri: siue sint excommunicati, infames, & similes.

Responsio.

Hic modus etiam tolerari potest, quia secm (a) probabiliorem opinion. ad valorem matrimonii sufficiunt qualescumq; testes rationis vsum habẽtes, nec est necesse vt habeant qualitates à iure requisitas quales requiruntur, vt in aliis negotiis habiles & legitimi testes reputentur: Quare sufficient testes etiam infames, excõmunicati, parentes, consanguinei, serui, familiares, pauperes & mendici. Probatur primo, quia quamuis alias testes sint illegitimi, & inhabiles, faciunt sufficientem fidem, nec repelluntur, quando sunt *Instrumentarij*, vt loquuntur (b) Iurisperiti, hoc est, appositi Instrumento ex communi conrrahentium consensu: Sed testes in matrimonio communi

a *Enriq. lib. 11. de matr. c. 3. num. 9. Petr. de Ledes. de matr. q. 45. art. 3. punct 3. Emanuel Za verb matr. num. 1.*

b *Socyn. de reg. iur. lit. T. reg. fin. verb. fallit, quando testes & alij.*

muni contrahentium consensu sunt appositi, ergo sufficiunt quicunq;, præsertim cũ in libro parochi describendũ sit matrimonium cum nominib. testium, vt præcipitur in Conc. (a) Trid. Deinde, quia testes inhabiles admittuntur, qñ concurrunt cũ alio habili & fidedigno, maxime si alter ex testib. sit parochus, cuius authoritati multũ tribuit in (b) iure, vbi non obstante consuetudine antiqua ciuitatis Hostiensis, qua nõ valet testamentum absq; quinque testibus, definitur valere, si in præsentia parochi & duorum testiũ fiat: ergo cum matrimonio necessario debeat interesse parochus aut alius sacerdos de eius licentia, eius authoritas supplebit vitium, quod alii duo testes patiuntur, & proinde valebit matrimonium qualescunque sint testes. Confirmatur, quia cum ius vult vltra parochum adesse duos alios testes legitimos, id exprimit vt (c) ibidem (*corã presbytero, & tribus aut duabus aliis personis*) ergo cum Concil. Trident. tantum exprimat coram parocho & duob. vel tribus aliis testibus, signũ est, nullã qualitatem in testib. exigere præter eam, quæ iure naturæ est necessaria, vt testimonium perhibere possint, nempe vt rationis vsum habeant. Tandem est optima huius rei congruentia: sicut enim in aliis sacra-

a *sess. 24. c. 1.*

b *c. cum esses, de testam.*

c *c. cum esses, de testam.*

mentis instituit Dominus materias in re communi & facili, vt baptismum in aqua, ex quo facile inueniretur. Ita Concil. Tridentinum intendens statuere quædam clara facilia & cõmunia præcepta exigit testes cuiuscumq; conditionis ad matrimonii valorem & probationem: Si enim omni exceptione maiores peteret plerumq; difficile inuenirentur, innumerisq; litibus circa matrimonii valorem locus daretur.

Dices: Aliquando fit, vt ipse parochus etiam sit suspectus, ac proinde illius authoritas vitium testium minime suppleat.

R. Posse ita accidere, verum lex non potest respicere omnes particulares casus, sed frequentiores, vt patet.

QVÆSTIO XXV.

Quid de illorum, qui cum non possint simul habere parochum & testes, modo contrahunt coram parocho, & postea coram testibus?

Quæstionis explicatio.

COncilium requirens parochum, & duos testes ad celebrandum matrimonii contractum loquitur copulatiue: Sic enim habet: *Qui aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimo-*

Sess. 24. c. 1.

trimonium contrahere attentabunt, &c. videtur ergo exigere, vt simul tempore parochus & testes interstint matrimonio: huius occasione quæritur, quid si tẽpore grassantis pestis simul haberi non possint, sed hodie paratus est parochus, coram quo contrahẽtes mutuum consensum explicant, & cras occurrunt duo testes, coram quibus similiter faciunt, quid dicendum de hoc modo contrahendi?

Responsio.

NOn videtur posse tolerari, qa (vt statim diximus) satis certum est, Cncil. Trid. copulatiue exigere præsentiam parochi & testium, & aliter contractũ matrimonium irritare. Confirmatur, quia (*a*) præsentia parochi & testium desideratur, vt plene constare possit ecclesiæ de matrimonio: At nõ plene constat, quando non sunt simul eodem tempore parochus & testes, cum alias sint testes seculares.

a Veracius appendice ad speculũ dub. 6. concl. 4.

Dices: Si testes sint præsentes qui cõsensum contrahentiũ intelligunt, & parochus sit præsens, & ex ꝓposito non vult intelligere, sed oculos claudit & aures: nihilominus validum contrahit matrimoniũ, iuxta allegatam à quibusdã Cardinalium declarationẽ: parochus aũt præsens, & non intelligens perinde est acsi absens esset, si effectũ

testificandi attendamus, ergo poterit matrimonium contrahi in præsentia duorum testium absente parocho, maxime si postmodum parochus consensus matrimonialis certior fiat, aut contrahentes audiat secum consensum ratificantes.

Ad. Negando maiorem propositionem, nec est verisimile sic Cardinales declarasse, cum certum sit non valere matrimonium, si parochus non attendat ad consensum, & non intelligat illum, etiamsi hoc affectate & data opera faciat, quia tunc reuera non est dicendus præsens, nec potest testificari de matrimonio ad quod requiritur præsentia: Aliud dicendum esset, si præsens affectate & data opera fingat se non intelligere, cum tamen reuera intelligat, tunc enim reuera præsens esset, & matrimonium subsisteret: & hoc putandum est voluisse Illustriss. Cardinales, si quid forte de hac difficultate declararint.

QVÆSTIO XXVI.

Quid sit de illorum, qui in extremo articulo mortis existentes, contrahunt coram testibus in absentia parochi?

Quæstionis explicatio.

PLurima diximus permitti in casu pestis, & articulo mortis, quæ legibus vetantur,

tur, eo *quod necessitas careat lege:* (a) sufficereq; eo casu, vt lex diuina & naturalis seruentur: Idcirco quæritur, an & in articulo mortis hic modus contrahendi matrimonium tolerari possit, quo illud celebratur coram solis testibus, si non possit haberi parochus.

(a) *de consec. dist. 1.*

Responsio.

NOn potest tolerari, quia certum est matrimonium sine parocho contractum in quacunque necessitate esse irritum & nullum. Probatur, quia vbi in dispositione dicitur, aliter fieri non posse, vel ponitur decretum irritans, inducitur forma, vt tradunt Canonistæ: Sed in Concilio Tridētino dicitur matrimonium aliter fieri non posse, quam præsente parocho, & aliter contractum reddi nullum, ergo inducitur forma, & proinde nullo euētu absque ea solemnitate initum erit validum, res enim sine sua forma subsistere nō potest: confirmatur, quia ibi redduntur omnino inhabiles: vbi ponderanda est dictio, *omnino*, quę significat in omni euentu, sine vlla exceptione, siue remedio ac dispensatione: ac ponderandum (*reddere inhabiles*) nam inhabilitatem materiæ sacramenti nullus necessitatis casus potest supplere.

Dices: Leges diuinæ recipiunt interpretationē ex bono & æquo & epikeia, vt quæ pro tuenda charitate introductæ sunt, ipsi charitati non aduersentur, sicut apud Ioannem habetur, neminem absque baptismo saluari posse, & tamen deficiente copia ministri vel aquæ, satis esset baptismi votum: Ergo à fortiori leges humanæ recipiunt eandem epikeiam: Sed si in hoc casu matrimonium absque parocho initum esset nullum, aduersaretur charitati, quia proles legitimāda per matrimonium illud illegitima maneret, & cōcubinorum morti proximorum erga suas concubinas valde affectorum salus spiritualis periclitaretur: Ergo decretum Concilii Tridentini obligans coram parocho contrahere ex æquitate & epikeia censendum est in hoc euentu minime astringere: Confirmatur, quia quoties casus euenit iis vestitus circumstātiis, quibus non ita expresse decisus est, attendendū est, quid in eo Legislator cōsultus responderet, idque sequendum: Videtur autem quod Pontifex de hac extrema necessitate consultus responderet, posse in ea absque parocho & testibus contrahi, ergo, &c.

℟. Breuiter ad argumentum & confirmationem illius legem mere præceptiuam & in-

& inducentem solemnitatem contractus extrinsecam, recipere aliquando interpretationem & epikeiam. Secus vbi est solennitas substantialis, & materiæ inhabilitas: Nec hoc aduersari charitati; valde enim bono communi expediebat legem eo rigore editam, nec in hoc casu Pontificem aliter responsurum, vt ante obiter diximus.

QVÆSTIO XXVII.

Quibus potissimum modis peccari solet in administratione Sacramenti matrimonij?

Quæstionis explicatio.

TE rigimus passim hoc capite multa peccata quæ committi solent in celebratione matrimonii tempore pestis, tum à parochis, tum ab ipsis contrahentibus, tum ab vtrisque, quæ hoc loco lucis gratia ob oculos legentium veluti in tabula ponuntur.

Responsio.

PEccat primo pastor, qui non vult exhibere præsentiam suam matrimoniis suorum subditorum, præsertim concubi-

nariorum, quorum salus periclitatur, nisi cum suis concubinis matrimoniũ contraxerint.

2. Et qui cum absit non substituit aliũ sacerdotem, qui matrimoniis interſit.

3. Et negligente pastore Episcopus, qui de huiusmodi sacerdote non prouidet.

4. Etiamsi non habeat nisi sacerdotes excommunicatos, suspensos, interdictos, irregulares.

5. Et Episcopus, qui non substituit parochum necdum sacerdotem, si alium habere non potest.

6. Et parochus non sacerdos, qui non vult assistere, nec alium sacerdotem, qui interſit, substituere.

7. Et parochi, q̃ substituunt Diaconos, subdiaconos, & alios inferiores clericos.

8. Peccat quoq; simplex sacerdos, qui facile credit contrahere volentibus, asserẽtibus se habere facultatem ab Ordinario, vt coram illo matrimoniũ contrahant, nisi sint personæ fidedignæ.

9. Et parochi, qui pro suo arbitrio quorundã matrimoniis interſunt, & nõ aliorũ.

10. Et qui non vult interesse matrimoniis amentium peste infectorum tempore lucidi interualli, quo solent recte de statu & rebus suis disponere.

11. Et

11. Et qui non vult intereſſe matrimoniis illorum, inter quos ſcit tãtum per confeſſionem eſſe canonicum impedimẽtum.

12. Et contra, qui intereſt matrimoniis illorum, quos ſcit extra confeſſionem habere canonicum impedimentum.

13. Et qui non vult intereſſe matrimonio vagabundi peſte infecti.

14. Et qui non vult intereſſe matrimoniis illorum, qui de parochia in qua nõ eſt ꝓmulgatum decretum Concilii Trident. matrimonia clandeſtina irritans, fugerunt in parochiam, in qua eſt promulgatum.

15. Et qui non volunt intereſſe matrimonio illorum, qui virginem deflorarunt, data fide de matrimonio contrahendo, eo quod antea votum ordinis ſacri emiſerant, ſi virgo magnum aliquod inde paſſura eſt damnum.

16. Et qui nolunt intereſſe matrimonio illius, qui fidẽ virgini dedit, eo quod poſt aliam virginem deflorârit, niſi hæc poſterior maius damnũ 'pati deberet, q̃ prior.

27. Et qui nolunt intereſſe illorũ, quorum parentes ſine iuſtis cauſis reſiſtunt, & ſcandala & tẽpeſtates excitant, ſi prudẽtes viri iudicent animos parentũ ſtatim placãdos, vel non eſſe rationabiliter inuitos.

18. Et q̃ volunt peſte infectos cõtrahere

per

per procuratorem vel epistolam, cum possit absq; contagionis periculo illorum matrimoniis suam præsentiam exhibere, quāuis si sic contrahunt, vere contrahant.

19. Et contrahētes, qui contrahunt hodie coram parocho, & cras coram testibus, cum sciant vel scire debeant, illos simul esse adbibendos.

20. Et illi, qui contrahunt coram solis testibus, cum sciant necessariam parochi vel eius vices gerentis præsentiam.

Dices. Quale peccatum est, nolle interesse matrimonio concubinarii peste infecti?

℟. Mortale, quod vel ad homicidium, seu animicidium, vel ad furtum reducitur. Ad homicidium, si contrahens petit matrimonio iungi, vt succurrat infirmitati suę, per quam non potest inordinatum amorē erga suam concubinam deponere. Ad furtum, si ideo nubere vult, vt honorem, quē virgini abstulit, restituat, vel proles illegitimas faciat legitimas.

Lib. Coll. Soc. Iesu Paderborn. an. 1613.

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN